PRO TITULO IMMACULATAE CONCEPTIONIS

Antonio Calderón, Herman Panneels, Ilarione Roncati

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 0
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40.3.29
40
E
22
40
E
25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



MATRITI APVD DIDACVM DIAZ DE LA CARRERA. 165

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

PRO TITVLO

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ,

Adverſus duos Anonymi Libellos,

LIBER VNVS.

PHILIPPO QVARTO

REGI CATHOLICO

O. D. C.

à D. Antonio Calderon, olim apud Salmanticenſes (Eccleſiam, & Academiam) Theologiæ publico profeſſore, Collegij Maioris, vulgò de Cuenca, *alumno; nunc Toletanæ Eccleſiæ Hiſpaniarum Primatis Canonico, Sereniſſimæ Dominæ* MARIAE THERESIAE *Hiſpaniarum Infantis Magiſtro, & Regij Gynæcei Incarnationis Mitritenſis Archi-Sacerdote.*

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO,

Matriti apud Diegum Diaz de la Carrera, Ann. 1650.

Digitized by Google

PHILIPPO
QVARTO
HISPANIARVM ET INDIARVM
REGI
CATHOLICO.

HÆSI aliquandiu (REGVM POTENTISSIME) cum de huius opuſculi mei nun cupatione cogitabam; atque adeò hæſi, vt eadem cauſa, quæ tibi dicandum perſuadebat, à dedicatione deterreret. Videbam hoc opus, quia meũ, tibi deberi, cuius ſum, quidquid ſum: ſed viciſsim videbá indig

Digitized by Google

num tanto Rege eſſe, quia meum, hoc eſt exile, & impolitum. Itaque & iure dominij hanc meam lucubrationem tibi vindicare videbaris, & ſplendore Maieſtatis ſummouere. Hæc dum an ceps animi verſo, occurrit mihi Pietas & Religio tua, iubetque, vt confidenter offeram munuſculum; nam quantuluncumque ſit, cum pro Immacula ta Virginis Conceptione ſit; non poteſt non tibi eſſe iucundum. Vincis reliquos Principes, ſicut Imperij mag nitudine, ita pietate erga Deiparam ſine macula conceptam. Neque tantùm reliquos vincis, ſed Progenitores etiã tuos, quos tamẽ ſummè addictos huic myſterio nemo ignorat. Ab his quidẽ hæreditariam accepiſti hãc pietatem, ſed adeò eam auxiſti, vt facile omnes ſuperes, etiã deuotiſsimos. Vix Ephœbus habenas Regni capeſſeras, cum

ani-

animum ſubijt cura CONCEPTIONIS IMMACVLATÆ promouendæ, ſtatimque ampliſſima adornata legatione definitionem huius myſterij à Gregorio XV. eflagitaſti. Qui tuis precibus magnum aliquid tribuendum eſſe ratus, decretum illud edidit anno 1622. quo nihil potuit citra definitionem fauorabilius excogitari, indicens prorſus ſilentium ſectatoribus ſententiæ contrariæ, eoſdemque obligans, vt ſub CONCEPTIONIS nomine feſtum celebrẽt, ablegata videlicet voce SANCTIFICATIONIS. Hoc decretum, quantum eſt (eſt autem maximum) tibi deberi Gregorius ipſe teſtatur ſuis litteris. Deinde anno 1635. (ne vacare videretur amor IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS) ampliſsimis perpetuis prouentibus ditaſti feſtum cum octaua in tuo Franciſcano Cœnobio Diſcalcea-

tarum Matritenſium, vbi ſolemniſsimè, & ſplendidiſsimo apparatu, vereque Regio quotannis peragitur, tuq; quamvis publicis curis diſtentus, tamẽ deuotiſsimè quater ſaltem in octaua aſsiſtis. Rurſum cũ Vrbanus Octauus recolendæ memoriæ, in conſtitutione de obſeruatione feſtorum non enumeraſſet feſtum Cõceptionis, tu à Sanctiſsimo Patre noſtro Innocentio Decimo, qui hodie clauum Eccleſiæ tenet, precibus obtinuiſti, vt Hiſpaniarum Regnis feſtum Hiſpanis colẽdiſsimum reſtitueret, fecitque expedito diplomate 10. Nouembr. 1644. longum eſſet egregios tui animi affectus erga Immaculatam recenſere, nõ eſt autem ſilentio involuendum deuotiſsimæ mentis ſpecimen, quo anno 1647. mẽſe Ianuario vniuerſos in admirationem rapuiſti, nam cũ Regno-

rum

rum Comitia te conſulerent ſuper decreto (vt putabatur) Sanctæ Romanæ Inquiſitionis prohibente tribui Conceptioni titulum Immaculatæ, quædamq; opportuna propoſuiſſent, adeò excanduiſti zelo commotus, vt inter alia reſcripſeris, *ſi huius rei definitio penderet ex mea Romam profectione, ſtatim capeſſerem iter libentiſsimè, meque ſummè felicem putarē, ſi ad hoc munus Virgini Dominæ noſtræ præſtandum aliquid valerem.* O pietatem verè Regiam! merito dixi prædeceſſores ſuperas. Nunc addo Toti domui Auſtriacæ, cui ſanguine præes, exemplo etiá præluces. Neque enim crediderim FERDINANDVM TERTIVM, Romanorũ Imperatorem, alio exemplo quam tuo, tam inſignia pietatis erga Immaculatam monumenta eodem anno paucis poſt menſibus poſteritati reliquiſſe. 27. nempe die Maij elegantiſsimam

Im-

Immaculatæ Virginis efigiem egregię columnæ inſiſtentem(opus ingentibus ſumptibus paratum)erexit Viẽnæ in foro ante Domum profeſſam Societatis Ieſu, in qua domo cũ ante aram ſummam publicum, & ſolemne votũ pro ſe & ſuis emiſiſſet de propugnanda ſemper Immaculata Deiparæ Conceptione ſtatimq; Sacroſanctam Euchariſtiã deuotiſſimè ſumpſiſſet; progreſſus ad forum eidem Eccleſiæ adiacens virgineam ſtatuam Epiſcopo, & Clero operantibus, ſolemniter dicauit, cum hac inſcriptione:

StatVaM hanC eX Voto ponIt
FernanDVs tertIVs AVgVſtVs
xxvii. Maij.

Expreſſo videlicet anno ipſo 1647. maiuſculis characteribus. Neque his contentus impetrauit à Sede Apoſto-

lica,

Digitized by Google

lica, vt in Auſtria pervigilium Cōceptionis ſub præcepto ieiunetur, ſtatuitque vt in Vniuerſitate Vienenſi non alia adipiſcendi facultatē via ſit, quàm per iuramentum de Immaculata Conceptione tuenda. Didicit videlicet à te Auſtriacæ Familiæ ſummo vertice: Nam quamuis in Hiſpania plures Academię id iuramentum olim emiſerint, ſub te tamen ſtatim ab initio Regni reliquæ, quæ ſupererant, id iuramentum ſanctè ſuis ſtatutis inſeruerunt; quod vero attinet ad ieiunium Conceptionis, iam olim vniuerſa Hiſpania ſibi libens indixerat. Patriſſat ergo Ferdinandus, ideſt ſe Auſtriacum oſtendit ſub te Familiæ capite, dum hæc præſtat, tua veſtigia terens. Fortaſſe etiam (vt ita dicam) Fernandiſſat: nam & Magnus ille Ferdinandus Rex Catholicus, à quo vterque ducitis originem

addictiſsimus fuit Conceptioni Immaculatæ. Neque vacat modo ſingula pietatis argumenta recenſere. Sane multa, quæ in fauorem Conceptionis Immaculatæ geſsit, ſatis oſtendunt nũquam ab eius memoria excidiſſe beneficium illud maximũ, quo in ipſo peruigilio Cõceptionis Immaculatæ an. 1492. diuinitus ſeruatus eſt, ne impia manu caderet. Id quod tunc omnes Immaculatæ Cõceptioni tribuerunt, cui Rex deuotiſsimus erat. Sed de his ſatis. Neque enim animus eſt (optime Philippe) maiorum tuorum geſta recenſere, ſed tua. Quæ ſatis quemque inflammant erga Conceptionem Immaculatam. Libuit tamen ob oculos ponere pietatẽ Ferdinandi Imperatoris, tibi multis lineis ſanguine iuncti, affinitate leuiri, & nunc demum ſoceri, atque adeò tibi tot titulis amantiſsi-

Doct. Alfonſus Ortiz ſpeciali tractatu de vulnere Regis.

mi.

mi; Cuius propterea pietas erga Conceptionem tibi gratiſsima futura ſit, quod ipſo anno 1647. quo tu defenſioni parabaris aduerſus Decretum illud, ipſe tecum militare, marmore teſtatus eſt poſteritati. Accedit, quod hæc ad te ſcribo in Diui Laurentij, quod vocant ESCORIAL, ipſa die, qua NAVALCARNERI fęlicissimas celebras Nuptias, cum MARIA-ANNA Auſtriaca Ferdinādi Filia Immaculatæ etiam Conceptioni, patris exemplo, mirùm addicta, & Mariti amplius addicenda. Itaque Ferdinandi meminiſſe ęquiſsimum fuit, ſiue Conceptionem Immaculatam, ſiue fælicisſimum Connubiũ attendas. Nam vtrique egregiè contulit; myſterio, elegãtiſsimam Virginis ſtatuam; Connubio, Auguſtiſsimam filiam. Faxit Deus, vt in noua prole creſcat deuotio. Nos in hoc lætiſsimo

die, quamuis ſenes, & iam Muſſis frigidos, corripuit cũ alijs aulicis poëticus ardor, atque diem, mẽſem, annum fauſtiſsimi coniugij, Vota etiam Hiſpaniæ, hoc eſt prolem maſculam, diſticho concluſimus. Fortaſſe aliquis melius, ſed non breuius.

OCtobrIbVs nonIs IVnCta eſt MarIa Anna PhILIppo
VIr CresCat VVLVà! præIt Iber præCVbVs.

Humillimus ſeruus tuus.

D. Antonius Calderon.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI AC Doctiſsimi Patris Hieronymi Pardo, Aſsiſtentis Prouincialis Clericorum Regularium Minorum, apud Quæſitores Fidei in Supremo Senatu Qualificatoris, necnon in Regnis Hiſpaniæ omnium librorum Viſitatoris Generalis.

VIDI *pro titulo Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ*, aduerſus duos Anonymi libellos librum vnum Authore egregio, eximioque Doctore, & non ſatis laudato Sereniſsimæ Hiſpaniarum Infantis Mariæ Thereſiæ Magiſtro, Regiæ Incarnationis Capellæ Capellano Maiori, & ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ olim Magiſtrali, nunc Canonico Domino Antonio Calderon. Magna dixi, cum virum dixi. Vnum vidi, & multos in vno legi, ſic Hercules contra duos. Vnum merito appellet, quia ad inſtar diei naſcitur, nō primum. Dies enim ſemper vnus, numquam primus. *Factumque eſt mane, & veſpere dies vnus.* Vnum, quia ſibi ſoli ſimilis; non primum, quia non habet ſecundum. Librum myſterio nominet, quia in defenſionem libri vnicè Immaculati. Maria nāque eſt *Liber Generationis Ieſu Chriſti*, liber ille grandis, quem Iſaias ſumpſit ſcriptus ſtillo hominis, non attramento, ſed Spiritu Dei viui, quem Hieremias tulit, & dedit Baruch; qui apparuit Ioanni in dextera ſedentis in throno cum ſigillis ſeptem, quia nil læuum in eo, nil ſiniſtrum. Ergo iuuente mihi Eminentiſsimo, & Reuerendiſsimo Domino Domino Baltaſare Cardinali de Sandoual, Archiepiſcopo Toletano, Hiſpaniarum primati, &c. Librum vnum perpendi *pro titulo Immaculatæ Conceptionis*, in quo nihil Fidei Ortodoxæ, rectiſque moribus contrarium inveni, ſed potius præter Doctri-

Plin. lib. 1. ep. 9.
Gen. 1.
Matt. 1.
D. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 5.
Richard. de S. Laurent. lib. 12. de laudibus, B. Mariæ, Serm. 2. de eius natiuit.
Iſaiæ 8.
Hier. 36.
2. ad Corinth. 3.
Apoc. 5.

nam,

nam,quam cõtinet ſolidam, & Eccleſiæ conſentaneam, inſignem reſolutionem reperi, conſequentiam in dicendo mirabilem, circa mentem Pontificum, Sanctorũ Patrum, & Conciliorum inveſtigationem vigilantem, & Diui Thomæ ſic mirificè conſonam elucidationem, vt nõ immerito exiſtimarim, neminem præter illum in huiuſmodi controuerſia hucuſque Angelicæ Doctrinæ fluenta de Angelico pectore limpidiſsimæ ſapiẽtię fonte, ita clarius hauſiſſe, & ebibiſſe, nec vllũ eſſe, qui eiuſdem placitum attentius circunſpexerit, percaluerit verius, ac denique ad genuinam, veramque intelligentiam proximius acceſſerit: Opus ſanè cui nihil laudis opus, ipſum ſibi, & laus, & laurus, magis admirationi compactum, quam cenſuræ exponendum, graui diſſertum methodo, proprio Marte, & arte nobile, in rebus magnum ac famoſum, imo formoſum doctrinæ pulchitudine, ſapientiæ, venuſtate, ingenij gloria, acuitate, fœcunditate, & partu, verborum elegantia non in compta, ſed cõpta, & ſi nõ concinnata, concinnitate compoſita. Hoc vnius libri Authoris tãti iudicium duximus, faxit Deus, vlterius in dies progrediatur calamus, verum interim mandandum prælo, iure optimo fore cenſeo, & ſubſcribo. Matriti in noſtra Spiritus Sãcti Domo die 26. Menſis Nouembris, Anno Domini 1649.

Hieronymus Tardus
Cleric. Minorum.

DON

DON *Baltaſar de Moſcoſo y Sandoual, por la gracia de Dios, y de la ſanta Sede Apoſtolica, Presbitero Cardenal de la Santa Igleſia de Roma, del titulo de ſanta Cruz en Geruſalen, Arzobiſpo de Toledo, Primado de las Eſpañas, Canciller mayor de Caſtilla, del Conſejo de Eſtado de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente damos licencia para que ſe imprima vn libro intitulado:* Pro titulo Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ, *que ha eſcrito el ſeñor Don Antonio Calderon, Maeſtro de la ſeñora Infanta, y Canonigo de nueſtra ſanta Igleſia; y le ha viſto, y aprobado, en virtud de Comiſsion nueſtra, el Padre Geronimo Pardo, de los Clerigos Menores, como conſta de dicha aprobacion, que eſtà en eſte pliego. Dada en Toledo à primero de Diziembre de mil y ſeiſcientos y quarenta y nueue.*

El Cardenal Sandoual.

Por mandado del Cardenal mi ſeñor,

Iuan Iſidro Pacheco,

Secretario.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI, AC Sapientiſsimi Patris Auguſtini de Caſtro, è Societate Ieſu, Concionatoris Regis Catholici.

MISERVM libellatorem, qui intantum debellatorem incidit; ſed omnium felix *Immaculata Immaculatæ Mariæ Conceptio*! Cui non poteſt ſub bono Patrono mala cauſa eſſe. Salomon ſapientiæ aſylum,

Prou. 25 lum, totum ſapiētiæ apicem in *vnico*, ſed tempeſtiuo verbo collocat. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Contra, qui verbum tempore ſuo non loquitur, non malum aureum, ſed putridum, eruciſque exæſum, quale Adamus momordit, venenoſo anhelitu ructat. Ergo tota cum libellatore lis ad verbum vnum tempore ſuo nondictum devoluitur, quod ſanè verbum, quia librorum heluones incurioſe præteriere, hoc aureo ſapientiæ pomo detinētur, vt reducant ad trutinam, quod ſine libra ponderarunt. Verū cum locutum verbum vnum ſit, mirum valde eſt, quam plura, plurima, aurea ſapientiæ mala, eruditiſsimus D. D. Antonius à Calderon adaggerauerit, vt verbum vnū deflectens corriperet, & verbum vnum iuxta pias Chriſtianæ eloquentiæ regulas collocatum defenderet. Dixi propugnatoris Marianæ Conceptionis nomen, dixi cūcta. Nomen ipſum maius præconium eſt. Dixi virū omnigena litteratura excultum. Dixi vnum omnium ſcientiarum Arbitrum, cuius menti, ſi conſulas, quidquid argutiores Theologiæ Magiſtri innouarūt, quidquid Eccleſiæ lumina Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Gregorius prodiderunt, quidquid Sanctiones Conciliorum, ſtatuta Pontificum, quidquid noui; quidquid antiqui,

tiqui,

Digitized by Google

tiqui Sacrę Scripturæ Interpretes, fidelius inſculptum, quàm membranis, reperies. Cuique ſciētię integer prę-paratur, ad omnes geminus, in vnaquaque vnicus. Conſulendus vt Bibliotheca eſt, quia ſuæ mentis amplitudo, Bibliothecam, & certè locupletiſsimam capit. Teſtis genitale ſolum Bætica, ubi perraro ſapientiæ priuilegio acceptus fuit in patria ſua: teſtis ſcientiarum Aula Salmantina, vbi litterarios honores, quibus honorātur reliqui, honorauit· teſtis Sanctæ Inquiſsitionis Tribunal Sanctiſsimum: teſtis Hiſpanienſium Eccleſiarum Metropolis, vbi inſtar oraculi cultum habuit: teſtis Madridana curia, Hiſpania tota teſtis, quæ in hoc vno oculos fixit, vt pro Rege Concilio, iam retro longè expetito in Immaculatæ Conceptionis vindictam lingua ſit ſententiæ ſuæ, ne dicam fidei. Iam diu Hiſpaniæ oppida, Prouinciæ, Regna, Sodalitia, Eccleſię, Vniuerſitates, Regna votum pro Immaculata Conceptione Deiparæ nuncupauere. Quod deeſt ſuffragiū, feret Dominus D. Antonius à Calderon, in cuius incomparabilis ſapientiæ premium, trophæum hoc militare fas eſt. Hac ſua lucubratione; ſic ad oculum libellatorem inſtat, fugat, refutat, reprimit, vt aduerſarius deſit ictibus, feriataque omnia ſpicula otientur. Timeāt alij; nam armata & extēta manus imminet, faciet amicos timor, quos gratia non inuenit Marianæ Immunitati addictos. Ergo hoc cū opere ſubortæ erga Immaculatæ Conceptionis Deiparæ nebulæ ita diſpareant, vt iam ſola definitio deſit; nihil ipſo emendatione dignum; ſed potius ad illius normam, quod alibi minus pie erratum eſt, emendandum cenſere debemus. Hæc mea ſententia eſt, hæc confeſsio &c. Madridi in Collegio Imperiali Societatis Ieſu 22. Decembris 1649.

Auguſtinus de Caſtro.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Doctor D. Antonio Calderon Canonigo de la Santa Igleſia de Toledo, Maeſtro de la Sereniſsima Infanta, mi mui cara, y muy amada hija, Capellan Mayor de la Encarnacion, Nos fue fecha relacion, que auiades compueſto vn libro intitulado: *Pro titulo Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ*. Y porque le queriades imprimir, nos pediſteis, y ſuplicaſteis os dieſſemos licencia para ello, o como la nueſtra merced fueſſe: lo qual viſto por los de nueſtro Conſſejo: Por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia, que la pregmatica por nos ſobre ella fecha diſpone: Fue acordado, que debiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, y nos lo tuuimos por bien. Por lo qual os damos licécia, y facultad para que por tiempo, y eſpacio de diez años, primeros ſiguientes, que corran, y ſe cuenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula en adelãte, vos o la perſona, que para ello vueſtro poder huuiere, y no otra alguna podais imprimir, y vender el dicho libro, que de ſuſo ſe haze mencion. Y por la preſente damos licencia, y facultad a qualquier Impreſſor de nueſtros Reynos, que nombraredes; para que durante el dicho tiempo le pueda imprimir por el original, que en el nueſtro Conſejo ſe vio, que va rubricado, y firmado à el fin de D. Ioſeph Arteaga, y Cañiçares, nueſtro Eſcriuano de Camara, vno de los que en el reſiden, con q̃ antes, y primero, que ſe vendan le traigais ante ellos juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſion eſtà conforme a el, o traigais fè en publica for

Digitized by Google

ma, como por corrector por nos nombrado ſe vio, y corrigio la dicha impreſsiõ por el dicho libro original. Y mãdamos al dicho Impreſſor, q̃ aſsi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego dèl, ni entregue mas de vn ſolo libro con el original al Autor, ò perſona a cuya coſta lo imprimiere, ni otra alguna perſona, para efecto de la dicha correccion, y taſſa, haſta q̃ antes, y primero el dicho libro eſtè corregido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo. Y eſtãdo hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en èl qual immediatamente pongã eſta nueſtra licencia, y la aprobacion, taſſa, y erratas, ni lo podais vender, ni vendais vos ni otra perſona alguna, haſta que eſtè el dicho libro en la forma ſuſodicha, ſopena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica, y leyes de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos, que durante el dicho tiempo, perſona alguna ſin vueſtra licencia, no lo pueda imprimir, ni vender ſopena, que el q̃ lo imprimiere, y vendiere, aya perdido, y pierda qualeſquiera libros, moldes, y aparejos, que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, por cada vez que lo contrario hiziere, de la qual dicha pena ſea la tercia parte, para nueſtra Camara, y la otra tercia parte, para el Iuez, que lo ſentẽciare, y la otra tercia parte, para el que lo denunciare: Y mandamos a los de nueſtro Conſejo, Preſidente, y Oidores, de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nueſtra Caſa, y Corte, y Chancillerias, y otras qualeſquier Iuſticias, de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nueſtros Reynos, y Señorios, y a cada vno dellos en ſu juriſdicion, aſsi a los que agora ſon, como a los que ſeràn de aqui adelante, que vos guarden, y cumplan eſta nueſtra cedula, y merced, que anſi vos hazemos, y contra ella no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar

en manera alguna, ſo pena dela nueſtra merced, y de diez mil marauedis, para nueſtra Camara. Fecha en el Pardo a diez y ocho dias del mes de Enero de mil y ſeiſcientos y cinquenta años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey
Nueſtro Señor.

Martin de Villela.

Digitized by Google

ERRATA.

PAg.16.lin.17.Inquiſitionionis,lege,inquiſitionis,p,17.l.11. Validiſmæ,Validiſsimè,p.28.l. 7. indubitâ, indubitatâ, p. 42. l. 21. Sanctifitionis,Sanctificationis,p.54.l. 16. præfictæ, perfrictæ, p. 80.l.8.coniugatur,coniungatur,p.85.l.23.relinquit,delinquit.p. 97.l.19.ſine maculata,ſine macula,p.102.l.15.affirmatiuæ,affirmatiuè,p. 126.l.vlt. nondum,nodum,p.137.l.7.expreſſa,expreſsè,p.126.l.16.proſus prorſus.p.135.l.20.prohitione,prohibitione,p.117.l. 15. deuacari,debachari,p.137.l.16.Gregorio,Gregorij,p.138.l.5.pronunciauerint,pronunciauerit,p 140.l.vlt.qui,quia,p.146.l.11.Aragonius,Arigonius,p.167.l.4. vocabum,vocabulum.

P.195.l.4.poſt,*Conceptioni*,adde, *Sed ingratiarum actionem*.

Pag.206.l.6.qua,quia,p.224.l.14.primarum,primarium.

Pag.231.l.13. poſt, *Immaculatam*, adde, *quod aliquando maculam habuit ſicut poteſt dici Sanctum* ,par.237.leg.21. & 238.l.11.pot eſtatiua, proteſtatiua, par. 277.leg.6.plenus,plenos,par.304.l.14,cingulus,cingulũ,p.314.l. 17. illum,illud,p.356.l.22.euolit,euoluit,p.384.l.20.iudicatur,iudicantur,p. 392.l.14.diſpenſare,diſpenſari,p.369.l,18.prohitum,prohibitum,p.397. l.11.vi.vbi p.400.l.15,octogeſsimum,octingenteſsimũ,p.401.l. 12.Calzolaius,Calzolaium,p.414.l.9.vnaquaque,vnaquæque,p.421.l. vlt.contingent,contigerit, p.457.l.Deidendi,Decidendi,p.464.l.1.ſecunda ſecundam,p.513.l.21.affirmare,affirmari,p.561.l. vlt. perſonauerit, perſonuerit,p.562.l.18.Egregiæ,Egregiè,p.565.l.24.deſident,diſidet,p. 566. l.21.ſilogiſmum,En ſilogiſmum,p.570.l.vlt.depromas,deponas,p.571,l.8.mandatis,mandantis,p.577.l.11.præſentantã,præſeruatã,p.579.l.1.quo,quod p.579.l.18.neceſsitatem,neceſsitas,p.582.l.2.cuius,eius,p.588.l.vlt. poteſt,potes,p. 590.l.13.ſignificationis vocem,ſignificationem vocis,p.594. l.22.ſed de hæc, ſed hæc,p. 598. l.24.intelligi,intelligit,p.599.l.11. edit, edidit,p.625.l.7.decernendos,diſcernendos,p.626.l.10.nullus,nullius, p. 643.l.22.es,ex,p.645.l.19. Roma, Romana,p.647.l.12.Vnigeni,Vnigeniti, 650.l.15.Pontifices,Pōtifex,p.669.l.4.Sedis,Sedes,p.679.l,19.poſt,poteſt.

HIC Liber inſcriptus, *Pro titulo Immaculatæ Conceptionis, Beatiſsimæ Virginis Mariæ aduerſus duos anonymi libellos, liber vnus, &c.* Demptis his mendis, ſuo exẽplari fideliter reſpondet. Dat. Matrit. die 5. Menſ. Februarij ann. 1650.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

TASSA

TASSA.

YO D. Ioſeph de Arteaga y Cañizares, Eſcriuano de Camara de ſu Mag. vno de los que en ſu Conſejo reſiden. Certifico, q̃ auiẽdoſe viſto por los Señores de èl vn libro, q̃ cõ ſu licencia fue impreſſo, intitulado, *Pro titulo Immaculatæ Cõceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ*, taſſarõ cada pliego del a quatro marauedis, el qual tiene ochenta y cinco pliegos, ſin principios, ni tablas, que al dicho precio mõta en papel 340. mrs. Y que eſta taſſa ſe ponga al principio de cada volumen, para que ſe ſepa, y entienda lo que por el ſe ha de pedir, y lleuar, como cõſta, y parece por el auto original, que eſtà, y queda en mi Oficio, a que me refiero, y para q̃ dello conſte, doy la preſente, En Madrid a 15. dias del mes de Febrero de 1650. años.

D. Ioſeph de Arteaga, y Cañizares.

SE-

Digitized by Google

SERIES CAPITVM
& §§. huius Libri.

CAp. I. *Scribendi occaſio, ſcopus, & ordo Diſputationis.* pag. 1.
Cap. II. *Decreta Pauli V. & Gregorij XV. pro Immaculata.* pag. 10.
Cap. III. *Aſſertum Decretũ Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, & duo libelli pro eius defenſione.* pag. 16.
Cap. IIII. *Elenchus ſeu caſtigatio prioris libelli.* p. 38.
§. 1. *Libellator imponit Gregorio XV. Vrbano VIII. & Oratori Regis Catholici.* pag. 41.
§. 2. *Immaculatæ Cõceptionis defenſores eam definitã nõ eſſe fatentur, & docent. Libellatoris calumnia.* p. 50.
§. 3. *Militia Sacra Cõceptionis ab Vrbano VIII. erecta, Immaculatæ erecta eſt.* pag. 49.
§. 4. *Nil opus eſt prohibitione tituli Immaculatæ, vt ab omnibus exiſtimetur nondum definita. Libellatoris error, & crimen.* pag. 61.
§. 5. *Titulus Immaculatæ Gregoriano Decreto amplius ſtabilitur,* pag. 68.
§. 6. *Nullus Pontifex ideo Immaculatæ titulum non exprimit, ne ſi exprimat, cenſeatur definita.* pag. 70.
§. 7. *In prohibitione tituli quædã perplexa. Libellatoris cum ſe ipſo conflictus, eius dialectica notata.* p. 78.

Cap.V. *Elenchus ſeu caſtigatio libelli poſterioris.* p.81.

§.1. *Libellator, Decretorũ Sãctæ Inquiſitionis verus cõtemptor.* pag.82.

§.2. *Nullus Pontifex vtranq; ſententiam appellat probabilem, neque Sixtus Quartus eas reliquit in ſtatu, in quo erant ante inſtitutionem feſti Cõceptionis; ſed affirmatiuam depreſsit, negatiuam euexit.* p.86.

§.3. *Ante Gregorium XV. officium Conceptionis erat publicum, hoc eſt Eccleſiæ Romanæ; Sãctificationis verò priuatum, id eſt quorundam ex Dominicanis. Sixtus Quartus pro titulo Immaculatæ decernit in extra uaganti* Graue nimis. pag.102.

§.4. *Libellator Gregoriano decreto imponit, & pugnantia tribuit.* pag.107.

§.5. *Gregorius XV. non prohibuit officium Leonardi de Nogarolis.* pag.110.

§.6. *Libellatoris contradictio.* pag.114.

§.7. *Gregorianum Decretum nõ corrigit Sixtianam cõſtitutionem, ſed confirmat.* pag.115.

§.8. *Libellatoris argumentatio in ipſum retorta.* p.117.

§.9. *Feſtũ & Officiũ Immaculatæ Cõceptionis cõfirmãtur, quoties cõfirmãtur Sixtianæ conſtitutiones.* p.120.

§.10. *Concilium Tridentinum cõfirmat Officiũ Immaculatæ, & in ſententiam piam propendit.* pag.121.

§.11. *An, & quo ſenſu Pius V. officium Nogarolicum abrogauerit? libellator Sixtianæ Conſtitutionis reus.* pag.124.

§.12.

Digitized by Google

§.12.*Ordo* Seraphicus *legitimè vtitur officio Nogaroli to.* pag.144
§.13.*Temerè libellator obreptionis labem obijcit Conceſſionibus factis Ordini Franciſcano.* pag.147.
§.14.*Cum Gregoriano decreto pugnat prohibitio tituli Immaculatæ.* pag.149.
§.15.*Iterum de Vrbani VIII. reſpōſo. Libellatoris calliditas deprehenſa.* pag.150.
§.16.*Libellator in ſe ipſum armatus. Senſus Catholicæ Eccleſiæ in officio Conceptionis eſt de Immaculata.* pag.157.
§.17.*Libellator paralogizat, ſecum ipſe pugnat, à Sanctis Ildephonſo, Bernardo, & Thoma (quos Iudices appellat) damnatur. Infalibile Eccleſiæ Iudicium prodit potius, quàm defendit aduerſus hæreticos.* pag.169.
§.18. *Libellator falſo citat Bellarminum, imponit Diuo Thomæ. Senſus, & mens vtriuſque.* pag.191.
§.19.*Duo inſtantia in Conceptione diſtinguere abſurdū eſt, & implicatorium.* pag.209.
§.20. *Monſtrum eſt Conceptio ſancta, & non Immaculata. Diſcrimē, quod inter has voces comminiſcitur libellator, ſomnium eſt, non diſcrimem.* pag.223.
§.21.*Vox* Sancta *Conceptio ni coniuncta non minus eſt piæ ſententiæ proteſtatiua, quam vox* Immaculata. pag.236.
§.22.*Indulgentiarum Conceſsio euidenter probat non eſ*

ſe prohibendum titulum Immaculatæ. pag.244.
§.23.Stellarij prohibitio nihil officit titulo Immaculatæ. Eccleſia piam ſententiã magnis fauoribus proſequitur, contrariam nullis. pag.251.
§.24.Ex inſtitutione Monialiũ Immaculatæ Conceptionis eficax argumentũ pro Immaculata deſumitur. pag.265.
§.25.libellator corrumpit argumentum defenſorum Immaculatæ. pag.269.
§.26.Nullus Romanus Pontifex, poſt quam Apoſtolicum culmẽ aſcendit, aſſeruit, aut ſcripſit B.Virginẽ fuiſſe in originali peccato conceptam. pag.272.
§.27.Libellator argumento ſuo conuincitur. pag.279.
§.28.Vrbani VIII. ſingularis erga Immaculatã Conceptionem pietas. pag. 286.
§.29.Libellator decreta fingit, & eorũ approbationem. pag.313.
§.30.Libellatoris de reuelationibus, & miraculis Immaculatæ Conceptionis temeraria, & impia ſententia. pag.316.
§.31.Synodus Baſileenſis in decreto Conceptionis Romanæ Eccleſiæ ſe veſtigijs inhærere putauit. pag.324.
§.32.Patres Græci Virginis a peccato originali præſeruationem defendunt. pag.337.
§.33.Libellator iniuriam irrogat concionatoribus, & parum ſibi conſtat. pag.344.
§.34.Libellator falſo, & temerè hæreſis notã inurit Eccle-

ſiæ

ſiæ ſub Stephano I. & liberio; & etiamſi vere, extra rem. pag. 347.

§. 35. *Diſcrimẽ, quod comminiſcitur libellator inter propoſitionem, & terminũ complexum, fictitiũ eſt, & ipſi nihil prodeſt.* pag. 365.

§. 36. *Pius V. non prohibet affirmationem de Immaculata Cõceptione ſermone vulgari, ſed Scholaſticã diſputationem.* pag. 376.

§. 37. *Facultas Impreſsionis facta à ſuperioribus, præter impunitatem cudendi, & Diſtrahendi, nil aliud cõfert priuatorum libris, quàm præſumptionem non prohibitæ Doctrinæ.* pag. 383.

Cap. VI. *Eccleſia Romana ſub Sixto quarto nõ ſolùm approbauit, & cõceſsit officiũ Cõceptionis Immaculatæ; ſed etiã in ſuos ritus admiſsit obligans eos, ad quos attinebat vſus Romani Breuarij.* p. 398.

Cap. VII. *Eccleſia Romana in feſto Conceptionis nõ ſolam Virginis Sanctificationem veneratur, ſed eius naturalẽ Conceptionẽ, qua anima vnita eſt Corpori. Concilium Tridentinum duplicem Sixti Quarti extrauagantem eodem initio* Graue nimis *agnouit & confirmauit.* pag. 417.

Cap. VIII. *Eccleſia Romana colit Conceptionem naturalem Virginis, vt Immaculatam, & peccati originalis neſciã. Conciliũ Tridentinũ approbat hũc ſenſum, & extrauagãtem Sixti quarti* cum præ excelſa. pag. 450.

Cap.

Cap.IX. *Eccleſia Romana eodem prorſus ſenſu celebrat Marianam Conceptionem poſt reformationẽ Breuiarij a Pio Quinto factam, quo ante Pium, & a tẽpore Sixti Quarti celebrabat.* pag. 469.

Cap. X. *Libellator, dum vocen* Conceptio *ſignificare Sanctificationem autumat, ſingularis eſt, & a cõmuni Theologorum, imo Sancti Thomæ, & Thomiſtarum ſenſu recedit.* pag. 493.

Cap. XI. *Gregorius XV. dũ præcipit, vt omnes in officio diuino non alio quàm conceptionis nomine vtantur, Sanctificationem præciſsè ſumptam excludit, cõceptionem naturalem beneficio gratiæ Immaculatam cultui proponit.* pag. 527.

Cap. XII. *Gregorius XV. dum præcipit, vt etiam affirmatiuæ ſententiæ Sectatores, Conceptionem Immaculatam colant in officio diuino, neque ſibi cõtrarius eſt; neque iniuriam illis aliquam irrogat.* pag. 563.

Cap. XIII. *Ex præcepto Pij V. tenentur omnes, etiã ſectatores ſententiæ affirmatiuæ, etiam Dominicani, celebrare officium ſub nomine Conceptionis, iuxta mentem, & ritum Romanæ Eccleſiæ.* pag. 591.

Cap. XIV. *Poſtquã Rom. Eccleſia feſtũ Cõceptionis inſtituit, nemini licuit officio Sãctificationis vti.* p. 614.

Cap. XV. *Eccleſiæ Romana Conceptionem Virginis titulo Immaculatæ condecorat.* pag. 637.

Cap. XVI. *Ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum Innocentium X. Apoſtrophe & Peroratio.* pag. 664.

Digitized by Google

PRO TITVLO IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS BEATISSIMAE VIRGINIS *MARIÆ* ADVERSVS DVOS ANONYMI LIBELLOS,

LIBER VNVS.

SCRIBENDI OCCASIO. SCOPVS, & ordo Diſputationis.

CAPVT PRIMVM.

REVERENDISSIMVS, & multis mihi nominibus colendus Ioannes de Palma, Ordinis Sancti Franciſci Cõmiſſarius Generalis, & Sereniſsimæ Hiſpaniarum Infantis Mariæ Thereſiæ à Sacris confeſsionibus, copiam mihi fecit duplicis libelli ad ſe ex Vrbe 1.

miſi, oblati (vt videtur) Eminentiſsimis Dominis Cardinalibus Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, in quo magna animi contentione defenditur decretum (vt vterque libellus aſſerit) eiuſdem Sanctæ Inquiſitionis ſub Vrbano Octauo, quo caueтur, ne Cōceptioni Virginis addatur titulus *Immaculatæ*. Admonuit etiam me decretum hoc (vt ipſe à fidedignis acceperat) Romæ male audire tāquam ſpurium, & ab aliquo nebulone confictum, idque non leuibus argumentis conuinci, quæ infra expendemus: nihilominus operæ pretium videri, ſi his libellis, ne malum ſerpat, ſcripto aliquo ſatisfiat. Id ſe curare apud ſuos. Si quid tamen in penu mea eſſet, quo cauſam iuuare poſſem, hortari me, vt promerem.

2. Legi libellos, & perlegi, atque illico occulta quadam vi ſenſi me impulſum, vt reſponderem. Deterrebat ingenij tenuitas, & quod audiebam id factum iam à viris doctis in Vrbe, & ab alijs extra Vrbem nunc fieri; ſed nihilominus geſtiebat animus ſcribere. Nam vt nihil meo labore cauſa Immaculatæ promoueretur, tamen religione ſoluebar, qua teneor pro meis, qualeſcūque ſint, viribus eam tueri. Memineram me ſub auſpicijs, & invocatione Immaculatæ Conceptionis in hanc lucem editum. Cum enim mater mea imminere partum iuxta naturæ leges præ-

ſenſiſſet, conferebat ſe quotidie ſub Solis occaſum in templum Conceptioni ſacrum Virginem deprecatura. Audierat videlicet eam parturientibus, quæ Immaculatam Cōceptionem invocarent, præſentiſsimam opem ferre, id quod ante mille ducentos annos memoriæ prodidit Paulus Oroſius Hiſpanus presbyter. Erat è regione domus noſtræ Collegium Societatis Ieſu, vbi frequens exhomologeſi, & ſynaxi operā dabat; & tamen fœmina alioquin vagandi inimica, hoc templo propinquiori prætermiſſo, in ædē Conceptioni ſacram longiuſculè à domo diſtantem, preſſa licet ventris ſarcina, ſeſe prorripiebat. Cum igitur quadam nocte in eo templo preces funderet, ſubito partus doloribus correpta eſt, tam diris, vt pene crediderit ſe ibi pariturā. Sed illis pauliſper remiſsis implorato Immaculatæ auxilio, quam feſtinè domū reuertitur, vbi paulò poſt me in lucem edidit, felicem, cuius natiuitas, ſi non in templo Immaculatæ peracta, tamen cępta eſt. Hæc ſimulatque mihi per ætatem licuit audire, & intelligere, agnoui me totum (quidquid ſum) Conceptionis Immaculatæ eſſe; vtpote cui debeam communis huius auræ, & lucis vſuram. Atque aliquando rem mecum tacitus conſiderans animaduerti diem etiam, quo natus ſum, commonere me huius erga tātum my-

ſterium obſeruantiæ, & obligationis; is enim fuit octauus menſis Octobris Sanctæ Birgittæ natalitio conſecratus, quam inter reliquos cælites nobiliſsima, & celeberrima Immaculatæ Cõceptionis reuelatione Spiritus Sanctus illuminauit.

3\. Creuit ergo mecum à teneris vnguiculis deuotio erga Immaculatã, & cum Academia mea Beatienſis anno 1618. ſolemni iuramento huius myſterij defenſioni ſeſe obſtrinxit; idem ego inter Magiſtros, & Doctores præſtiti, librumque rei geſtæ, & ſolemniſsimæ pompæ, feſtiuiſsimique apparatus, quibus Academia tunc Conceptionem coluit, ſcripſi, & typis mãdaui. Rurſus anno 1620. Licenciaturæ (ita vocant) honorem ſuſcepturus iterum iuraui; & tertiò, cum ad Doctoratum in Sacra Theologia eodem anno aſcenderem. Tunc enim eodẽ Sacramento iuxta eiuſdem Academiæ ſtatutum me obſtrinxi in manibus Eminentiſsimi & Reuerendiſsimi Domini D. Balthaſaris Cardinalis de Sandoual nunc Archiepiſcopi Toletani, & Hiſpaniarum Primatis, tunc verò Epiſcopi Giennenſis, qui vt me ſingulari fauore proſequeretur, dignatus fuit munus Cãcellarij ſubire, & me propria manu Doctorali annulo, & ſacris inſignibus ornare. Deinde cum in Alma Salmanticenſi Academia Baccalaurea-

tus honore decoratus fui anno 1624. iterum in Conceptionis Immaculatæ Verba iuraui iuxta eiuſdem vniuerſitatis ſanctionem. Denique in celebri Academia Toletana cum anno 1629. ad licentiæ gradum aſcenderem. Itaque quinquies hoc Sacramẽto me obſtrictum video. Et fortaſſe non facile invenietur, qui toties publico, & ſolemni ritu in diuerſis Academijs Immaculatæ Conceptioni nomen dederit. Tot ergo titulis obæratus tanto myſterio, quid agam, niſi arma capeſcens in prælium prodeam? At, inquis, te milite non eget Virginis immunitas, multos enim habet, & fortiſsimos, quorum virtute ſecura victoria eſt. Ita ſane. Sed nunquid ego propterea non teneor Sacramento? Vt ergo fidelis ſim, pugnabo, quamuis non neceſſarius.

Scopus meæ diſputationis eſt titulum *Immaculatæ* ſartum tectum ſeruare Marianæ Conceptioni. Vna in eum collineandi, atque ea recta, expedita, facilis via eſt, oſtendere Eccleſiam Romanam in feſto Conceptionis colere id, quod vox ipſa proprie ſonat, naturalem videlicet Virginis generationem ſeu animationem, qua anima eius corpori infuſa eſt. Hinc titulus planiſsime aſſeritur; non enim poteſt Eccleſia Conceptionem colere niſi Immaculatam, neque poteſt Immaculatam celebrare, & ei Immaculatæ titulum inui- 4.

dere.

dere. Quare aut tollendum de medio eſt officiū Conceptionis, aut Epitheton Immaculatæ prorſus, & vbique ſeruandum. Hæc eſt ſumma negotij noſtri, hic fructus laboris. Si tamen labor, aut negotium eſt, quæ in aperto ſunt digito monſtrare, & oculos habenti ſolem eſſe perſuadere. Quæcumque enim Conceptioni, quam celebrat Eccleſia, *Immaculatæ* titulum concedendum eſſe concludunt; apertiſsima ſunt, euidētiſsima ſunt. Quare ſine ſpe gloriæ pugnamus, ſi tamen pugnamus. Quæ enim pugna eſt aduerſus hoſtē prorſus imbellem? aut quæ gloria vincere inermem? Diſputationis victoria eſt obſtruſas res, & occultas luce perfūdere, ſoluere difficiles aduerſariorum nodos; at vbi patent omnia, ne diſputationis quidem nomen meretur oratio.

5. Sed age, quando cogimur meridianæ luci faces adhibere, oſtendemus in primis Eccleſiam Romanam à tempore Sixti Quarti Conceptionis feſtum celebrare; deinde naturalem ipſam, & corporalem Virginis Conceptionem colere; rurſus eam venerari, vt coniunctam cum gratia, & ab originali peccato præſeruatam; poſt hæc Gregorium XV. ſecundum hanc manifeſtam Eccleſiæ mentem præcipere, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine in officio diuino vtantur; atque hoc præceptum antiquius eſſe Gregoria-

no decreto, comprehendereque eos etiam, qui Conceptionem Immaculatam negant, quamuis liberos relinquat quo ad ſenſum priuatum, neque hoc præcepto Pontifices aliquam eis irrogare iniuriam, aut ſibi eſſe in ſuis decretis contrarios. Argumenta etiam aduerſariorum diluemus, & tandem manifeſtiſsimis Summorum Pōtificum teſtimonijs oſtendemus Eccleſiam Romanam Conceptionem Virginis titulo Immaculatæ condecorare. Sed antequam hæc omnia agrediamur, vtrumque libellum elencho, quaſi antidoto, intertextum, & teſellatum proponemus lectori, atque ibi monſtrabimus libellatorem paralogizare, ſecum pugnare, varium eſſe, & lubricum, Sedi Apoſtolicæ imponere, in Romanos Pontifices audacem eſſe, erroneas propoſitiones, & ab Eccleſia damnatas defendere, pœnaſque, & cenſuras á Summis Pontificibus decretas incurriſſe.

Sed quoniam de mente Romanæ Eccleſiæ litigamus, quid videlicet in feſto Conceptionis colat, quid ſub eo nomine intelligat (inde enim tota res pendet) non eſt quod à nobis expectet lector teſtimonia Sanctorum Patrum, & aliorum grauium Doctorum, á quibus titulo *Immaculatæ* Virginea Conceptio inſignitur. Quamuis enim hæc plurima ſint, & multum conducerent, tamē 6.

omi-

omittenda duximus; tũ quia paſsim obvia in authoribus, qui de Immaculata Cõceptione ſcripſerunt; tum maximè quia ipſa Romana Eccleſia ſatis ſuperq; in officijs ſacris ab ipſa approbatis, & in Summorum Pontificum decretis mentem ſuam aperit, vt ſupervacaneum ſit è riuulis aquã haurire, cum poſsimus ex fonte.

7. Ante omnia monitum volumus lectorem, nõ eſſe nobis bellum aduerſus Sacratiſsimam Dominicanàm familiam, quam ob egregia in Eccleſiam merita ſemper veneramur, ſed aduerſus authorem innominatũ vtriuſque libelli ſupplicis (nam ab eadem pharetra vtramque ſagitam emiſſam facile ſtylus ipſe perſuadet) hic an ſit ex eo ordine necne, affirmare non poſſumus, non tamen multum curamus. Neque enim quidquid à priuato Dominicano ſcribitur, totus ordo approbat, aut nomine eius ſcriptum fuiſſe cenſendum eſt. Ipſe ſatis ſe Dominicanum oſtendit, & vult haberi. Quod tamen per nos liceret, niſi etiam perſuaſum vellet nomine totius ordinis libellos porrectos fuiſſe, ſæpius enim Fratres Prædicatores inculcat, quaſi omnes eius ore loquantur. Quid, quòd neque etiam putamus, quos ipſe libellos ſupplices credi vult, veros eſſe, aut verè oblatos? ſed vt commentitio decreto fidem adſtrueret, titulo libelli honeſtaſſe ſcripta, quaſi

Cum

cum Sanctæ Inquiſitionis Cardinalibus loquatur. Cum tamen nihil minus credamus, quam vt auſus fuerit hoſce libellos ſupremis Iudicibus coram obtuliſſe, ſed ſcripſiſſe in eam ſpeciem, vt in vulgus ſparſi fidem facerent decreti hactenus occulti. Vt meritô de his vſurpare poſsimus illud comici.

Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.

Sed (quidquid ſit de hoc) illud nõ dubitamus hæc ſcripta neque confecta eſſe, neque oblata authoritate, & conſenſu ſuperiorum ordinis, ſed ſtudio, & ardore priuati alicuius. Id tria nobis perſuadent, primum quòd libellator noſter multum diſsidet à communi ſenſu, & doctrina Thomiſtarum, vt oſtendemus cap. 5. 7. & 10. Secundum quòd ſeniores huius ordinis ſententiam affirmantem B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, aut deſerendam eſſe, aut certè non multum de ea curandum, iam diu publico decreto cenſuerunt, de quò non nihil cap. 5. Tertium, quòd hæc ſententia non eſt ex eis opinionibus, quas ex condicto, aut ſuperiorum conſilio Theologi Dominicani tuentur. Imò olim permiſſu ſeniorum liberum eſt alumnis huius ſacræ familiæ, vt quiſque, quám maluerit partem, aut affirmantem, aut negantem teneat, aut etiam publicis ſcriptis confirmet. Quòd pro negante 8.

præſtitere quam plurimi ſanctitate, & doctrina cõſpicui, quorum cathalogum texemus in aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis propediem edendo. Merito ergo affirmare poſſumus libellos hoſce non fuiſſe ex conſenſu ſuperiorũ confectos, & oblatos, ſed opera, & cõſilio priuati cuiuſpiam. Quare iterum monemus lectorem non eſſe nobis litem cum ipſo ſacro Ordine, aut Thomiſtarum cætu; ſed cum ignoto homine, vt ſi quid aſperum, aut triſte pronunciauerimus, non in ipſam familiam, aut ſcholam, ſed in ſingularem authorem, eumque ignotum, dictum eſſe perſpicuum ſit.

DECRETA PAVLI QVINTI, & Gregorij XV. pro Immaculata.

CAPVT II.

1. TOtis viribus conatur libellator oſtendere prohibitionẽ, ne Conceptioni adiiciatur titulus Immaculatæ, fundamentum, & cauſam habere in decreto Gregorij XV. in quo iubet, vt omnes Eccleſiaſtici in officio diuino non alio quam Conceptionis nomine vtantur. Itaque prædictum decretum præcipua materies eſt noſtræ diſputationis, ideo ope-

ræ pretium erit integrum lectori ob oculos ponere, ita ergo habet.

Feria tertia die 24. Maij anno à Natiuitate Domini Noſtri IeſuChriſti MDCXXII. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali, coram S. D.N. Gregorio, diuina prouidentia Papa XV. ac Illuſtriſſimis, & Reuerendiſsimis D.D.S.R.E. Cardinalibus aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus à ſancta Sede Apoſtolica deputatis. 2.

Sanctiſsimus Dominus noſter auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſsimorum D.D. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, decretum aliàs editum à felicis recordationis Paulo V. eius prædeceſſore tenoris ſequentis videlicèt. 3.

Sanctiſsimus Dominus noſter, poſt longam, & maturam diſcuſsionem, auditis votis Illuſtriſsimorum, & Reuerendiſsimorum D. D. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquiſitorum, re accurate, & diligenter perpenſa, prouidè conſiderans, quòd quamuis in conſtitutione felicis recordationis Sixti Quarti, ſuper Conceptione B. Virginis Mariæ pro ſubmouendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à ſancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia conſtitutione Sanctiſsimi Pij V. ſuper eadem re, quas ſimiliter ſanctitas ſua innouauit, cum quibuſdam prouiſionibus, & adiectionibus pœnarũ pro efficaciori earum 4 Decretũ Pauli V.

obſeruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quòd ſcilicèt fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea; aut hæretica damnetur: nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmatiuæ, in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſenſiones. Propterea volens huiuſmodi ſcandalis, ex debito ſui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mādat, & præcipit omnibus, & ſingulis, cuius vis ordinis, & inſtituti Regularibus, & alijs quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis cuiuſvis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, etiamſi ſpecialis ſpecifica, & indiuidua earum eſſet neceſſario mentio faciēda; vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à ſancta Sede Apoſtolica fuerit difinitus, aut per ſantitatē ſuā, & Sedē Apoſtolicā fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publicis, aſſerere quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem, eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per huiuſmodi

tamen prouiſionem ſanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec illi vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquàm quoad ſupra diſpoſita. Vlterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mãdans, quòd negatiuam opinionem, videlicèt, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis acti bus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquomodo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorũ actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneãt, & exactè obſeruentur, per inde ac ſi præſens decretum non emanaſſet, & ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obſeruari, non obſtãtibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc ſuo præſenti decreto ex eiſdem cauſis euitandi ſcãdala, diſſenſiones, atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, & vt accepit, in aliquibus regionibus iã orta ſunt ex ſermonibus priuatis occaſione aſſertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis ne de cætero, donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica diffinitus, vel per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem Beatiſsima Virgo fuerit con- 5. Decretũ Gregorij XV.

cepta

cepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquomodo agere, ſeu tractare, exceptis tamen quibus à ſancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen ſanctitas ſua non intendit reprobare hãc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupra dicto felicis recordationis Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita. Eademque ſanctitas ſua voluit, & expreſſe mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi decretis nõ aduerſantur, conſtitutiones Sixti Quarti, Alexandri Sexti, & Pij Quinti eius prædeceſſorum ſuper Conceptione Beatiſsimæ Virginis Mariæ firmæ, & illibatæ remaneant, ac exacte obſeruentur perinde, ac ſi eiuſmodi decretum non emanaſſed. Et inſuper eadem ſanctitas ſua cũ ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ, & Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quam cuiuſvis ordinis, & inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis tam publice, quàm priuatim nõ alio quam Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem, ſanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus ac præfato decreto ſuorum prædeceſſorum ipſo facto incurrendis, & ita decreuit, & mandauit inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac

parte

Digitized by Google

parte conſtitutionibus ſupra ſcriptis, decreto præfato Pauli V. conſuetudinibus etiam in memorialibus, necnon omnibus, & ſingulis, quæ prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare, ac alijs quibuſcũque in contrariũ faciẽtibus volens, & decernens pro obſeruatione, & executione præſentis decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiuſmodi tranſgreſſores, etiam regulares cuiuſvis ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas, cuiſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, alijque ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quòd preſens decretum, ſeu illius exempla ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent, quòdque præſentiũ tranſumptis, etiã impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Andreas de Pettinis S. Rom. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

ASSERTVM DECRETVM Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, & duo libelli pro eius defenſione.

CAPVT III.

1. NVNC recto ordine ſequitur, vt decretum quòd ſub nomine ſanctæ Romanæ Inquiſitionis circunfertur, lectori ob oculos ponamus, bona fide ex manu ſcriptis ab Vrbe miſsis redditum.

Feria 4. die 20. Ianuar. 1644.

2. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Conuentu Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam, coram Eminentiſsimis, & Reuerẽdiſsimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica deputatis, Eminentiſsimi, & Reuerendiſsimi D. D. Cardinales Inquiſitionionis Generalis prædictæ decreuerunt, quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni Beatæ Virginis, nullo modo permitatur, ſed ſolum dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis, & ita obſeruari mandauerunt. Loco ſigilli. Ioannes Antonius Thomaſius S. Romanæ Inquiſitionis Notarius.*

Digitized by Google

Hoc decretum veré non emanaſſe à Congregatione Sanctæ Inquiſitionis Romanæ, ſed ab aliquo Immaculatæ Conceptionis aduerſario confictum fuiſſe, multorum perſuaſio eſt. Certe ſimul atque priuatim ſpargi cæpit, hanc ſuſpicionem ſubijt in ipſa Vrbe, vt eiuſdem decreti aſſertor fatetur libello ſecundo §. 29. eam autē vehementiſsimam eſſe multa ſunt quæ conuincunt. Primum quòd cum viuente Vrbano Octauo factum fuerit, latuit vſque ad tempus Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij Decimi, neque in Hiſpaniam peruenit, niſi poſt tres annos. Deinde, quia neque Romæ publicè, & legitimè promulgatum eſt. Rurſum quòd ea die factum dicitur, quàm ſacra Congregatio diuerſis longe cauſis deputatam habet, non ijs, quæ res fidei, aut religionis, & diuini cultus concernunt. Quarto, quòd longe abeſt ab ſtylo, & forma, quibus ædere ſua decreta conſueuit ſacra Inquiſitionis Cōgregatio. Quinto, quòd in Conuentu Mineruæ natum, vbi ſuper huiuſmodi rebus non decernitur, quæ ſpecialem Summi Pontificis præſentiam, & authoritatem requirunt. Eiuſmodi autem eſſe materiam huius decreti ambigendum non eſt, cum quidquid vnquam in controuerſia de Conceptione decretum fuit, vel immédiatè á Sede Apoſtolica manauerit, vt patet in pro- 3.

prijs motibus Sixti Quarti , Leonis X. Pij Quinti,& Pauli Quinti;vel in vniuerſali Concilio videlicèt Tridentino,vel præſente, & approbante imo præcipiente Summo Pontifice,vt in decretis Sãctæ Inquiſitionis ſub Paulo Quinto,& Gregorio XV.manifeſtum eſt.

4. Sed de hoc decreto alìàs.Nunc ſubijciemus duos libellos,qui ſub prætextu defendendi decreti prodierunt;cum tamen eo tendant, vt omnia miſceant, piam ſententiam ab ampliſsimo ſtatu,in quem à Sede Apoſtolica euecta eſt, deturbent,feſtum Conceptionis de medio tollant, nihil niſi vocabulum relinquentes.

LIBELLVS PRIMVS

Eminentiſsime,& Reuerendiſsime Domine

AD Agnoſcendum quam prouide S. Rom. & vniuerſalis Inquiſitio decreuit titulum Immaculatæ
1 *non eſſe addendum Conceptioni,ſed virgini, annotanda maxime eſt diuerſa acceptio huius nominis* Conceptio *ante Gregorium XV. & poſt illum. Licèt enim nomen* Conceptio *in ſuo proprio ſignificatu ſolum importet formationem fœtus in vtero; ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vſus huius nominis* Conceptio,*quòd* Conceptio Immaculata.*Vnde fratres Prædicatores ad fugiendam omnem equiuocationem, &*

melius propriam ſententiam explicandam, vtebantur voce ſanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quaſi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio, & ideo contẽderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione ſolemnitatis nõ alio quam Conceptionis nomine vterentur. Quòd Pontifex, vt cultus eſſet magis vniformis, conceſſit, innuens nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam. Quòd vt magis etiam inſinuaret, declarauit expreſſis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu, ac terminis quibus erat ante emanatum decretum. Et adhuc rurſus curarunt ijdem apud Vrbanum Octauum, vt declararet feſtum celebrari, non pro Conceptione quomodolibet accepta, ſed pro Conceptione Immaculata. Quòd conſtantiſsimè renuit Vrbanus, aſſerens quòd neque recedere à veſtigijs prædeceſſorun debebat, qui vtramque opinionem in ſua probabilitate relinquerant, neque affirmare poterat Gregorium oppoſita, & inter ſe pugnantia protuliſſe. Quòd ſi declaraſſet nomine Conceptionis, Immaculatam Conceptionem intellexiſſe, declaraſſet Gregorium, ſibimet fuiſſe contrarium, dum ex vna parte aſſerit ſe nullum præiudicium infferre velle opinantibus B. Virginem in peccato conceptam, & ex alia parte pluſquam notabile præiudicium ipſis inferret, iubendo, quòd Eccleſia vniuerſalis Conceptionem Immaculatam celebraret.

2. *Quis ergo non videat diuerſitatem ſtatus in acceptione huius nominis Conceptio ante Gregorium XV. & poſt illum? Hæc igitur diuerſitas in cauſa fuit, quòd adeò attentè poſt Gregorium curatum ſit, quòd nullo modo adderetur titulus Immaculatæ Conceptioni, ſed Virgini, ita vt nec etiam recitatiue hic titulus ipſi Conceptioni annecteretur; cum enim ſatis compertum eſſet aduerſariorum intentum eſſe, populis perſuadere, Eccleſiam præſeruationem definiſſe, dum voluit, quòd omnes ſub nomine Conceptionis celebrent, quaſi apud Eccleſiam idem eſſet Conceptio, & Immaculata Conceptio (iuxta prædictā vulgarem huius nominis acceptionem) ne populi in hunc errorem inciderent, prudentiſsime cautum eſt, quòd ſub Gregorij prædeceſſoribus non adeo cauendum erat, quia tunc licitum vnicuique erat vti quo volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vnico nomine Conceptionis hoc feſtum celebraretur.*

3. *Vnde non eſt mirum, quòd aliqui Pontifices ab aduerſarijs citati aliquando recitatiue addiderint titulum* Immaculatæ *ipſi Conceptioni. Cæterum non ita Vrbanus Octauus Gregorij ſucceſſor, vt videre licèt in Bulla, quæ incipit* Imperſcrutabilis, &c. *Quæ erigitur Religio Militaris ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ, vbi nunquam titulus* Immaculatæ *adiungitur Conceptioni, ſed Virgini, & hoc ex ſpeciali mandato ipſius Vrbani.*

4. *Præterea cum ex officio Summus Pontifex prouidere*

debeat ne aliqua Doctrina, ſeu aſſertum aliquod reputetur vniuerſalis Eccleſiæ ſenſus, ſi de eius veritate dubitari poſsit, & oppoſitum ab ipſo Pontifice tãquam verũ & ab eadem vniuerſali Eccleſia tenendum poſsit definiri. Cum igitur opinio præſeruationis Deiparæ à peccato originali dubia ſit, & oppoſitum poſit ab Eccleſia definiri, & nihilominus Romani Pontifices iuſtis de cauſis iudicauerint, ſilentium imponere defendentibus Conceptionẽ in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquijs, cum ſæcularibus liceat ipſis de hac materia diſſerere; inſenſibiliter eo deueniret negotium, vt vniuerſa Eccleſia præter ordinem Prædicatorum haberet veritatem præſeruationis, tamquam certam, & ab Eccleſia definitam. Cogitur ergo ipſa Eccleſia vti huiuſmodi cautelis ad ſuſtinendum opinionem adeò in ſacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum conſenſu firmatam.

Concluditur ergo, quòd non valet argumentum ex 5.
permiſsione ab Eccleſia facta ante Gregorium XV. & poſt illum; quia ſtabilitur per Gregorianum decretum, quòd omnes nomine Conceptionis vtantur. Curandum magis eſt quàm antea, vt nomen maneat in ſua indifferentia, & non vſurpetur, vt antea pro Conceptione Immaculata: ne intelligatur Eccleſiam velle, quòd omnes ſub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.

Dicunt authores oppoſitæ ſententiæ iure cautum eſſe, 6.
ne in Eccleſiaſtico officio, ſeu Pontificijs conſtitutionibus

addatur terminus Immaculatæ, *cum adhuc Eccleſia non diffinierit controuerſiam; cæterum cum eadem Eccleſia libere permitat illis, quòd publice, & priuatim poſsint de ea loqui, illamque defendere, quòd tamen prohibet alteri parti; cur non poterunt etiam illam typis mandare, & diuulgare, non quaſi rem diffinitam, & certam, ſed piam, & probabilem?*

7. *Ad quòd dicimus in præſenti non controuerti de impreſsione opinionis, ſed inhærendo decretis Pontificijs reſcripſit ſacrum Tribunal Inquiſitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum* Immaculatæ, *ne videlicèt per adiunctum epithetum diſtrahatur ſenſus huius nominis* Conceptio, *quòd de ſe indifferens eſt, à proprio ſignificatu; idque præſertim in impreſsione, quæ præſe fert approbationem Miniſtrorum Sanctæ Sedis, Inquiſitorum ſcilicèt, ſeu Magiſtri ſacri Palatij, quòd non contingit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.*

8. *Vel ergo reuocanda eſt Gregorij XV. Bulla, vel omnia poſt ipſum acta, & præfatæ Bullæ inhærētia decreta, prout eſt illud, de quo cōtrouertitur, ſunt omnino ſuſtinēda, &c.*

LIBELLVS SECVNDVS.

Eminentiſsimi, & Reuerendiſsimi Domini.

De titulo Immaculatæ tribuendo Beatiſsimæ Virgini,
1. *non autem Conceptioni Decretum extat Sanctæ Roma-*

næ Inquiſitionis, cuius arcana conſilia obſequi fideles debent, non ſcrutari; hoc tamen nonnullos parum conſideraſſe, porrectæ ſcripturæ, ac libelli ſupplices ſatis ſuperque manifeſtant. Et licet ea ſit Eminentiſsimorum Patrum ſapientia, & huius ſupremi Senatus auctoritas, vt quæ vniuerſali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen fratres Ordin. Prædicat. in eiuſdem decreti, & ſolidæ veritatis obſequium expendenda humiliter proponunt, vt ſubinde colligatur, quam valida ſint, quæ pro eodem decreto infringendo congeſta fuere.

Recolendum primo, quod in re, de qua agitur, plura pro temporum circumſtantijs à Summis Pontificibus ſtatuta fuerunt, vt à diffinitione abſtinentes, & vtramque ſententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas fidelium turbas prouide componerent. 2.

Ante decretum fel. record. Gregor. XV. de officio recitando ſub nomine Conceptionis, retenta à Dominicanis voce ſanctificationis ex nominum diſtinctione inferebatur opinionum diſtinctio, ita vt Conceptio præſeruationem apud eius vocis aſſertores importaret, ſanctificatio vero alteram ſententiam exprimeret; itaque tunc idem erat apud illos dicere Conceptio, ac Immaculata Conceptio, *& fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis æque abſtinebant, vnde Sixtus IV. Pontifex, vbi damnat impugnantes recitatores officij Leonardi de Nogarolis,* 3.

Nihil de titulo ab authore impoſito ſolicitus fuit: intentum enim Pontificis fuit, vt illa ſententia non damnaretur, nec officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur; cui deinde cætera Summorum Pontificum decreta, ad vtriuſque ſententiæ probabilitatem ſeruandam peculiariter directa, adhæſerunt. Sed cum adhuc contentiones exardeſcerent, affirmatiuè opinantibus à Paulo Quinto ſilentium indictum eſt.

4 Demum (quòd Spiritus Sancti aſſiſtentiam Summo Pontifici in Eccleſiæ regimine mire demonſtrat) dum aduerſarij ſub Gregorio XV. Summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt, decretum prodijt vtrãque ſententiam in ſua probabilitate confirmans, cuius vigorè fratres Prædicatores nomine Conceptionis ſanctificationem intelligunt, aduerſarij præſeruationem.

5. Hoc igitur decreto ſyncere, & vt iacet, inſpecto, quo directe omnibus iniungitur, vt in officio non alio quàm Conceptionis vtantur nomine; falluntur, qui putant, Dominicanos tantum ligari, vt à nomine ſanctificationis abſtineant. Decretum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris eſt, omnes inſtruit, omnibus præcipit, & voces omnes, præter Conceptionem, excludit.

6. En ergo temporum diſtinctio neceſſario attendenda, ſiquidem aliquando idem erat dicere apud plures, Conceptio, & Immaculata Conceptio, & poſt Gregorium non idem ſonat, ac proinde quæ de Sixto Quarto alijſque Pontificibus ante Gregorium XV. afferuntur,

Digitized by Google

quoad titulum Immaculatæ Conceptionis anachroniſmi fallaciam continent.

Ex quo patet, quod præcipuum aduerſariorum argumentum deſumptum à conceſsione officij Nogarolis facta à Sixto Quarto tantum abeſt, quòd vrgeat poſt Gregorium XV. quòd imo hiſce temporibus officium illud videtur non eſſe amplius recitandum, quia expreſſe alio vtitur, quàm Conceptionis nomine, hoc eſt, præſeruationis, & Immaculatæ Conceptionis: cum enim actus priores corrigantur per poſteriores, Gregorij XV. decreto abrogata huiuſmodi conceſsio videtur, & per conſequēs pœna aliàs pro temporis exigentia vſum dicti officij improbantibus impoſita. Sit argumentum rem ita euincens. 7.

Nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente ſententia negante Immaculatam; ergo non eſt nomen, cui apponendum ſit adiectiuum Immaculatæ; ergo ſi dixerim Conceptio Immaculata, *vtor alio nomine quàm Conceptionis, ergo ſi recitē officium Nogarolis, decretum Gregorianū frango.* 8.

Nec valet quod dicitur alios Summos Pontifices poſt Sixtum Quartum, atque etiam ſacrum Concilium Tridentinum Sixti Quarti conſtitutiones confirmaſſe; ſcopus enim confirmationis eſt, vt neutra opinio cenſuræ ſubdatur; non autem vt officium Nogarolis confirmetur; & quòd præcipue attendendum eſt, implicat confirmationē Gregorij cadere ſub his, de quibus ipſe aliter expreſſe diſponit. 9.

Digitized by Google

10. *Inſuper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit, quàm vtramque partem controuerſiæ indefinitam relinquere, & contentionum occaſiones reſecare ſub pœnis à Sixto Qarto taxatis; non autem approbare voluit officium Nogarolis.*

11. *Hoc patet euidenter, nam ſanct. mem. Pius V. dum officium Nogarolis in reformatione Breuiarij in officium Natiuitatis commutauit, profitetur expreſſè in conſtitutione,* Quòd à nobis, &c. *Se Concil. Tridentino inhærere; itaque receſſiſſet potius à Concil. in huiuſmodi reformatione, ſi Concil. præfatum officium confirmare voluiſſet.*

12. *Additur, quod expuncto à Romano Breuiario officio prædicto gratis è vulgatum eſt Idem officium à Pio V. viuæ vocis oraculo fratribus Minoribus fuiſſe cõceſſum, numquam enim huiuſmodi oraculi legitimum protulerunt, aut proferre poſſunt, documentum; imò ex oraculi propriorũ officiorum illius Ordinis inſpectione euidenter concluditur conceſſionem Pij V. non includere Nogarolis officium, ſed aliquot annis à morte Pij V. tranſactis prodijt priuata quædam impreſſio dicti officij oraculo prædicto inſignita. Ex quo colligi poteſt, quàm facile pietatis prætextus impoſturas paret. Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, noluit officium illud tamquam ex Apoſtolicæ ſedis authoritate recitari.*

13. *Reliquæ vero aſſertæ ſummorum Pontificum conceſ-*

ſiones

ſiones, cum oraculum Pij V. ſupponant iuxta petentium ſuppoſitionem, huius defectu obreptionis vitio laborare videntur.

Quæ quanti ponderis ſint Eminentiæ veſtræ dignentur expendere. Hoc vnum, quòd ad rem attinet, Religioſiſsimè obſeruandum videtur, ne expreſſe ab Apoſtolica Sede officium Immaculatæ Conceptionis approbetur, eiuſque titulus concedatur, excludendus, niſi & Gregoriano decreto, & alteri controuerſiæ parti præiudicium illatum velint. 14.

Sub initium Pontificatus recol. mem. Vrbani Octaui. Id validiſsimæ conquiſitum fuit magnorum Principum coaceruatis inſtantijs, vt & feſtum, & officium Immaculatæ Conceptionis cõcederetur. Quæcumque tunc de Sixto IV. alijſque allata ſunt, nunc ipſiſsimis penè verbis refricantur, vt facilè inferri poſsit petitionis variari prætextum, non ſenſum. Poſt adhibitas conſultationes ſumma decreti fuit, nihil agendum in alterius ſententiæ præiudicium, & ideo nihil omnino fuit conceſſum. 15.

*Annotanda ſecundò eſt inſignis, quæ fit, æquiuocatio. Quòd enim aliquando fidelium pietati quoad officium Immaculatæ Conceptionis permiſſum eſt; imo conceſſum (nec enim Conceſsionis * vocabulũ reformidamus pro ijs temporibus, quibus etiam officium ſanctificationis à Summis Pontificibus, & ſignanter à Iulio Tertio conceſſum, & approbatum fuit) pro ſenſu Eccleſiæ Catholicæ firmatur, Eccleſiaſticæ conſuetudinis titulo confidentiſsimè decoratur* 16.

* Aliàs Cõceptionis

& quàm ſtrictè, & rigorosè ſumatur ab ipſis, patet, dum ſanctorū Patrū authoritati diſſerte præſertur. Quæ, ſi attentius inſpiciantur, ita rē deſcribunt, vt Immaculatam Virginis Conceptionem iam Eccleſiæ authoritate definitam ſupponant.

17: Epiſt. ad Lugdun. lib. de perpetua virginitate Virginis 3. p. q. 27 art. 1.

Sed Eccleſiæ ſanctæ fixa eſt, & perpetua conſuetudo colendi non niſi certam, & indubitam ſanctitatem, quòd pro comperto habent Sanctus Bernardus, Sanctus Ildephonſus, & S. Thom. qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuiſſe tradunt, quia Eccleſia ab antiquo eam celebrat; numquam ergo dici poteſt ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam; hoc enim adhuc eſt indefinitum, atque ideo dubitationi ſubiectum. Qui aliter dixerint, videant, quomodo hæreticorum os obſtruere valeant, qui aduerſus infalibile Eccleſiæ iudicium calumnias ingeminant.

18. tom. 2. lib. 3. de cultu ſanctorum cap. 16. 3. p. q. 27 art. 2. ad 3.

Recte Bellarminus Chemnitio reſpondens arguenti, nos celebrare, quòd neſcimus, dum fatemur controuerſiā de Conceptione adhuc indeciſam, obiectum, ait, primariū cultus in hac celebritate eſſe primam gratiam Virgini collatam abſtrahendo à tempore, vel inſtanti quo collata fuerit. Quod hauſit ex Diuo Thoma docente celebrari officium Conceptionis ratione ſanctificationis eius factæ in vtero matris, quia enim incertum eſt, quo die, quo ve temporis momento eius ſanctificatio facta ſit, recte Eccleſia memoriam eius agit die anniuerſario Conceptionis. Non inſtituuntur ab Eccleſia feſtiuitates Iuxta has, vel

illas,

illas, quæ falli poſſunt, opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione poſita non proponitur colenda, primò enim, & perſe reſpicitur obiectum cultus, ſecundario vero populorum pietas.

Quare neceſſario dicendum eſt ſanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur in Eccleſia Catholica, & iuxta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ non eſſe illam, quàm aliqui in primo inſtanti ponunt, nec illam, quæ ab alijs ponitur in ſecundo inſtanti, quia vtrumque dubium, & opinabile eſt, & à parte rei aliter ſe habere poteſt; ſed eſt illa ſanctitas pro inſtanti illo, quo vere fuit ſancta. 19.

Ex his corruit argumentũ à verbis reſponſorij deſumptum: Quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem, *facta vi quòd idem ſit ſanctum, & Immaculatum, vt inferatur Eccleſiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat eam ſanctam. Vox* ſancta *in ſenſu ab Eccleſia intento, tam primum, quàm ſecundũ inſtans complectitur, ſiue vt abſtrahit à primo, vel à ſecundo, & cum ſit terminus poſitiuus, ſufficit, vt in altero inſtanti verificetur. Vox autem* Immaculata *exprimit ſanctitatem per negatiua, hoc eſt per negationem cuiuſcumque maculæ; ideò videtur excludere maculam pro quocumque inſtanti, & per conſequens minus apte, & minus proprie ad vtrumque inſtans referri poteſt.* 20.

Sed etſi omnino idem eſſet Sanctum, & Immaculatum non ſequitur: per hoc inſtans Conceptio dicitur ſancta, ergo dici poteſt Immaculata. Ratio eſt, quia vox Sancta, 21.

neutri

neutri opinioni eſt alligata, & vere conuenit Conceptioni Virginis pro eo inſtanti, quo fuit ſancta; vox autem Immaculata, eſt alterius opinionis proteſtatiua, quòd probatur ad ſacietatem ex ipſa aduerſariorum ſcriptura, & ex eorum ſupplici libello, vbi clariſsime per Immaculatam Conceptionem ſententiam, quàm ipſi tuentur, intelligunt, & cuius definitionem hiſce artibus ſaltem indirectè extorquere contendunt. Itaque vox Immaculata, cuius vſum petunt, non ſe habet indifferenter ad vtrumque inſtans, ſicut vox ſancta. Ideo ante controuerſiæ definitionem ab illa voce abſtinendum, vel certe non eſt poſitiua Eccleſiæ approbatione promenda.

22. 3. diſt. 3. diſp. de Cócept. Indulgentiarum conceſsiones obijciunt, non ſecus, ac ſi illæ controuerſiam dirimerent, argumentum decantatum, cui occurrit Guillelmus Eſtius Doctor Duacenſis, dicens: indulgentias non eſſe conceſſas opinioni, ſed pietati. Nouimus equidem in huiuſmodi conceſsionibus titulos Eccleſiarum confraternitatum, &c. ſupponi, non diligenter exquiri. Si quis colligeret, & in argumentum redigeret indulgentias obtentas titulo Epiſtolæ à Meſanenſibus B. Virginis Mariæ adſcriptæ, iam non eſſet inter Apocrypha reijcienda, ſi hæc authoritas vrgeret.

23. Imo quòd propius ad rem noſtram accedit, dum actu aduerſus titulũ Stellarij Immaculatæ Conceptionis Apoſtolica Sedes dignis de cauſis inſurgit, confraternitates delet, & publicum eius exercitium pœnaliter prohibet; innumeræ extorquentur indulgentiæ: ergo Stellarij confra-

terni-

ternitates authoritate Eccleſiæ firmantur ſimul, & abrogantur. Hæc magis vrgent, vbi de expreſſe vetitis agitur. In controuerſia de Conceptione Eccleſia Mater piā fouet intentionem vtriuſque partis opinantium ſine præiudicio veritatis, & non intellectuum aſſenſus, ſed voluntatis pios motus ſpiritualibus fauoribus proſequitur.

Subditur approbatio voti quarundam Monialium ſub titulo Immaculatæ Conceptionis; ſed idem reſpondemus, approbationem ſcilicèt ad vouentium pietatem referri, non ad titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantum, non vero diſpoſitiuè; nec inconuenit approbari Religionem particularem, quæ erga piam & probabilem opinionem deuotionem gerat; non enim aliquod falſum approbatur; dum pius modus viuendi, nō modus opinandi, comprobatur. 24.

Magna vis fit in eo, quòd Summi Pontifices quomodocumque aliorum, vel pietati, vel opinioni obſecundātes, titulum Immaculatæ Conceptionis in ſuis Bullis admiſerunt, quamuis recitatiuè; non tamen illi definitiuè adhærendo; quare ergo titulum eundem non admittet Summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo, & ita opinantium pietatem tantummodo pie fouendo? quæ totius obiectionis ſumma videtur. 25.

Sed & nos interrogando obiectionem ſoluemus antiquiora repetentes. Nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiue, nec dubitanter, ſed aſſertiue, & 26.

clare

clare docent Beatiſsimam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Damus pro nuc Innocentij ſecundi verba. Eua ſiquidem ſine culpa producta, ſed filios produxit in culpa; Virgo autem glorioſa, fuit quidem in culpa producta, ſed filiũ ſine culpa produxit. *Innocentij Tertij*: Spiritus Sanctus prius in Virgine venerat, quando in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit. *Innocentij V.* Beata Virgo fuit in vtero matris ſanctificata, non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipſa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxiſſet, & ſic non eguiſſet vniuerſali Chriſti redemptione, quòd non eſt dicendum, ſed pie conſiderandum eſt, quòd cito poſt animationem, vel ipſa die, vel hora, non tamen ipſo momento à peccato fuit per gratiam mundata, & ſanctificata; aliter fuiſſet æqualis puritatis cum Chriſto, hoc nõ eſt dicendum.

27. *Quare ergo Sanctiſsimus D.N. Innocentius X. Innocentios prædeceſſores (quomodocũque locuti fuerint) laudabiliter non ſequetur? quidquid pro reſponſo afferatur, & noſtram, & ipſorum obiectionem ſoluet. Status quæſtionis, temporum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pontificum decreta attendenda ſunt. Hæc loquendi formulas prudenter, ac prouide moderantur, atque præſcribunt.*

Ha-

Habemus euidens experimentum nullatenus præter eundum. Erigitur à fel.record. Vrbano Octauo Religio militaris, ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ inſtantibus Ducibus Mantuæ, & Niuernienſi, quoties titulus exprimitur in Bulla incipien. Imperſcrutab. *diligentiſſimè cauetur, vt verbum* Immaculatæ *iungatur Virgini, non autem Conceptioni, & cum in aliqua impreſsione domi tunc facta titulus Immaculatæ Conceptionis vel per errorem, vel fraudem irrepſiſſet; ſedulo mandante Papa emendata fuit, & recollecta, vt probe intelligamus Vrbanum noluiſſe in præſenti ſtatu quæſtionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo, non tantum diſpoſitiuè, ſed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatẽ referendo, cum tamen Iulij Secundi, Leonis X. Sixti Quarti non ignoraret exempla.* 28.

Hinc patet decretum, imo decreta à Sacra Cogreg. ſub eodem Summo Pontifice Vrbano Octauo, emanata circa titulum hunc, non eſſe aliquorum priuatum inuentum, quòd nonnulli auſi ſunt ſuſpicari; ſed ipſius Summi Pontificis rem Apoſtolico zelo expendentis mandatum. 29.

Recentiora ergo, ex vtraque parte ſequenda ſunt, nam ſi vetuſta reuoluantur, plura multò pro Fratrum Prædicatorum, hoc eſt S. Thomæ ſententia, quàm pro oppoſita extabunt, quæ modo reticentur, cum de principali quæſtione non agatur; nec nos ad apocryphas Apoſtolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus. 30.

31. *Baſileenſem Conuentum in hac parte meritò reſpuimus, nec decet Romanam ſedem accipere formulam ab acephalis, qui illud ipſum decretum in odium deſenſorum Rom. Eccleſiæ tulerunt, vt proteſtatur Cardinalis Turrecremata in Summa de veritate Conceptionis ad calcem.*

32. *Cum Patribus Græcis ſentimus omnino Immaculatã Conceptionem Virginis, ſed iuxta relatum Menologium, editum à Genebrardo; quod ſi videatur, æquiuocationẽ oſtendit. Conceptio Virginis ponitur 25. die Martij; nono vero Decembris ponitur Conceptio B. Annæ. Conceptionẽ ergo actiuam, qua Chriſtum Virgo concepit, quis neget Immaculatam? ſed vbi agitur de Conceptione paſſiua, qua in vtero Sanctæ Annæ Virgo fuit concepta, Menologij authoritas vel inutilis eſt, vel deprauata.*

33. *Imperiti concionatores diſcant hæc populis licenter obtrudere, ſed frequenter in ſancto Officio temeritatis pœnas luunt; de viris doctis iudicium ferant alij, non ideo eorum conciones approbantur, quia non expreſſe damnantur.*

34. Baron. ad ann. 359. nu. 42. & 49. *Vniuerſitatum, Doctorum, aliorumque opinantium obijcitur multitudo, ſed vota ponderanda ſunt, non numeranda, nec populorum conſenſus diffinitiones fidei facit, vel cogere poteſt, vt fiant. Arriana hæreſis ferè in omnes inualuit, & teſte Sancto Hieronymo, ingemiſcens totus Orbis Arrianum ſe eſſe miratus eſt. Sub Pontifice B. Stephano tota fere Eccleſia, duobus tantum, vel tribus*

Epiſcopis reſiſtentibus, in anabaptiſmum abijt. Quia tamen non adfuit Summi Pontificis conſenſus, in quo infallibilitatis priuilegium reſidet, Eccleſia non errauit, nihilominus mirum eſt, quò in huius quæſtionis ardorem ducti fuerint Patres Salazar, & Valentia, aliàs expendendi, vna cum ijs quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur, præſentis enim inſpectionis non ſunt.

Agitur præciſe de titulo Immaculatæ non Conceptioni, ſed Virgini annectendo ex decreto Sac. Congregationis ad mentem Gregorij XV. & Vrbani Octaui. Quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur; ſi licèt ſcribere, & typis mandare propoſitionem hanc, B. Virgo fuit immunis à culpa originali, quare non licet ſcribere, hæc verba Conceptio Immaculata? *vel ſenſus eſt idem, vel non; aſsignetur ergo, in quo differunt; ſin minus, decretum reuocetur.* 35.

Sed reſpondemus hæc duo differre in modo ſignificandi. Propoſitio enim, quæ affirmat, vel negat, indicat ſenſum, vel opinionem priuatam proferentis; terminus vero complexus, præſertim vero epithetum, ſeu attributum, importat Principis, vel Vniuerſitatis approbatiuum conſenſum, vt cū dicimus Magnus Dux *aliud cōcipitur, quā ſi dicatur: hic Dux eſt magnus, vel Suarez eſt magnus Doctor; aliud ſonat vox,* magnus, *quàm vbi dicitur Albertus Magnus; enuntiatio indicat ſenſum enuntiantis, ſimplex prolatio illius termini, magnus, indicat* 36.

communem,& approbatum conſenſum: habet ratione modi ſignificandi energiam quandam, & eſt antonomatice dictum. Ita ſi liberè ſcribatur Conceptio Immaculata, facile cenſeri poteſt ex communi, imo ex Eccleſiaſtico conſenſu ſtatui veritatem illius partis controuerſiæ; quod ante definitionem omnino fugiendum eſt; hoc autem in propoſitione non contingit, vt dictum eſt, quia refertur ad priuatam ſcribentis ſententiam; ideo rationabiliter vnũ admittitur, & aliud prohibetur.

37. *Diſcrimen hoc ratione ſuadetur; nam termini ſunt principia ſermonum; in principijs autem omnes conueniunt, quæ ergo proferuntur per modum termini, videntur omnem controuerſiam excludere. Itaque abſolute Conceptio Immaculata vniuerſalem acceptionem ſignificaret, vel ſupponeret Conceptionis in primo inſtanti Immaculatæ, ita autem omnes ſentire nedum falſum eſt, ſed ex ſingulis Pontificum decretis liberum eſt aliter opinari.*

38. *Imò, dato, & non conceſſo, quòd non differant propoſitio, & titulus quoad ſenſum; adhuc tamen locus eſt illam permittendi, hunc vero prohibendi: quòd euidenter probamus: differunt idiomate tantum, nõ ſenſu, hæ duæ propoſitiones: B. Virgo non contraxit maculam originalem,* & la B. Vergine non ha contratta la macchia originale; *ex decreto tamen Pij V. prima propoſitio ſcribi poteſt, non autem ſecunda, verba Pij ſunt hæc:* Nemo de hac ipſa quæſtione cuiuſvis pietatis, aut neceſsitatis prætextu, vulgari ſermone ſcribere,

vel dictare præſumat. *Sola ergo idiomatis differentia ſufficit, vt Pontifex ex duabus idem omnino ſonantibus propoſitionibus alteram permittat, alteram vetet ad vitandas rudium, & ſimplicium contentiones; ita ad eundem finem permittuntur quidem Impreſſiones propoſitionis negatiuæ, ſed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet eſſet idem vtriuſque ſenſus, alia tamē eſt ratio tituli, quem, & rudes omnes intelligunt, præſertim in librorum titulis oculis omnium per vijs, qui facile ex eorum, approbatione, & impreſſione controuerſiam deciſam putabunt, & vere deciperentur.*

Animaduertendum etiam obiter, quòd quæ imprimūtur, requirunt ſuperiorum approbationem, itaque res impreſſa non nihil ponderis, & authoritatis ex imprimendi facultate ſibi comparat, preſertim in Vrbe, vbi Magiſter ſacri Palatij eſt immediatus miniſter Summi Pontificis; extra Vrbem Inquiſitores ſunt Apoſtolicæ ſedis delegati. Quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de fide, ſed ita roborant, vt ex Apoſtolicæ ſedis authoritate publici iuris facta cenſeantur, nec ignari tantum, ſed etiam viri docti in hac materia paulò feruentiores, quid argumenti non ſumerent ex Romana impreſſione, ſi ex his, quæ concionatores in ſacello Pontificio loquuntur, ſibi ipſis non leuiter blandiuntur? 39.

Si in hac materia decretum ſacræ Congregationis ad magni Principis inſtantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia quam in reliquis conſimilibus decretis exigit 40.

eadem ſacra Congregatio, fortaſſe minuetur; hoc enim exẽplo improbus quiſque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.

41. *Etſi titulus vniuerſaliter interdictus poſt modum in iudicio contradictorio cõcederetur, iam tubis inflatis victoriam principalem canerent ij, qui vel inuito Summo Eccleſiæ Præſide victores eſſe contendunt.*

42. *Demum hoc humillime ſubijcimus, in re tam graui ſola dubitatio ſufficere poteſt, vt nihil vlterius innouetur, maximè cum nihil præter deciſionem agendum ſuperſit.*

ELENCHVS, SEV CASTIgatio prioris libelli.

CAPVT IIII.

1. QVAMVIS præcipua, quæ in his libellis aduerſus titulum Immaculatæ continentur, infra iuſtis capitibus ſint à nobis examinanda, & diluenda: tamen operæ pretium viſum eſt ſingulis particulis, vt eas diſtinxit author, cenſuram, & examen noſtrum breuiter ſubijcere, vt ſtatim poſt nodũ inueniat lector ſolutionem, expeditiuſque iudicet ſingula ſingulis conferens, hac enim ratione facilius veritas

deprehenditur, dum quaſi in trutina ſingilatim vtriuſque partis momenta examinantur,&cuius pōderis vnaquæque ſit, dignoſcitur. Adde quòd multa ſunt in his libellis, quæ ad præcipuum diſputationis argumentum non ſpectant, quibus tamen vtcumque per tranſenam reſpondendum fuit, ne ſilentium noſtrum aduerſarius victoriã ſuam interpretetur. Denique ſubiectus cuilibet periodo elenchus, aut lectorẽ plenè inſtruet, aut cõpendio inſtructũ; ad caput huius libri vbi ea de re vberius diſeritur, amandabit. Itaque in dicis loco erit. Nunc à priori libello faciamus initium.

LIBELLVS PRIMVS, Num. 1.

AD Cognoſcendum, quam prouide ſancta Romana, & vniuerſalis Inquiſitio decreuit titulum Immaculatæ, non eſſe addendum Conceptioni, ſed Virgini, annotanda maximè eſt diuerſa acceptio huius nominis Conceptio, *ante Gregorium XV. & poſt illum. Licet enim nomen* Conceptio *in ſuo proprio ſignificatu, ſolum importet formationem fætus in vtero, ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vſus huius nominis* Conceptio, *quòd* Conceptio Immaculata, *vnde Fratres Prædicatores ad ſugiendam omnem æquiuo-* 2.

cationem, & melius propriam ſententiam explicandam vtebantur voce ſanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quaſi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio, & ideo contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione ſolemnitatis, non alio quàm Conceptionis nomine vterentur, quòd Pontifex, vt cultus eſſet magis vniformis, conceſsit innuens nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens, ad vtramque ſententiam, quòd vt magis etiam inſinuaret, declarauit expreſsis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum. Et adhuc rurſus curarunt ijdem apud Vrbanum Octauum, vt declararet feſtum celebrari non pro Conceptione quomodo libet accepta, ſed pro Conceptione Immaculata, quòd conſtantiſsimè renuit Vrbanus aſſerens, quòd neque recedere à veſtigijs prædeceſſorum debebat, qui vtramque opinionem in ſua probabilitate reliquerant, neque affirmare poterat Gregorium oppoſita, & inter ſe pugnantia protuliſſe. Quòd ſi declaraſſet ipſum nomine Conceptionis Immaculatam Conceptionē intellexiſſe, declaraſſet Gregorium ſibimet fuiſſe contrarium, dum ex vna parte aſſerit ſe nullū præiudicium inferre velle opinantibus Beatam Virginē in peccato conceptam, & ex alia parte pluſquam notabile præiudicium ipſis inferret iubendo, quòd Eccleſia vniuerſalis Conceptionem Immaculatam celebraret.

Digitized by Google

§. I.

LIBELLATOR IMPONIT GREGORIO XV. Vrbano Octauo, & Oratori Regis Catholici.

DIVERSA acceptio Cõceptionis ante Gregorium XV. & poſt ipſum, quàm maximè annotandam dicis, merum figmentũ eſt. Semper enim à Sixti Quarti inſtitutione Eccleſia in Officio diuino celebrat naturalem Virginis Conceptionem, qua anima eius infuſa eſt corpori, atque hanc vt Sanctam, & Immaculatam veneratur, vt perſpicuis argumentis oſtendemus capite ſexto, ſeptimo, & octauo. Hunc ſenſum retinuit Pius V. in reformatione Breuiarij, vt docebit caput nonum, eundemque ſtabiliuit Gregorius XV. in ſuo decreto, vt diſces ex capite vndecimo. Tu nouam Conceptionis acceptionẽ cudis, qua ſignificetur quid dam indifferens ad vtramque ſententiam, nempe (vt aliquando explicas) ſanctificationem præciſe ſumptam, & à tempore abſtrahentem. In quo quidem tripliciter peccas, primum recedis à doctrina Diui Thomæ, & omnium Theologorum, vt oſtendam capite decimo; deinde defendis errorem à Sixto IV. Alexandro VI. & Concilio Tridentino damnatum. Dum enim aſ 3.

ſeris Conceptionem in Officio diuino accipi pro ſanctificatione præciſè ſumpta, aſſeris coli dumtaxat ſpiritualem Virginis Conceptionem, ſeu ſanctificationem; cui aſſertioni erroris notam inuſit Sixtus, & Alexander, & confirmauit Tridentinum, vt conſtabit ex capite ſeptimo. Denique huius erroris (ſi ſuperis placet) auctorem facis Gregorium XV. dum contendis ipſum ſuo decreto innuere nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiā, intelligens videlicet de ſola ſanctificatione. Vide quibus cæmentis ſtructura tua nitatur, quibus armis Immaculatam oppugnes.

Sed bene eſt, quòd abſque vllo prorſus fundamento tribuis Gregoriano decreto illam Cō-
4. ceptionis ſignificationem. Sane occaſio illius ſtatuendi, quam tu narras, ſatis te docere potuit verum eius ſenſum. Inualuerat vſus intelligendi nomine Conceptionis Immaculatam. Fratres Prædicatores, ne viderentur eam celebrare, cauebant ab hac voce, & ſanctifitionis vocabulo vtebantur, & ideo *contenderunt* (inquis) *fautores Immaculatæ apud Gregorium, vt præciperet omnibus, ne alio quam Conceptionis nomine vterentur in Officio diuino, quod Pontifex conceſsit, vt cultus eſſet magis vniformis.* Quid obſecro ex hoc facto ſequitur, niſi voluiſſe Gregorium, vt etiam Fratres Prædi

catores Conceptionem Immaculatam cele-brent? ſciebat Pontifex vſu receptum, vt vox *Conceptio* Immaculatam deſignet in Officio diuino. Sciebat propterea caueri à Dominicanis; & tamen iuſsit ne cauerent, ſed vterentur: ergo diſplicuit ei, quod hac ratione Immaculatam colere detractarent, quæ á reliqua Eccleſia colebatur. Sciebat propterea eos voce ſanctificationis vti; & tamen prohibuit: ergo ſatis oſtendit non ſolam ſanctificationem colendam, ſed Immaculatam Conceptionem.

At (inquis) præcipiens vt omnes non alio, quã Conceptionis nomine vtantur, inſinuauit hoc nomen *eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam.* 5.
Vnde id colligis? quia *declarauit expreſsis verbis, per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti.* At hæc expreſſa impoſtura eſt, nihil enim eiuſmodi declarauit Pontifex. Vide lector decretum Gregorij, quòd capite ſecundo integrum dedimus, perſpicieſque, quàm mala fide agat libellator, & miraberis audaciam hominis tam aperte fallentis. Duo decernit Pontifex longe inter ſe diuerſa. Primum eſt ne affirmatiuæ ſectatores audeãt etiam priuatim aſſerere, quòd B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, nec de hac opinione affimatiua aliquo modo agere, ſeu tractare. Subditque: *Per hoc tamen ſanctitas ſua*

non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre. Pergit deinde, & poſt alia, ſecundo decernit, vt quia ſancta Romana Eccleſia Conceptionis feſtum celebrat, omnes in Officio diuino, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant. Hic nullum verbum eſt de præiudicio non inferendo. Itaque cum Pontifex ſilentium indicit ſententiæ affirmatiuæ, nullum per hoc inferre præiudicium teſtatur; at cũ præcipit vſum vocis *Conceptio*, nihil de præiudicio non inferendo loquitur; & tamen audet libellator aſſerere Pontificem declaraſſe (& quidem *expreſsis verbis*) per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, atque ex hac à ſe conficta declaratione infert Gregorium inſinuaſſe nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam. O frontem!

6. Hoc non contentus figmẽto audet aliud. Narrat lepidiſsimam hiſtoriam de Vrbano Octauo. *Et adhuc rurſus curarunt ijdem apud Vrbanum Octauum, &c.* Tota hæc hiſtoria non ſolum falſa eſt, ſed tam malè conficta, vt ſe ipſam prodat; neque enim aliunde melius quam ex his ipſis, quæ narrat, conuinci poteſt. *Curarunt* (inquit) *ijdem* (fautores Immaculatæ) *apud Vrbanum Octauum, vt declararet feſtum celebrari, non pro Conceptione quomodolibet accepta, ſed pro Conceptione Immaculata.* Si qui

fue-

Digitized by Google

fuerunt,qui hoc curarunt,non ego eos fautores Immaculatæ dixerim,nam hoc curare nil aliud fuit, quàm rem manifeſtiſsimam vocare in dubium,tanquam egeret declaratione. Sanè Eccleſiam Romanam celebrare Conceptionem Virginis non quomodolibet acceptam,ſed Immaculatam, luce meridiana clarius eſt, vt ſuperuacaneum ſit,huius rei nouam declarationem poſcere. Id clamant ipſa officia diuina,quibus eadem Eccleſia vſa eſt à tempore Sixti Quarti, & poſt reformationem Pij Quinti,vt oſtendemus capite octauo,& nono. Quare fallit libellator,aut fallitur,dum affirmat fautores Immaculatæ curaſſe apud Vrbanum Octauum,vt id declararet. Neque enim veriſimile eſt petituros, quòd iam diu habebant.

Rem, vt geſta eſt, proponemus. Poſtulauit enixe ab Vrbano Orator Regis Hiſpaniæ,vt officium Conceptionis,quo hodie vtuntur Franciſcani, concederet alijs extra illum ordinem Eccleſiaſticis pro libito recitandum. Negat hoc Vrbanus,fortaſſe addẽs, quòd libellator refert, ſe non debere recedere à veſtigijs prædeceſſorum. Nempe quia Pius Quintus expungendum à Breuiario Romano officium illud cenſuerat,& ſubſtituendum officium Natiuitatis mutato nomine,idque reliqui Pōtifices ad ipſum vſque 7.

Vrba-

Vrbanum probauerant, quare non erat cur ab eorum veſtigijs recederet. Nunc libellator eſſe idem putat petere, vt officium Nogarolis concedatur, & petere, vt declaretur feſtũ celebrari de Conceptione Immaculata. Quaſi non alio officio, quam Nogarolico, poſsit celebrari Immaculata Conceptio. Ego ſane pietatem, & deuotionem Oratoris Regij laudo, conſilium, & factum non probo. Nihil enim opus erat, vt á Pontifice efflagitaret officium Nogarolicum, cum illud, quo Eccleſia Romana poſt reformationem Pij Quinti vtitur, præſtantius ſit, & Conceptioni Immaculatæ honorabilius, vt oſtendam capite ſequenti, & nono. Nullus etiam dubito oratorẽ non habuiſſe in mandatis Regijs eiuſmodi petitionem, ſed ipſum fortaſſe ab aliquibus inductum exiſtimaſſe promoturum ſe cauſam Immaculatæ, ſi officium Nogarolicum impetraret, Sed fefellit eum opinio ſua, nihil enim eſt cur officium Romanum cedat Nogarolico in ſtabilienda Immaculata Conceptione, potius præſtat, vt citato loco monſtrabimus. Meritò ergo Vrbanus negauit, eo ipſo fauens Immaculatæ Conceptioni, cui fuit addictiſsimus. Nunc illud dubitandum non eſt mala fide agere libellatorem, qui cum fautores Immaculatæ curauerint apud Vrbanum, vt concederet officium Nogarolis,

narrat curaſſe, vt declararet feſtum celebrari non pro Conceptione quomodolibet accepta, ſed pro Conceptione Immaculata; Cum hæc toto cælo inter ſe diſtent.

Nunc ad ea veniamus quæ narrat Vrbanum reſpondiſſe, quæ tam malè aſſuta ſunt, vt neque cũ 8.
poſtulatione, vt eam libellator comminiſcitur, cohæreant. Fingit fautores Immaculatæ curaſſe apud Vrbanum, vt declararet feſtum celebrari pro Conceptione Immaculata, & ſubdit, *quod conſtantiſsimè renuit Vrbanus.* Quám ob cauſam? *aſſerens, quòd neque recedere à veſtigijs prædeceſſorum debebat, qui vtramque opinionem in ſua probabilitate reliquerant.* Quid ais mi homo? ſi Vrbanus declaraſſet feſtum celebrari de Immaculata Conceptione, receſiſſet á Prædeceſſorum veſtigijs? Imò hæreret maximè. Non ignorabat Sixtum Quartum inſtituiſſe feſtum de Conceptione Immaculata, iuſsiſſe in Romana Eccleſia recitari officiũ Nogarolis, in quo ad ſatietatem vſque Conceptio Virginis dicitur Immaculata, & præſeruata; Eccleſiam ipſam Romanam á Sixto ad Pium V. per centum fere annos eiuſmodi officio vſam; á Pio, & deinceps appellari in officio diuino Conceptionem *Sanctam*, hoc eſt cum gratia ſanctificanti coniunctam, atque adeò Immaculatã; eam hoc titulo condecorare ferè omnes Ponti-

fices

fices á Sixto. Hæc, quæ manifeſtiſsima ſunt, probè nouerat Vrbanus, nec ignorabat, iuxta prædeceſſorum decreta optimé conuenire, quód feſtum celebretur de Immaculata Conceptione, & quód opinio affirmans in peccato factam relinquatur in ſuo ſtatu. Quare non potuit Vrbanus tam ineptam rationem reddere, vt ſe excuſaret á declaratione.

9. Fingis adhuc eum aliam reddidiſſe: *Neque affirmare poterat Gregorium oppoſita, & inter ſe pugnãtia protuliſſe*, rectè ſane, ſed vbi ſunt pugnantia? *quòd ſi declaraſſet ipſum nomine Conceptionis, Immaculatam Conceptionem intellixiſſe, declaraſſet Gregorium ſibimet fuiſſe contrarium, dum ex vna parte aſſerit ſe nullum præiudicium inferre velle opinantibus Beatam Virginem in peccato conceptam, & ex alia parte pluſquam notabile præiudicium ipſis inferret iubendo, quòd Eccleſia vniuerſalis Conceptionem Immaculatam celebraret.* Iterum in eundem lapidem impingis, ſed hic maximé cõmentum deprehenditur, cum enim falſa ſint quæ de Gregorio narras, non potuit ea reſpondere Vrbanus. Gregorius cum præcipit vt omnes nõ alio quàm Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, non aſſerit ſe nullum præiudicium inferre velle opinantibus Beatam Virginem in peccato conceptam, vt vidimus numero quinto, quare ſi quod inde eis præiudicium generatur,

Digitized by Google

nulla eſt in decreto contrarietas, ſed tu non contentus impoſuiſſe Gregorio, imponis etiam Vrbano, duorumque Pontificum auctoritate abuteris, dum alterius decretum vitias, alterum commento tuo ſubſcribentem inducis. Corruit ergo tota hæc hiſtoria de fautoribus Immaculatæ poſcentibus ab Vrbano, vt declararet feſtum celebrari de Immaculata Conceptione, & de Vrbano hãc declarationem *Conſtantiſsimè* renuente. Hæc ſatis ſint pro primo libelli articulo. Si plura velit lector de acceptionibus Conceptionis, quas libellator inducit, adeat caput decimum, de præiudicio etiam illato ſectatoribus affirmatiuæ ſententiæ ex præcepto vtendi nomine Cõceptionis plura capite duodecimo.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 2.

QVis ergo non videat diuerſitatem ſenſus in acceptione huius nominis Conceptio *ante Gregorium XV. & poſt illum? hac igitur diuerſitas in cauſa fuit, quòd adeò attente poſt Gregorium curatum ſit, quòd nullomodo adderetur titulus Immaculatæ Conceptioni, ſed Virgini, ita vt nec etiam recitatiue hic titulus ipſi Conceptioni annecteretur: Cum enim ſatis compertum eſſet aduerſariorum intentum eſſe populis perſuadere* 10.

Eccleſiam præſeruationem definiſſe, dum voluit, quod omnes ſub nomine Conceptionis celebrent, quaſi apud Eccleſiam idem eſſet Conceptio, & Immaculata Conceptio (iuxta prædictam vulgarem huius nominis acceptionē) ne populi in hunc errorem inciderent, prudentiſsimè cautum eſt, quod ſub Gregorij Prædeceſſoribus non adeò cauendum erat, quia tunc licitum vnicuique erat, vti quo volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vnico nomine Conceptionis hoc feſtū celebraretur.

§. II.

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS defenſores eam definitam non eſſe fatentur, & docent. Libellatoris calumnia.

11. CVM nulla ſit diuerſitas acceptionis huius nominis *Conceptio* ante Gregorium, & poſt illum, ſed ſemper Eccleſia Romana in Officio diuino ſub hac voce coluerit naturalem Virginis Conceptionem, vt beneficio gratiæ immunem á peccato originali; nulla etiam fuit cauſa, vt poſt Gregorium curaretur de non addendo Conceptioni titulo Immaculatæ, ſed hic ſemper ei tribuendus eſt, quandiu eius feſtū Eccleſia celebrauerit. Quod vero addis aduer-

ſario-

ſariorum intentum eſſe perſuadere populis, Eccleſiam definiſſe præſeruationem, dum voluit quod omnes ſub nomine Conceptionis celebrent; mera calumnia eſt. Nihil enim antiquius apud fautores Immaculatæ, quam vt fateantur rem nondum eſſe ab Eccleſia diffinitam. Id ſemper teſtantur ſuis ſcriptis. Sane hac in re modeſtius ſe geſſerunt, quám aduerſarij, ſiue antiqua tempora, ſiue noſtra ſpectes, fere nunquam enim defuerunt aliqui (modeſtos, & doctos viros excipio) qui publicé etiam in concionibus auſi fuerint ſententiam piam hæreticam dicere, quod non ſemel audiuit populus in Hiſpania annis proximé elapſis ſub Paulo V. & Gregorio XV. cum tamen Immaculatæ fautores á ſimili cenſura ſententiæ affirmantis abſtinerent, ij etiam, qui contentionis ardore imprudenter acti, aliquando aduerſarijs conuitiabantur. Sane ex Pontificum decretis ſatis conſtat, quæ pars hac in re amplius exceſſerit; Sixtus enim Quartus, duas edidit extrauagantes *Graue nimis* ad retundendam audaciam eorum, qui hæreſis damnabant ſententiam negatiuam. Alexander etiam Sextus eidẽ malo medicinam adhibuit. Qua tamen non eguerunt Immaculatæ fautores, nullus enim Pontifex reprehendit eos, quod ſententiæ affirmatiuæ licèt prouocati, hæreſis notam inuſerint.

12. Præterea nemini dubium eſt Immaculatæ defenſores à Sixto quarto ad noſtra vſque tempora ſemper in votis habuiſſe diffinitionem Immaculatæ, ſemper á Summis Pontificibus ſummis etiam præcibus eam efflagitaſſe, ampliſsimas Regum, & Principum ob hanc rem factas ad ſedem Apoſtolicam legationes. Hæc deſideria cum ipſo feſto Conceptionis de antiquitate certant. Leonardus ipſe de Nogarolis diffinitionem hãc á SixtoQuarto enixe poſtulauit in proemio officij, quod á ſe compoſitum obtulit eidem Sixto Quarto, & in officio Bernardini de Buſti, quod idem Sixtus quartus approbauit, & cum indulgentijs conceſsit, rem ab Eccleſia nondum eſſe diffinitam expreſsis verbis docetur. Nam ſecũda die infra octauam lectione ſeptima hæc ſunt: *Verum, quia in fidei noſtræ articulis expreſſa huiuſce veritatis mentio non habetur, oppoſitam tenentibus partem hæreſis imponere crimen, donec aliud Eccleſia ſtatuat, non debemus. Ita ergo Dominæ noſtræ innocentiam Conceptionis credimus, quòd totum contrarium aſſerentes hæreticos non putamus.* Tanta fuit cura Immaculatæ fautoribus hanc veritatem confitendi, vt etiam diuino Officio inſerẽdã cẽſuerint. De quo tamẽ non ita fuit ſolicitus Bandelus in ſuo officio ſanctificationis. Hæc cũ ita ſint, qua frõte affirmatur intentũ fautorũ Immaculatæ eſſe perſuadere po-

Digitized by Google

pulis præſeruationem deffinitã eſſe ab Eccleſia?

At, inquis, id affirmatur de fautoribus Immaculatæ poſt decretum Gregorij XV. cuius præceptum, vt omnes nomine Conceptionis vtantur, interpretati ſunt præſeruationis diffinitionem, idque populis perſuadere conantur. Sed iterum dico, calumnia eſt. Nam poſt decretum Gregorij adhuc perſiſtunt defenſores Immaculatæ in procuranda, & flagitanda diffinitione à Sede Apoſtolica. Sub Innocentio Decimo, qui nunc regnat (& diu regnet) huic operi incubuit erudito, & eleganti ſcripto, Doctiſsimus Angelus Manrique olim in Salmaticenſi Academia Primarius Theologiæ profeſſor, nũc Pacenſis Epiſcopus. Scripſit etiam Epiſtolam ad Sanctiſsimum Dominum noſtrum Petrus de Simancas Auguſtinianus (& quidem Hiſpano ſermone, vt vulgus etiam legeret) typis excuſſam anno 1645. Antonius de Roſende ex Clericis Minoribus, ad Philippum Quartum Regem Catholicum vulgari etiam ſermone, vt omittam alios. Denique quicumque poſt decretum Gregorij XV. ſcripſerunt de Immacul[t]a Conceptione (ſunt autem plurimi) conceptis verbis fatentur rem nondum eſſe à Sede Apoſtolica deciſam. Vbi ergo ſunt fautores Immaculatæ, qui populis perſuadere curãt præſeruatio- 13.

nem

nem diffinitam eſſe ab Eccleſia, dum voluit, vt omnes ſub nomine Conceptionis celebrent? neminem hactenus vidimus ob eam cauſam delatum apud fidei quæſitores. Neque credibile eſt aduerſarios diſsimulaturos, ſi ſcirent; aut ignoraſſe, ſi (vt tu ais) ſatis compertum eſſet.

14. Ad hæc, cum in ipſo decreto, vbi hoc præcipit Gregorius, expreſſe admoneat litem hanc nondum eſſe ab Eccleſia deciſam illis verbis: *Ne de cætero donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica definitus, vel per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, &c.* Quis tam hæbes fuerit, vt credat hoc eodem decreto diffinitam fuiſſe præſeruationem, quia præcipit vt omnes ſub nomine Conceptionis celebrent? aut quis tam præfictæ frontis, & proiecti pudoris, vt ſciẽs prudẽſque voluerit fallere, & populis tam aperte imponere? quòd ſi aliquis Immaculatæ fautor tam vecors eſſet, vt ſperaret ſe id perſuadere poſſe; aut tam audax, & impius, vt conaretur; rideretur illico, non á doctis tantum, ſed á promiſcuo vulgo, ab ipſis etiam tonſoribus, ſutoribus, aniculis, pueriſque. His enim omnibus notiſsimum eſt Conceptionem Virginis Immaculatam nondum eſſe diffinitam, quia eiſdem notiſsimum eſt omnium votis, & deſiderijs eius diffinitionem adhuc expeti, quotidie libros, &

alle-

allegationes pro ea impetranda, vernacula etiam lingua prodire, legationes Principum ad Sedem Apoſtolicam aut fieri, aut parari, nam comitia Regnorum Hiſpaniæ id nuper efflagitarunt à Philippo Quarto videlicet anno 1647. Hæc tã frequẽtia ſunt, tam publica, tam in ore omnium, vt neminem lateant, etiam ex infima plebe. Cum enim deuotio erga Immaculatam vniuerſum populum peruaſerit; ſubijt etiam omnes deſideriũ & expectatio huius diffinitionis, ſimulque ſtudium noſcendi ſtatum rei, de quo paſsim ab omnibus ſermones miſcentur, vt etiam á nutricibus pueri audiant. Vnde fit, vt nulla ſit propoſitio ad Theologiam ſpectans ab Eccleſia nondũ diffinita, de qua minus timeri poſsit, ne populus erret putans eſſe de fide, quám hæc de Immaculata Virginis Conceptione.

Hæc cum tã aperta ſint, manifeſtè conuincũt cauſam, quã obtendis decreto Inquiſitionis Romanæ, vanam eſſe, & á te confictam. Ais enim *ne populi in hunc errorem inciderent, prudentiſsimè cautum eſt, quod ſub Gregorij prædeceſſoribus adeò cauendum non erat* (nempe ne titulus Immaculatæ addatur Conceptioni) ſane ſi nullam aliam habes rationem defendendi decreti, male illud defendis. Nam vbi periculum mali nullum eſt, ſupervacaneè adhibetur remediũ. Nihil autem minus ti- 15.

meri

meri hodie poteſt, quam vt populi exiſtiment à Gregorio XV. definitam fuiſſe Immaculatam Conceptionem, nam ijdem populi optant diffinitionem poſt Gregorium. Quare vanum etiam eſt quod addis non adeò cauendum fuiſſe ſub Gregorij Prædeceſſoribus ne populus in eum errorem incideret, ſicut poſt Gregorium; nam (vt alia omitamus) tanto minùs timeri poteſt ne populus exiſtimet Immaculatam Conceptionem diffinitam eſſe ab Eccleſia, quanto plura ſunt eiuſdem Eccleſiæ teſtimonia docentis ſe nondum eam definiſſe; at hæc plura ſunt, & clariora ſub Gregorio, quam ante ipſum. Nam declarationibus Prædeceſſorum, additæ ſunt, quas ipſe Gregorius fecit, dum importunis licet precibus pulſatus cōſtanter negauit diffinitionem; quare ſi ante Gregorium non fuit opus prohibere titulum Immaculatæ, ne populi diffinitam crederent; multo minus neceſſarium eſt poſt Gregorium.

16. At, inquis, aliũde opus eſt. Nam ante Gregorium licitum vnicuique erat vti quo volebat nomine in officio diuino, videlicet Conceptionis, vel ſanctificationis, nec aderat præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vnico nomine Conceptionis hoc feſtum celebraretur. Quare cum Gregorius id iuſſerit, maius periculum eſt, vt populi

exiſti-

exiſtiment diffinitam fuiſſe ab eo Immaculatam Conceptionem; Et huic periculo medetur decretum prohibens, vt Conceptioni addatur titulus Immaculatæ. In primis falſum eſt ante Gregorium licitum fuiſſe vnicuique vti quo volebat nomine, nam poſt motum proprium Pij V. *Quòd à nobis poſtulat* tenētur vti in Officio diuino nomine Conceptionis omnes, ad quos pertinet Breuiarum Romanum, pertinet autem fere ad vniuerſam Eccleſiam. Hic etiam Pontifex vniuerſali præcepto obligauit, vt feſtum celebretur ſub nomine Conceptionis comprehendens etiā ſectatores ſententiæ affirmatiuæ, imo quantum eſt ex vi illius diplomatis ipſos Dominicanos, vt oſtendemus capite decimo tertio. Corruit ergo diſcrimen quòd aſsignas ante Gregorium, & poſt illum. Quare ſi ex præcepto periculū illud naſcitur, ſero nimis remedium adhibetur poſt octoginta fere annos. Sed age, demus tibi gratis ante Gregorium nullum fuiſſe præceptum celebrandi feſtum ſub nomine Conceptionis, atque adeò poſt ipſum, qui ab vniuerſa Eccleſia ita iuſſit celebrari, maius periculum eſſe, vt exiſtimetur diffinita Immaculata Conceptio: Nihilominus huic malo medendo ſupervacaneum remediū eſt prohibitio tituli Immaculatæ, periculū enim hoc nō alia ratione melius, & efficacius ca-

ueri potuit, quàm ſi idemmet Pontifex, qui iubet, vt omnes nomine Conceptionis vtantur, declaret ſe non diffinire Immaculatam Conceptionem. Hoc autem præſtitit Gregorius illo ſuo decreto. Quid ergo adhuc vano timore terreris? quòd ſi nihilominus times, pete ab Innocẽtio Decimo, vt declaret Sedem Apoſtolicam nondum definiſſe Immaculatam Conceptionẽ; tacebimus omnes, & amplexabimur decretum. At minime ferendum eſt ſub vano prætextu, ne populi errent exiſtimantes diffinitam eſſe Immaculatam Conceptionem, ſpoliari eam hoc titulo, quò à tẽpore Sixti Quarti eam ornat Eccleſia Romana, maximé cum remedium hoc nõ ſolum ſupervacaneum ſit, ſed contrarium decreto ipſi Gregoriano. Ille enim dum præcipit, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine vtãtur in Officio diuino, præcipit vt ab omnibus colatur Conceptio tanquam Sancta, & Immaculata, vt capite vndecimo monſtrabimus. Quare contra Gregorij decretum facit quiſquis inuidet Conceptioni titulum Immaculatæ.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 3.

17 *Vnde non eſt mirum quòd aliqui Pontifices ab aduer-*

ſarijs citati aliquando recitatiue addiderint titulum Immaculatæ ipſi Conceptioni. Ceterũ non ita Vrbanus Octauus Gregorij ſucceſſor, vt videre licèt in Bulla, quæ incipit inperſcrutabilis, *qua erigitur religio militans ſub inuocatione Cõceptionis Deiparæ. Vbi nunquã titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, ſed Virgini, & hoc ex ſpeciali mandato ipſius Vrbani.*

§. III.

MILITIA SACRA CONCEPTIONI AB *Vrbano Octauo erecta, Immaculatæ erecta eſt.*

RECTE quidem aſſeris non eſſe mirum, quòd Pontifices addiderint titulum Immaculatæ ipſi Conceptioni; ſed illud mirum, quod audeas aſſerere *recitatiue* addidiſſe, cũ luce clarius ſit ipſos ex propria mente, & animi ſententia hoc titulo condecoraſſe Conceptionem, vt ipſa diplomata, & officia ab eiſdem approbata clamant, de quibus capite decimoquarto redibit ſermo. Nunc mirum etiam eſt, qua cõfidentia Vrbanum Octauum in medium producas, quaſi tibi fauentem; cum poſt inſtitutionem feſti Conceptionis, nihil egerit Romana Eccleſia, vnde fortius argumentum pro Immaculata Conceptione ſumatur, quàm ex erectione illa 18.

Religionis militaris ab Vrbano facta ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ. Putas ne Vrbanum dedicaſſe ſacrum ordinem Conceptioni peccato maculatæ? putas voluiſſe, vt ſacri milites in conflictu auſpicentur lætam victoriam inuocatione eius Conceptionis, quæ ab hoſte humani generis victa eſt? egregium ſane præſidium quæſiuiſſet militibus. Qui ergo ſacrã militiam Conceptioni dicauit, Conceptioni Immaculatæ dicauit; vt quæ diuinis armis præuenta, & munita phalangas originariæ labis ac dæmonis glorioſè protriuit, doceat etiam milites ſacros fundere hoſtes Eccleſiæ. Et ipſi ſpem concipiant vincendi, quia ſub victricis Conceptionis titulo militãt. At, inquis, Vrbanus in diplomate nũquam titulum Immaculatæ adiungit Conceptioni. Sed quid inde? an non appellare Immaculatam, negare eſt, aut prohibere, vt ab aliis appelletur? ſed de Vrbano iterum, §. 6. & capite ſequenti ad §. 15. libelli ſecundi.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 4.

19. *PRæterea cum ex officio Sũmus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, ſeu aſſertum aliquod repute-*

tur vniuerſalis Eccleſiæ ſenſus, ſi de eius veritate dubitari poſsit, & oppoſitum ab ipſo Pontifice tanquam verum, & ab eadem vniuerſali Eccleſia tenendum poſsit deffiniri; cum igitur opinio præſeruationis Deiparæ à peccato originali dubia ſit, & oppoſitum poſsit ab Eccleſia definiri; & nihilominus Romani Pōtifices iuſtis de cauſis iudicauerint ſilentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt neque etiam in priuatis colloquijs cum ſæcularibus liceat ipſis de hac materia differere; inſenſibiliter eò deueniret negotium, vt vniuerſa Eccleſia præter ordinem Prædicatorum haberet veritatem præſeruationis tanquam certam, & ab Eccleſia definitam. Cogitur ergo ipſa Eccleſia vti huiuſmodi cautelis ad ſuſtinendum opinionem adeò in ſacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum conſenſu firmatam.

§. IIII.

NIL OPVS EST PROHIBITIONE TITVLI Immaculatæ, vt ab omnibus exiſtimetur nondum definita. Libellatoris error, & crimen.

ITERVM eundem lapidem verſas, & vano timore, ne Immaculata diffinita exiſtimetur, corriperis. Neque contentus timuiſſe ne po- 20.

puli in eum errorem incidant;times de vniuerſa Eccleſia præter ordinem Prædicatorum. Sed bene eſt quod eos excipis,vt ſi vniuerſa Eccleſia in eum errorẽ inciderit,habeat magiſtros á quibus in veritatis tramitem reducatur. Quamuis non video cur eos excipias. Vbi enim eſt priuilegiũ vt quãdo inſenſibiliter eo deuenerit negotium, vt vniuerſa Eccleſia fallatur; ipſi non poſsint decipi?

Sed tamen omiſſo quæramus ſeria ludo.

Cum Eccleſia Romana toties declarauerit cõtrouerſiam de Conceptione nondum eſſe deciſam,manifeſtus error eſt,& damnabilis affirmare, aut credere Immaculatam Conceptionem eſſe ab Eccleſia diffinitam.Hæc cum ita ſint, vide quò audaciæ proceſſeris,vt exiſtimes vniuerſam Eccleſiam in errorem damnabilem incidere poſſe.Creſcit audacia exceptione illa *præter Ordinem Prædicatorum*, cum enim exceptio firmet regulam in contrarium,dum ſolum Ordinem Prædicatorum excipis,quidquid non eſt ordo Prædicatorum comprehendis.Ergo Eccleſiam Romanam.Hæc enim non eſt ordo Prædicatorum, pertinetque ad vniuerſam Eccleſiam tanquam cæterarũ caput,&Magiſtra.Ergo te authore ſuppoſito decreto Gregoriano, & ſublato decreto Romanæ Inquiſitionis,quod defendis;poſſet eo

deuenire negotiũ inſenſibiliter, vt Eccleſia ipſa Romana,& Sedes Apoſtolica ante vllã diffinitionẽ *haberet veritatẽ præſeruationis tanquã ab Eccleſia diffinitã*; hoc eſt, putaret diffinitũ eſſe, quod diffinitũ nõ eſt. Ergo poſſet Sedes Apoſtolica habere tanquã de fide, quod re vera de fide non eſt. Ergo falli,& fallere in rebus fidei. Hæc omnia patẽt, nam in caſu præſeruatio nondum eſt diffinita, atque adeò nondũ eſt de fide;& nihilominus poſſet Sedes Apoſtolica falli putans eſſe diffinitam, poſſet ergo falli putãs eſſe de fide. Ergo errare in rebus fidei. Vide in quæ præcipitia te deducat egregia hæc defenſio tua.

Sed age, indulgeamus tibi, & te benignè interpretemur. Dũ vniuerſam Eccleſiam dicis, de capite non loqueris, ſed reliquum cætum fidelium intelligis exceptis Dominicanis. Hunc, niſi caueatur, contẽdis poſſe inſenſibiliter in eum errorem incidere, vt exiſtimet Immaculatam ab Eccleſia diffinitam. Sed quis adhuc non rideat commentum? imò quis non indignetur tã ingentem contumeliam vniuerſæ Eccleſiæ irrogari? paulò ante timebas ne populi, hoc eſt vulgus fidelium, in eum errorem labantur; nũc etiã omnes viros doctos,& Miniſtros Eccleſiæ (Dominicanis exceptis) comprehendis. Itaque perſuadere cupis poſſe contingere, vt omnes Reli- 21.

Digitized by Google

gioſi ordines, vniuerſus Clerus, omnes Theologi, & iuris Canonici profeſſores, omnes Academiæ aliquando ignorent Sixtum IV. Alexandrum VI. Pium V. Paulum V. Gregorium XV. expreſsis verbis declaraſſe Conceptionem Immaculatam nondum eſſe ab Eccleſia diffinitam. Quod fieri non poſſet, niſi horum Pontificum decreta, & infiniti pœne libri, in quibus de eis frequens mentio eſt, aut prorſus pereant, aut tineis & blattis obſiti, in tenebris deliteſcant ſine vllo lectore. Hæc quis ſanæ mentis credat poſſe contingere? cum ergo vniuerſa Eccleſia nunquam poſsit ignorare tam decantata tot Pontificum decreta; nunquam poteſt inſenſibiliter eo res deuenire, vt per errorem exiſtimet præſeruationē eſſe diffinitam. Quare nihil eſt quòd Eccleſiam cogat vti cautelis, quas comminiſceris; ſed tu eam cogis, vt tuam loquendi licētiam coerceat, faciatque te modeſtè, & reuerenter de vniuerſa Eccleſia ſentire.

22. Iam vero quòd aſſeris opinionem præſeruationis Deiparæ dubiam eſſe, & oppoſitum poſſe ab Eccleſia definiri, non facile admittent Immaculatæ fautores. Plures enim ſunt, qui ſatis probabiliter contendunt, poſt quàm Eccleſia Romana Conceptionem ſolemni feſto colit, eam opinionem probabilitatis gradū ſupergreſſam,

eſſe-

eſſeque adeò certam, vt à parte rei (vt inquiunt) non poſsit eſſe falſa; quamuis non ſit certa certitudine fidei. Quod vero ad diffinitionem attinet, fere omnes contendunt affirmatiuam ſentẽtiam non eſſe diffinibilem. Sed de his agere nihil attinet ad rem præſentem, ſiue enim opinio pia dubia ſit, ſiue certa; ſiue oppoſitum poſsit diffiniri, ſiue non; verum eſt quod ais: Summum Pontificem ex munere prouidere debere ne hæc doctrina putetur diffinita, cum nõdum ſit. Hoc autem pleniſsimè prouidit Sedes Apoſtolica ſupradictis declarationibus, vt nihil opus ſit prohibitione tituli Immaculatæ, quæ alioquin ipſis decretis Eccleſiæ contraria eſt.

Duo tamen non ſunt omitenda, de quibus vt te moneam, fraterna charitas poſcit. Alterum eſt 23.
quòd cum memoras decretum Gregorij, quô præcipit ne quis etiam in priuatis colloquijs, & ſcriptis affirmet Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, neque de hac opinione aliquo modo agat aut tractet; addis limitationem *cum ſæcularibus*, quaſi per Gregorium liceat cum Eccleſiaſticis colloqui. Hoc autem falſum eſt, tum quia decretum abſolutè prohibet colloquia, tum quia Gregorius ipſe, qui poſtea in gratiam Ordinis Prædicatorum conceſsit, vt eius alumni poſsint in colloquijs priuatis, & conferen-

:ijs diſſerere,& tractare de hac materia, limitat ad colloquia,& conferentias *inter ſe duntaxat, & non inter alios, aut cum alijs*, vt conſtat ex eius motu proprio edito 28. Iulij anno 1622. quare Fratres Prædicatores inter ſe duntaxat colloqui poſſunt, cum cæteris minimè, ſiue ſæculares ſint, ſiue Eccleſiaſtici, videlicet Clerici, aut alterius ordinis religioſi. Si quis autem eſt extra ordinẽ Dominicanum, qui affirmatiuam ſententiam teneat, cum nullo prorſus colloqui poteſt. Hæc animaduerterim, ne quis in errorem inducatur tua illa limitatione *cum ſæcularibus*,& ne tu etiã eo errore ductus aliquando pecces.

24. Alterum de quo te monitum velim, eſt, vt maturé abſolutionem petas á cenſuris Sixti Quarti, Alexandri VI. Pij V. & Pauli V. quas innouat Gregorius XV. aduerſus ſui decreti fractores. Eas enim incurriſti illis vltimis tuis verbis, vbi loquens de ſententia affirmatiua inquis: *Ad ſuſtinendum opinionem adeò in ſacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum conſenſu firmatam.* Gregorius ſub prædictis pœnis, & alijs, quas ipſe addit, non ſolum iubet ne quis in priuatis ſermonibus,& ſcriptis audeat affirmare Beatam Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali; ſed etiam ne audeat *de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare.* Vide nunc an

ſit

Digitized by Google

ſit aliquo modo agere ſeu tractare,tam rotunde aſſerere hanc *opinionem in ſacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum,& Doctorum conſenſu firmatam.* Certe nil maius præſtare ei potuiſti integro libro,ſi probares. Quare cēſuris Gregorij te innodatum ne dubita, quamuis alias pœnas euaſiſti,quia ignotus. Medere ergo conſciētiæ tuæ. Cætera nihil curo. Nam quod ais ſententiam tuam omnium antiquorum Patrum, & Doctorum conſenſu firmatam,tu te ipſe ſcis falſum eſſe, cum ignorare non poſsis plures ex antiquis ſcholaſticis pro Immaculata pugnare. De Patribus vero adi doctiſsimos Ægidium Luſitanum, Ferdinandum de Salaçar,alios,qui longo examine Patrum ſententias expendunt, & ex antiquis vix Bernardum tibi concedunt,quem alij(& meritò)negant. Sed hæc alijs relinquamus.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 5.

COncluditur ergo quòd non valet argumentum ex permiſsione ab Eccleſia facta ante Gregorium XV.& poſt illum, quia ſtabilitur per Gregorij decretum, quod omnes nomine Conceptionis vtantur. Curandum magis eſt quam antea,vt hoc nomen maneat 25.

in ſua indifferentia, & non vſurpetur, vt antea, pro Conceptione Immaculata. Ne intelligatur Eccleſiam velle quod omnes ſub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.

§. V.

TITVLVS IMMACVLATÆ GREGORIAno decreto amplius ſtabilitur.

26. IMò quia ſtabilitur per Gregorij decretum, quod omnes nomine Conceptionis vtantur; fortius inde ſumitur argumentum ad tribuẽdum Conceptioni titulum Immaculatæ. Vult enim Gregorius vt omnes in Officio diuino cõformentur Eccleſiæ Romanæ, quod ante ipſum non faciebant. Eccleſia autem Romana ante Gregorium non tantum permittebat conceptionem appellari Immaculatam (vt tu falſo ſuppon.s) ſed appellabat in Oficio diuino, & alibi; colebatque eam tanquam ſanctam, & Immaculatam, quod etiam hodie præſtat. Quare curandum magis eſt quam antea, vt titulus Immaculatæ ſeruetur Conceptioni, quam iam ex præcepto Gregorij vniuerſa veneratur Eccleſia. Neque Conceptio, quæ ex ſe eſt opus naturæ indifferens ad peccatum, & gratiam, poteſt in Officio diuino manere in hac indifferentia, ſed neceſſario deter

minanda eſt epitetis, quæ gratiam ſignificent, videlicet, *Sancta, Immaculata, &c.* Non enim colitur, niſi vt coniuncta cum ſanctitate. Opportet ergo vt intelligatur Eccleſiam velle quod omnes ſub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent, hoc eſt Immaculatam celebrent, ne errent putantes ſolam ſanctificationem coli, aut ipſam Conceptionem ſub alio reſpectu, quam actualis ſanctitatis. Sed de his plura à capite ſeptimo.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 6.

Dicunt auctores oppoſitæ ſentẽtiæ iure cautũ eſſe ne in Eccleſiaſtico officio, ſeu Pontificijs conſtitutionibus addatur terminus Immaculatæ cũ adhuc Eccleſia non diffinierit controuerſiam. Cæterum cum eadem Eccleſia libere permittat illis quòd publicè, & priuatim poſsint de ea loqui, illamque defendere, quòd tamen prohibet alteri parti; cur non poterunt etiam illam typis mãdare, & diuulgare, non quaſi rem diffinitam, & certam, ſed piam, & probabilem? 27.

§. VI.

NVLLVS PONTIFEX IDEO IMMACVLATÆ titulum non exprimit, ne, ſi exprimat, cenſeatur diffinita.

28 VELIM mihi oſtẽdas, vbi ſunt auctores oppoſitæ ſententiæ, qui dicunt iure cautum eſſe, ne in Eccleſiaſtico officio ſeu in Põtificijs conſtitutionibus addatur terminus Immaculatæ? quid ſibi vult *cautum eſſe?* cuiuſnam eſt hæc cautio? qui ſunt, à quibus non eſt addendus terminus Immaculatæ? hæc omnia clare, & perſpicué exprimi debuerunt. Sed tibi ſolemne eſt ambigué, & lubricé loqui, ne deprehendaris. Vt longe operoſius nobis ſit te intelligere, quàm conuincere. Quid ergo ſignificat *cautum eſſe?* an legem aliquam, aut ſtatutum publicæ poteſtatis? id ſané frequens eſt, & vſu receptum, vt cum dicimus iure Pontificio, aut ciuili cautum eſſe aliquid. Quod ſi in præſenti legem ſignificat, rurſus reſtat inquirendum cuiuſnam ſit ea lex, aut decretum? Pontificis ne Romani, an ſanctæ Inquiſitionis? deinde qui ſunt illi quibus ea lege aut decreto prohibetur, ne addant titulum Immaculatæ in officio Eccleſiaſtico, ſeu in Pon-

tificijs conſtitutionibus? prohibetur ne ipſis Pō-tificibus Romanis? an priuatis hominibus? quocumque ſenſu accipias, falſum eſt eam legem vnquam latam fuiſſe. Nullus enim Romanus Pontifex hactenus decreuit ne ſucceſſores ſui addāt (ſi velint) titulum Immaculatæ in officio Eccleſiaſtico, aut in proprijs conſtitutionibus. Quòd ſi lex non ipſos Romanos Pontifices, ſed priuatos homines reſpicit; fatemur quidem nulli vnquam licere addere vocem *Immaculata* in officio Eccleſiaſtico, aut in Pontificijs cōſtitutionibus, vbi non eſt. Hoc autem non prouenit ex ſpeciali aliqua lege circa vocem *Immaculata*, ſed ex vniuerſali, & firmiſsimo iure, quo nulli vnquam licet publicis actis, nedum reſcriptis Principis quicquam addere, aut detrahere. Quare ſi quis in prima Antiphona officij Conceptionis. Vbi legimus *Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ, &c.* Adderet Conceptioni vocem *Sancta*, & legeret: *Conceptio Sancta glorioſæ Virginis Mariæ*, peccaret contra hanc legem, quamuis Eccleſia in eodem officio non ſemel Conceptionem appellat ſanctam: *quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.*

Quòd ſi vox illa *Cautum eſſe* ſignificat decretū ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, eadem rurſus inſurgit quæſtio. Qui nam ſint, quibus prohibetur 29.

ne

ne in Eccleſiaſtico officio,& in Pontificijs conſtitutionibus addant terminum Immaculatæ? an ipſi Romani Pontifices? ridiculum. An reliqui homines? ſuperfluum. Quod ſi nihilominus ea fuit cura,& mens ſanctæ Inquiſitionis; libenter acquieſcimus, nunquamque committemus, vt officio Eccleſiaſtico, aut Pontificijs decretis ne iota quidem vnum, aut vnum apicem addamus. At titulum Immaculatæ libris noſtris præfigere quis prohibet? quid enim connexionis habet: *Non poſſum addere titulum Immaculatæ officio Eccleſiaſtico, aut Pontificijs conſtitutionibus, ergo non poſſum libro meo?* quare ſi cum Eminentiſsimi Cardinales (vt tu aſſeris) ſtatuũt, *quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permitatur, ſed ſolum dicatur Conceptio Immaculata Virginis*, de officio Eccleſiaſtico ſermo eſt, aut Pontificijs conſtitutionibus; perperam contendis eo decreto prohiberi nobis ne in noſtris ſcriptis, aut ſermonibus titulum Immaculatæ tribuamus Conceptioni, cum libri noſtri neque officium Eccleſiaſticum ſint, neque Pontificiæ conſtitutiones.

30. Reſtat alius ſenſus vocis illius *cautum eſſe*, vt non ſignificet legem, aut decretum aliquod, ſed Pontificum Romanorum curam, qua data opera abſtinent ab epiteto Immmaculatæ in Officio

di-

diuino,& ſuis conſtitutionibus, Idque propterea, *quod adhuc Eccleſia non definierit controuerſiam.* Sed hoc etiam merum figmẽtum eſt. Vbi enim ſunt Romani Pontifices, qui in Eccleſiaſtico officio,aut ſuis conſtitutionibus cauerunt á voce Immaculata ob eam cauſam? reſpondebis id feciſſe Pium Quintum,& Vrbanum Octauum. Ille enim antiquauit officium Nogarolis,in quo Immaculatæ titulus additur Conceptioni,aliudque ſubſtituit in quo ea vox non repiritur; Vrbanus vero in diplomate *imperſcrutabilis* non ſolum ab ea voce abſtinuit,ſed cum per errorem aut dolum addita eſſet,iuſsit expungi. Hoc ergo ſenſu veriſsimum eſt illud:*Iure cautum eſſe ne in Eccleſiaſtico officio ſeu Pontificijs conſtitutionibus addatur terminus Immaculatæ,cum adhuc Eccleſia non definierit controuerſiam.*

Sed cum hæc leuia ſint,& futilia; liquido mõſtrant quám meritò ſupra dixerimus te conſultó ambigué,& obſcuré loqui, ne deprehendaris. 31.
Nihil enim magis eſt á vero,imò,& à veriſimili alienum,quám vt Pius V.cum officium Conceptionis commutauit,cõſultó abſtinuerit á voce *Immaculata*,quia cótrouerſia nondum eſt diffinita. Pius reformans Breuiarium Romanum iuſsit, vt in die Conceptionis omiſſo officio Nogarolico,recitaretur officium Natiuitatis mutato no-

mine. Cum autem in officio Natiuitatis non ſit vox *Immaculata*, conſequẽs fuit, vt in officio Cõceptionis non adderetur. Si in illo eſſet, & in hoc expungeretur, locum haberet ſuſpicio; at cum in officio natiuitatis non ſit, temere aſſeritur Pontificem conſultò ab ea voce abſtinuiſſe, quia cõtrouerſia nõdum eſt definita. Adde quod eodẽ iure affirmare poteris Virgini ipſi non eſſe addendum titulum *Immaculatæ*, Pontificemque, conſultò ab eo Virginis epiteto abſtinuiſſe, nam in officio Conceptionis nunquam virgo ipſa dicitur Immaculata. Quibus autem de cauſis Pius á Breuiario Romano amouerit officium Nogarolicum cap. ſequenti §. 11. aperiemus, & iterũ cap. 9. vbi mõſtrabimus ea mutatione impenſius fauiſſe Cõceptioni Immaculatæ. Iam vero quod ad Vrbanum attinet, abſtinuit ille quidem à voce *Immaculata* cum de Conceptione loquitur in ea Bulla, ſed etiam abſtinuit à voce *Sancta*, quare ſi ex ſilentio integrum eſt argumentari non eſſe tribuendum Conceptioni titulum Immaculatæ; licebit etiã ei negare epitetum ſanctæ. At inquis, iuſsit á ſuo diplomate expungi vocem *Immaculata* ab alijs additam. Si hoc ita contigit, optimê fecit, nemini enim licet quicquam Pontificijs decretis addere, idemque faceret ſi addita fuiſſet vox *Sancta*. Sed de hoc Vrbani,

Digitized by Google

facto iterum redibit ſermo capite ſequenti, §. 15.

Nunc de Pio, & Vrbano illud affirmamus minimè cauiſſe á voce *Immaculata* ea de cauſa, quia nondum eſt definita controuerſia (vt tu perperam affirmas) cum exploratum haberent à Sixto Quarto, & alijs prædeceſſoribus titulo Immaculatæ ornatam fuiſſe Conceptionem, quamuis ijdem non ſolum nouerant, ſed etiam diſſertis verbis monent controuerſiam nondum eſſe definitam, & quamuis viderent Pius, & Vrbanus Eccleſiam Romanam per centum fere annos Conceptionem appellaſſe Immaculatam in Officio diuino, Eccleſiamque ipſam ſatis ſuo facto docuiſſe, optime inter ſe coherere, quod controuerſia non ſit definita, & quod Conceptio appelletur Immaculata etiam in Officio diuino, & Pontificijs conſtitutionibus. 32.

Hæc cum ita ſint, qua fronte imponis authoribus piæ ſententiæ, quòd fateantur *iure cautum eſſe ne in Eccleſiaſtico officio, ſeu Pontificijs conſtitutionibus addatur terminus Immaculatæ, cum adhuc Eccleſia non definierit controuerſiam*? id ſane nullus vnquam fatebitur aut factum eſſe, aut ob eam cauſam. Neque eorum etiam querela eſt (vt falſo ſupponis) quod prohibeantur defendere piam opinionem, *& eam typis mandare, & diuulgare*, quis enim 33.

vetat? ſed contendunt, dum hoc permittitur, nō poſſe prohiberi quòd Conceptioni addatur titulus Immaculatæ; hæc enim prohibitio, & illa permiſsio inter ſe pugnant. Nam ſi poſſum publice defendere quòd Conceptio eſt Immaculata; cur non potero eam Immaculatam appellare etiam in titulo, & fronte libri? ſed de his iterum capite ſequenti §.35. & ſequentibus.

34. Nunc aliud argumentum ſubijciemus, quod fortaſſe legiſti in aliquo libello ex his, qui in vrbe ſcripti ſunt pro reuocando decreto, quorum tamen nullum hactenus vidimus. Sed ita forté aliquis argumentatus eſt. Demus Romanos Pōtifices cauere debere ne Conceptioni tribuant titulum Immaculatæ in officio Eccleſiaſtico, & ſuis conſtitutionibus, dum controuerſia non eſt definita; idque proterea re ipſa cauiſſe Pium V. & Vrbanum Octauum. Adhuc iniquum eſt prohibere piæ ſententiæ ſectatoribus ne eiuſmodi titulo ornent Conceptionem. Ratio in prōptu eſt. Nam etiam ſi ex eo facto Summi Pontificis anſa aliqua oriatur, aut occaſio exiſtimandi Conceptionem Immaculatam eſſe à Sede Apoſtolica definitam (quod tamen negamus;) tamen nulla prorſus eſt in facto priuati cuiuſquam. An ego authoritatem definiendi habeo, vt timeri poſsit definitam eſſe, aut videri controuerſiam, ſi

Digitized by Google

Conceptionem titulo Immaculatæ decorauero? nemo ſanæ mentis in eam ſuſpicionem inciderit. Nam ſiue diſputando, ſiue aſſerendo, ſiue in fronte libri titulum hunc adiecerim; ſecundum meam opinionem loqui exiſtimabor ab omnibus, qui ſenſu communi nō caruerint. Abſtineat ergo Pontifex á titulo, dum non definit; ego autem cur abſtinebo, qui iure meæ opinionis vtor? huic argumento tu nunquam reſpondebis, quāuis mille libellos mediteris. Et hoc fortaſſe eſt quod in aliquo ſcripto pro Immaculata legiſti, mire tamen peruertiſti, dum quod per quandam (vt Rhetores loquuntur) conceſsionem, aut permiſsionem proponitur, aut (vt tu libello ſecundo § 38.) *dato, & non conceſſo*; pro aſſerto auctorum piæ ſententiæ venditas, quaſi ipſi fateantur iure cautum eſſe à Romanis Pontificibus, ne in officio Eccleſiaſtico, aut Apoſtolicis conſtitutionibus titulum Immaculatæ addant Conceptioni, quia videlicet controuerſia nōdum eſt definita.

LIBELLVS PRIMVS,

Num. 7.

Ad quod dicimus in præſenti non controuerti de impreſsione opinionis, ſed inhærendò decretis Pontificijs reſ- 35.

cripſit ſacrũ Tribunal Inquiſitionis ne permitatur addi Conceptioni terminum Immaculatæ. Ne videlicet per adiunctum epitetum diſtrahatur ſenſus huius nominis Cõceptio (*quod de ſe eſt indifferens*) *à proprio ſignificatu. Idque præſertim in impreſsione, quæ præ ſe fert approbationem miniſtrorum ſanctæ ſedis, Inquiſitorum ſcilicèt, ſeu Magiſtri ſacri Palatij. Quòd non contingit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.*

§. VII.

IN PROHIBITIONE TITVLI QVÆDAM perplexa. Libellatoris cum ſe ipſo conflictus. Eius dialectica notata.

36. ÆDIPO opus eſt. Poſſum typis mandare librum in quo defendã Conceptionem fuiſſe Immaculatã, & tamen non poſſum ei Immaculatæ epitetõ tribuere. Deinde ſi hoc epiteto ornẽ, & liber ab Ordinario loci approbetur, tolerabitur; ſi verò approbationẽ petã ab Inquiſitoribus aut Magiſtro ſacri Palatij, prohibebitur. Quaſi quod aliquis iure damnare poteſt, non debeant omnes. Denique in publicis concionibus ad populum, & in diſputationibus Academicis fas eſt mihi Conceptioni coniungere terminum Immaculatæ; quòd ſi illam ipſam concionem ſacrã

&

Digitized by Google

& concluſiones cum epigraphe rei aſſertæ typis mandare conabor; prohibebor. Sed de his myſteriis commodius redibit ſermo capite ſequẽti ad §.35. Libelli ſecundi.

Nunc examinanda eſt ratio quam reddis, cur Tribunal Inquiſitionis non permittat addi Cõceptioni terminum Immaculatæ; *ne videlicèt* (inquis) *per adiunctum epitetum diſtrahatur ſenſus huius nominis* Conceptio (*quod de ſe eſt indifferens*) *a proprio ſignificatu.* Quanta ſit pugna horum verborũ cum illis §. primi *Conceptio in ſuo proprio ſignificatu ſolum importat formationem fœtus in vtero,* lector facilè animaduertet, & nos expendemus capite decimo num. 14. & 16. & capite vndecimo num. 2. & 15. cum enim *hoc indifferens* (iuxta tuam mentem) ſit ſanctificatio, vt abſtrahit à tempore; manifeſta eſt contradictio. Pugnãt enim inter ſe; *proprius ſignificatus ſolum eſt formatio in vtero, & proprius ſignificatus eſt ſanctificatio.* Sed de hoc locis citatis. Nunc animaduertenda eſt egregia hominis dialectica. Aſſeris ſi Conceptioni addatur titulus Immaculatæ diſtrahi vocem à ſuo proprio ſignificatu. Nihil abſurdius, ſiue Conceptio accipiatur (vt debet) pro animatione, ſiue (vt tu accipis) pro ſanctificatione. Nam ſi pro animatione accipiatur, cum de ea diſputamus, & tu affirmas originali labe maculatã, & ego Immacu- 37.

latam defendo; neuter diſtrahimus vocem à proprio ſignificatu, ſed retenta propria ſignificatione rem ex ſe indifferentem ad vtrumque epitetum, contrahimus; tu ad culpam, ego ad gratiã. Idem eſt ſi accipiatur pro ſanctificatione, quæ ex ſe abſtrahit á primo inſtanti, & alio poſteriori. Propriè enim eſt ſanctificatio, ſiue cum primo inſtanti coniugatur, ſiue cum aliquo ſequẽti. Quare quocumque modo Conceptionem accipias, abſurdé aſſeris diſtrahi à ſuo proprio ſignificatu, ſi coniungatur cum adiectiuo *Immaculata*, quaſi proprium ſignificatum amittat ex contractione. Per inde enim eſt, ac ſi dicas vocem *animal* diſtrahi à proprio ſignificatu, ſi cum voce *rationale*, aut *irrationale* coniungatur; aut vocem, *paries* ſi cum *albus*, aut *niger*. Hæc riderent vel pueri, qui dialectices rudimenta in ſummulis Dominici Soto primis labijs deguſtarunt. I nunc, & finge Eminentiſsimos, & Sapientiſsimos Cardinales ſanctæ Inquiſitionis his nugis (ne dicam ineptijs) innixos vetuiſſe titulum Immaculatæ, *ne videlicet per adiunctum epitetum diſtrahatur ſenſus nominis* Conceptio *à proprio ſignificatu.*

§. VIII.

38 *Vel ergo reuocanda eſt Gregorij XV. Bulla, vel omnia*

nia poſt ipſum acta, & præfata Bullæ inhærẽtia decreta (prout eſt illud de quo controuertitur) ſunt omnino ſubſtinenda.

Imò verò quia æquum eſt Bullam Gregorij XV. in ſuo vigore perſiſtere; opportet de medio tolli decretum illud fictitium, quod planiſsimè Gregoriano aduerſatur, vt ſatis ex dictis liquet, & latius patebit capite vndecimo.

ELENCHVS, SEV CASTIGATIO libelli poſterioris.

CAPVT V.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 1.

DE Titulo Immaculatæ tribuendo Beatiſsimæ Virgini non autem Conceptioni decretum exſtat ſanctæ Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis, cuius arcana conſilia obſequi fideles debent, non ſcrutari. Hoc tamen nonnullos parum conſideraſſe porrectæ ſcripturæ, ac libelli ſupplices ſatis ſuperque manifeſtant. Et licet ea ſit Eminentiſsimorum Patrum ſapientia, & huius ſupremi 1.

Senatus authoritas, vt quæ vniuerſali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen Fratres Ordinis Prædicatorum in eiuſdem decreti, & ſolidæ veritatis obſequium expendēda humiliter proponunt, vt ſubinde colligatur, quam valida ſint, quæ pro eodem decreto infringendo congeſta fuere.

§. I.

LIBELLATOR, DECRETORVM ſanctæ Inquiſitionis verus contemptor.

2. MEDICE cura te ipſum. Et qui ſanctæ Romanæ Inquiſitionis decretis obſequendum meritò mones, vide ne tu eiuſdem Inquiſitionis, & Sedis etiam Apoſtolicæ præcepta peſſundes, & frangas. Reprehendis eos, qui porrectis libellis cauſam Immaculatæ defendūt in ſacro Tribunali, contenduntque declarandū eſſe decretum (quod tantopere tueris) non eſſe ſanctæ Inquiſitionis, vel ſi fortè aliquando manauit, ſuperſedendum eſſe ab eius executione. Quòd ſanè de decreto (vt demus nō eſſe fictitiū) neque publicato, neque à Sede Apoſtolica confirmato, ſine irreuerentia tanti Tribunalis potuit poſtulari. Maximè cum contineat nouam prohibitionem cōtrariam eiuſdē Sedis Apoſto-

licæ conceſsionibus, quibus derogare non alius poteſt, quàm Romanus Pontifex. Reprehendis, inquam, eos qui hac de re libellos ſupplices obtulerunt, quaſi parum obſequentes ſanctæ Inquiſitioni; & tamen tu eiuſdem Inquiſitionis decretum á Gregorio Dezimoquinto confirmatum, in quo iuberis ne de ſententia affirmatiua aliquo modo agas, aut tractes; in hac egregia tua ſancti Tribunalis defenſione, ſemel, & iterum frangis, vt ex præcedenti capite num. 24. liquet & conſtabit ex dicendis. Rurſus, cum Sixtus Quartus tanquam erroneam damnauerit aſſertionē, quôd Eccleſia Romana de ſola ſanctificatione Virginis feſtū celebrat, idēque præſtiterint reliqui Romani Pontifices, quotquot eiuſdem Sixti conſtitutiones illibatas obſeruari volunt, in quibus eſt ipſe Gregorius XV. in decreto etiā ſanctæ Romanæ Inquiſitionis: tu eiuſdē Inquiſitionis egregius defenſor non ſemel in vtroq; libello ſpreta cenſura Sedis Apoſtolicæ contendis, nihil aliud, quàm ſanctificationem præciſſe ſumptam feſto Conceptionis ab Eccleſia celebrari. Hæc audes, & tamen grandi ſupercilio á reprehenſione eorum, qui ſanctæ Inquiſitioni ſupplicant, libellum tuum auſpicaris.

Sed ſi res attentè examinetur, facile cōſtabit defenſores Immaculatæ iudicio, & mēti ſanctæ 3.

Romanæ Inquiſitionis obtemperare, & obſequi; te verò, & eos, qui aſſertum decretum executioni mandarunt, eidem reſiſtere, & refragari. Hoc patet, nam vt demus Patres, qui in Conuentu Mineruæ ei Congregationi interfuerunt, cenſuiſſe, opportere vt titulus Inmmaculatæ negetur Conceptioni, ne videlicet putetur definita; tamen eorum mens, & conſilium non fuit, vt ſtatim, in conſulta Sede Apoſtolica, id vim legis haberet, & publicè proponeretur ſeruandum; ſed inter ſe rem contulerunt, vt deinde ſuper ea conſulerent Sanctiſsimum, quo approbante lex conderetur; ſin minus, infecta res eſſet. Atque ita contigiſſe, euentus ipſe docet, nam ſi aliter viſſum eſt, cur decretum intra arcana ſacri Tribunalis latuit? cur non fuit ritè promulgatum? cur non affixum in valuis Principis Apoſtolorum, aut in acie Campi Floræ? cur non miſſum ad Nũcium Sedis Apoſtolicæ in Hiſpania, aut Inquiſitorem Generalem, vt ſolent alia? ſanè id perpetuò obſeruatum videmus, quoties decretum vniuerſale eſt, & omnes tangit; vt ſi liber aliquis prohibeatur, aut expurgetur. An minoris momenti eſt prohibitio tituli Immaculatæ, quæ plures libros editos, & edendos comprehendit, quã priuati alicuius libri, in quo nonnumquam duo, aut tria verba delentur? cum ergo ſacræ Inquiſi-

tionis Congregatio, neque decretum hoc promulgauerit, neque ad eos, ad quos ſolet, tranſmiſerit, vt promulgent; manifeſtum eſt Patres non legem condidiſſe, ſed rem inter ſe contuliſſe, vt ad ſanctiſsimum deferrent; quòd ſepè aliàs ſolent in eodem Conuentu Mineruæ, vbi inter ſe diſceptant, & deliberant, vt poſtea in ſacro Palatio expeditius, & breuius rem Sanctiſsimo proponant. Quare vnum è duobus circa præſens decretū neceſſarium eſt, aut conſuluerunt Pontificem, aut non: ſi conſuluerunt, integrum eſt aſſerere non placuiſſe Sanctiſsimo, quandoquidem non prodijt confirmatio; ſi non conſuluerunt, indicio eſt ipſos re iterum inſpecta ſuperſedendū cenſuiſſe.

Atque hinc tandem liquet, quòd ſupra dicebamus, defenſores videlicet Immaculatæ obſequi ſacræ Congregationi, dum aſſertum decretum executioni non eſſe mandandum contendunt; eos verò, qui huius decreti prætextu prohibent titulum Immaculatæ, aut in vulgus ſpargunt, peccare in iura ſanctæ Inquiſitionis. Neque enim tantùm relinquit, qui legi latæ non obtemperat; ſed is etiam qui pro lege vēditat, quā, & ſi Princeps aliquando de ea cogitauerit, tamē maturo conſilio edendam non cenſuit. Vterque enim contra Principis voluntatem facit, & 4.

poſte-

poſterior quodammodo peius, vſurpat enim authoritatem, & quaſi ipſe legem cudit, quam noluit Princeps. Quiſquis ergo decretum illud, ſeu potius conſultationem, & collationem ſanctæ Romanæ Inquiſitionis immaturé protulit, & in vulgus ſparſit, vt obligare cenſeretur; contra ſanctæ Congregationis conſilium, & voluntatem egit.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 2.

5. *Recolendum primo, quòd in re de qua agitur plura pro temporum circunſtantijs à Summis Pontificibus ſtatuta fuerunt, vt à definitione abſtinentes, & vtramque ſententiam in gradu probabilitatis relinquentes excitatas fidelium turbas prouidè componerent.*

§. II.

NVLLVS PONTIFEX VTRANQVE SENtentiam appellat probabilem, neque Sixtus Quartus eas reliquit in ſtatu, in quo erant ante inſtitutionem feſti Conceptionis; ſed affirmatiuam depreſsit, negatiuam euexit.

6. Sed recolendum etiam, nihil vnquam á Sum

mis

mis Pontificibus aduerſus opinionem de Immaculata Conceptione ſtatutum fuiſſe; ſed in nouis decretis, nouis etiam fauoribus auctam, vt vel inde merito ſuſpectum ſit decretum prohibens titulum Immaculatæ.

Mirum eſt quam ſolicité vtriuſque ſententiæ probabilitati conſulas; neque tuæ contentus prouidiſſe, contrariæ etiam iura tuearis. Macte virtute virum, & ſumma iuſtitia præditum, qui etiam cum hoſte ſeruas æquitatem. Libello 1. num. 1. dixeras Gregorium XV. in ſuo decreto expreſsis verbis declaraſſe: *Nullum præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu, ac terminis, in quibus erat ante emanatum decretum*, Vrbanum vero reſpondiſſe: *Quod neque recedere à veſtigijs prædeceſſorum debebat, qui vtramque opinionem in ſua probabilitate reliquerant:* nunc in vniuerſum de omnibus Pontificibus, qui de Conceptione ſtatuerunt, pronuncias plura decreuiſſe, *vt à definitione abſtinentes, & vtramque ſententiam in gradu probabilitatis relinquentes*, excitatas turbas componerent. Deinde num. ſequenti aſſeris reliquorum poſt Sixtum Quartum Pontificum, *decreta ad vtriuſque ſententiæ probabilitatem ſeruandam directa.* Rurſum num. 4 ad Gregorium XV. redis, à quo (aſsiſtente Spiritu Sancto) *decretum prodijt vtrãque ſententiam in ſua probabilitate confirmans*. Deni- 7.

que

que num. 23. inquis: *In controuerſia de Conceptione Eccleſia Mater piam fouet intentionem vtriuſque partis opinantium, ſine præiudicio veritatis.*

8. Sed mihi crede, nullus Pontificum, qui de Conceptione ſtatuerunt, dixit vnquam tuam ſententiam eſſe probabilem. Et ne mihi iraſcaris, addo etiam, neque meam. Itaque falſum eſt Pontifices, *vtramque ſententiam in gradu probabilitatis reliquiſſe*, aut ſua decreta, *ad vtriuſque ſententiæ probabilitatem ſeruandam direxiſſe*, aut *vtramque ſententiam in ſua probabilitate confirmaſſe*. Hoc vel inde manifeſtum eſt, quia nullus circa qualitatē vtriuſque ſententiæ aliquid pronunciauit, niſi quod neutra eſt hæretica, aut erronea; an vero vtraque, vel earum aliqua probabilis ſit, an certa, aut dubia, de hoc ne verbum quidem, vt eorum decreta legenti patebit. Cùm ergo nihil de probabilitate pronuntiēt, ex cerebro tuo fingis earum probabilitatem confirmaſſe, & ad eam ſeruandam decreta ſua direxiſſe.

9. At, inquis, Pontifices vtramque ſententiam appellant *opinionem*; affirmatiuam quidem Sixtus IV. in Extrauaganti *Grauenimis*, Alexander Sextus in Bulla *illius qui ſe*, Paulus V. in ea, quæ incipit: *Regis pacifici*, idem Paulus, & Gregorius XV. in decretis ſanctæ Romanæ Inquiſitionis; negatiuā vero Paulus ipſe in prædicto decreto:

opi-

opinionis autem nomine non appellatur, niſi quod probabile eſt. Cum ergo Pontifices vtramque ſententiam *opinionem* appellent, probabilem cenſent, & declarant. Sed hæc nihil concludunt. Non enim Pontifices *opinionem probabilem* dicunt, ſed duntaxat *opinionem*. Solet autem hæc vox ijs ſententijs tribui, quæ tamen probabiles non putantur: nihil enim frequentius apud ſcholaſticos quam, vt cum de aliqua ſententia, quæ ipſis non placet, loquuntur, dicant; *hæc opinio non eſt probabilis*. Deinde ſatis eſt ſententiam aliquam nõ eſſe hæreticam aut erroneam, aut cẽſura aliqua Theologica dignam, vt opinio appelletur, quamuis fortè probabilis non cenſeatur. Imô verò aliquando, quod erroneum eſt, opinionis vocabulo donatur. Et (vt alia omittamus) in hac ipſa re, de qua agimus, habemus exemplum, nam ipſe Sixtus Quartus in priori extrauaganti *graue nimis* (de qua capite ſeptimo) propoſitiones quas, vt erroneas, damnat, appellat opiniones. *Huiuſmodi* (inquit) *per nos ſic reprobatas, & damnatas aſſertiones, & opiniones*. Quare ex hoc præciſé, quòd Pontifices vtramque ſententiam opinionem appellant, non rectè ſequitur earum probabilitatẽ declaraſſe, aut approbaſſe.

At (iterum inquis) aliunde infertur, nam Pontifices liberam relinquunt facultatem vtramvis 10.

partem tenendi, quòd quidem faciũt Pius V. in Bulla *ſuper ſpeculam*, & Paulus Quintus in decreto ſanctæ Inquiſitionis Romanæ, quod etiam cõfirmat Gregorius XV. hanc autem facultatem non concederent, niſi ſentirent vtramque partem eſſe probabilem, imò vero Pius ipſe Quintus ſatis hoc expreſsit, ita enim inquit: *Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuerſiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile eſſe iudicauerit.* Ecce vtriuſq; partis probabilitatem agnoſcit. Sed hæc etiam nullius momenti ſunt. Quod enim facultatem faciant quidlibet ſentiendi, ſolum probat neutram ſententiam damnari, atque adeò permitti, & tolerari, dum aliud Sedes Apoſtolica non decernit, vt ſæpe ijdem Pontifices monent. Non autem probat vtramque aut earum aliquam poſitiuè approbari, aut in ſua probabilitate confirmari. Iam vero quod ad Pium Quintum attinet, ridiculum eſt eum in illis verbis approbaſſe vtriuſque partis probabilitatẽ, dum mihi per eum licet iudicare meam ſententiam magis piam, & magis probabilem quam tuam; & tibi viciſsim eodem modo tuam meæ præferre. Nam ſi quæ nobis permittit ſentire, eadem ſentit; ergo ſentit meam ſententiam eſſe probabiliorem tua, & tuam viciſsim probabiliorem mea. Hæc autem

pug-

pugnantia ſunt. Sicut ergo ex illis verbis, non licet colligere Pontificem approbare, aut ſentire maiorem probabilitatem huius aut alterius partis, ita neque probabilitatem. Cuius ratio in promptu eſt, quia ibi non loquitur de ſenſu, & iudicio Sedis Apoſtolicæ, ſed de priuatorum iudicijs, vt ex eius verbis liquet.

Mirabitur fortaſſe aliquis nouum præliandi genus. Tu cauſam piæ ſententiæ agere videris, dum eius probabilitatem a Romanis Ponficibus ſeruatam, & confirmatam contendis; ego eam deſerere videor, dũ nego in locis adductis quicquam Pontifices meæ etiam ſententiæ contuliſſe præter tolerantiam, & immunitatem á cenſura. Itaque tu æquus etiam in aduerſarium es, ego (vt eſt in prouerbio) *propria vineta cædo.* Sed ſi quis ita ſecũ animo cogitat, deſinet mirari, poſtquam conſilium tuum deprehenderit. Nempe cum aſſeris Pontifices ſuis decretis *vtramque ſententiam in ſua probabilitate reliquiſſe*, eo tendis, vt perſuadeas eiuſmodi decretis neque tuã ſententiam depreſſam fuiſſe, neque meam altius euectam; ſed vtramque in eo ſtatu perſeuerare, quem olim habebant, cum nondum quicquam decreuerant Pontifices; huc tendunt illa tua: *Vtramque ſententiam in gradu probabilitatis relinquẽtes: decreta ad vtriuſque ſententiæ probabilitatem ſer-* 11.

uandam directa: decretum vtramque ſententiam in ſua probabilitate cõfirmans: Sed hoc prorſus eſt à verita te alienum. Nam cum Sixtus Quartus inſtituit feſtum, & officium Immaculatæ Conceptionis, multum hoc facto deiecit affirmatiuam ſententiam, multum euexit negatiuam; neutramque reliquit in gradu probabilitatis, quem habebat ante feſti inſtitutionem. Nam tuæ ſententiæ probabilitas ſi non extincta, tamen valde imminuta fuit; noſtra vero, vel ad certitudinis gradum aſcendit, vt multi contendunt; vel longe quam tua probabilior, & prorſus probabiliſsima facta eſt, vt alij malunt. Nunc de tuæ ſententiæ probabilitate, & piæ certitudine non diſputo, de quo non nihil infra §. 17. & plura (ſi Deus dederit) in opuſculo noſtro de ſtatu controuerſiæ. Illud, quòd ad præſens attinet, indubitanter pronuncio falſum eſſe, quod ais Pontifices vtrãque ſententiam in gradu probabilitatis reliquiſſe, aut eo direxiſſe ſua decreta, vt vtriuſque probabilitatem ſeruent, aut confirment. Nulla enim verba ſunt in eorum decretis, vnde id elici poſſit. Nam quod vtramque ſententiam appellent *opinionem*, non probabilitatem arguit, ſed immunitatem à cenſura; quòd vero alterutram ſentiendi facultatem faciant, tolerantiam, & permiſsionem duntaxat conuincit. Itaque in his locis,

quæ

quæ communia ſunt tuæ, & noſtræ ſententiæ, nihil præter prædicta agnoſcimus. Honorem autē noſtræ, & tuæ depreſsionem aliunde venamur, nempe ex feſti inſtitutione, & ex alijs diſcriminibus, quæ manifeſta ſunt inter affirmatiuam, & noſtram ſententiã, quæ nunc non libet enumerare, & in ipſis Pontificũ ſanctionibus liquida ſunt.

Sed video te adhuc pro gradu probabilitatis
tuæ ſententiæ, & eius confirmatione ita obijcien 12.
tem. Pontifices in ſuis decretis declarant ſe relinquere opinionem affirmatiuam in eodem ſtatu; ſed ipſa ante Pontificum decreta erat in ſtatu probabilitatis; ergo in eo eam relinquunt, ergo eius probabilitatē decretis ſuis non minuũt, ſed potius ſeruant, & confirmant.

Huius argumenti ſolutio non aliunde melius, 13.
quam ex ipſorum Pontificum verbis ſumenda eſt. Igitur in decreto ſanctæ Romanæ Inquiſitionis adſtante, & approbante Paulo V. poſtquam iubetur, ne quis audeat publice affirmatiuam ſententiam tueri, ita de ea ſubditur: *Per huiuſmodi tamen prohibitionem ſanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupradicta.* Eadem fere repetit decretum Gregorij XV. poſt extenſam ad priuata etiam colloquia,

&

& ſcripta prohibitionem: *Per hoc tamen ſanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquēs in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupradicto fælicis recordationis Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.* Quo ſenſu hi duo Pontifices non inferant præiudicium ſententiæ affirmatiuæ, infra capite duodecimo latè explicabitur. Nūc, quòd ad rem præſentem attinet, duo maximé animaduertenda ſunt. Primum eſt, nullum ex Pontificibus qui Paulum, & Gregorium prædeceſſerunt, hac clauſula vſos, aut declaraſſe ſe per ſua decreta (quamuis ſententiæ negatiuæ fauentia) nullum præiudicium inferre affirmatiuæ, aut eam in ſuo ſtatu relinquere, vt conſtabit legenti conſtitutiones Sixti Quarti, Alexandri Sexti, & Pij Quinti, & ſi quæ ſunt aliæ. Secundum eſt Paulum, & Gregorium non relinquere ſententiam affirmatiuam in antiquo ſtatu, ſed *in eodem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur*, Et adhuc cum limitatione *præterquam quoad ſupradicta.*

14. Hinc liquido infertur, ſi quod fortè præiudicium illatum eſt ſententiæ affirmatiuæ aliorū Pontificum decretis, id non tolli á Paulo, & Gregorio, qui tantum affirmant ſe non inferre præiudicium (nempe nouum), non vero loquuntur de illato ab alijs; imò vero illud conſeruant, dum

teſtan-

Digitized by Google

teſtãtur ſe opinionem relinquere in ſtatu, in quo eam inueniunt. Quare ſi tunc præiudicata erat, præiudicatam reliquerunt. Vnde etiam fit non ſatis eſſe quod hi Pontifices dicant, ſe eàm relinquere in ſtatu præſenti, ad oſtendẽdum eam eſſe probabilem, aut ab eis relinqui in ſtatu probabilitatis, quem olim habuit; nam ſi decreto alicuius prædeceſſoris ſublata eſt aut immunita hæc probabilitas; eam non reſtituunt Paulus, & Gregorius, ſed potius imminutionem confirmant. Non ſolum quia opinionem inſtatu præſenti relinquunt, ſed quia expreſſe volunt vt prædeceſſorum conſtitutiones *in reliquis omnibus, vbi ſuis decretis non aduerſantur, firmæ, & illibatæ remaneant.* Decernunt autem ipſi publicum, & priuatum ſententiæ affirmatiuæ ſilentium, cui non aduerſatur quodvis aliud præiudicium ab alijs illatum. Niſi ergo probes nullum ex prædeceſſoribus Pauli, & Gregorij deieciſſe tuam ſententiam a ſuo ſtatu; non probas eos reliquiſſe eam in gradu probabilitatis, quia in ſtatu præſenti reliquerunt.

At hoc minimè probabis. Nam eo ipſo quòd Sixtus IV. feſtum Conceptionis inſtituit iuxta ſenſum negatiuæ ſententiæ, affirmatiuam plurimum depreſsit; & aut probabilitatem, quam ante hanc inſtitutionem habebat, ſubſtulit, vt ali- 15.

qui

qui contendunt;aut magna ex parte imminuit, vt alij volunt. Vtrum horum aſſerendum ſit, modô non diſputo;certe alterum neceſſarió dicendum eſt. Sed de his plura in opuſculo noſtro citato, vbi late oſtendemus vtriuſque ſententiæ diſcrimina ex inſtitutione feſti Conceptionis exorta,quantumque negatiua euecta ſit, quantum depreſſa affirmatiua. Nunc(alijs prætermiſſis) illud animaduerſione dignum eſt, Sixtum Quartum neque in extrauaganti *cum præ excelſa*, vbi feſtum inſtituit,neque in vtraque *graue nimis* vbi inſtitutionem repetit,& confirmat,addidiſſe ſe non intendere vllum præiudicium inferre ſententiæ affirmatiuæ,aut eam in ſuo ſtatu relinquere. Nempe videbat,& præiudicium ei inferri,& ſtatum mutari ipſa feſti inſtitutione; Et nihilominus vtrumque voluit, ideo conſulto ab ea clauſula abſtinuit.

14. Quod ſi adhuc dubitas, expende obſecro in ſimili cauſa vtriuſque ſententiæ quam diſsimili fundamento nitatur Pontifex. Prohibet in extrauaganti *Graue nimis* ne quis audeat ſiue affirmatiuam,ſiue negatiuam ſententiam hæreſis nota inurere;& tamen vtriuſque diuerſam rationem reddit. Nam cum de negatiua loquitur, allegat feſtum Conceptionis, quod Eccleſia Romana celebrat; cum veró de affirmatiua, nondum

eſſe à Sede Apoſtolica damnatam. Verba ſunt: *Cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Viginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit; nonnulli, &c. affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos qui tenent, aut aſſerunt eandem glorioſam, & Immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe Conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, &c.* Ecce ex feſti inſtitutione cenſuram hæreſis propellit á negatiua ſententia. Cum verò ab eadem liberat affirmatiuam damnans eos, *qui auſi fuerint aſſerere cõtrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale*; aliam longe cauſam reddit, nempe: *Cum nondum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum.* Itaque ratio cur non debet hæreſeos notari ſententia aſſerens Virginem ſine maculata conceptam, eſt, quia Eccleſia Romana hanc Conceptionem colit; ratio verò cur non eſt iudicanda hæretica ſententia defendens Conceptionem in peccato factam, eſt, quia id nondum eſt ab Eccleſia Romana deciſum.

Non otioſé Pontifex eiuſdem prohibitionis diuerſas cauſas reddit, cum poſſet eandem. Sane ſi (vt tu comminiſceris) ad ſeruandam vtriuſ- 17.

N que

que ſententiæ probabilitatem decreta ſua direxiſſet; opportunum erat, cum prohibet vtramque dici hæreticam, rationem reddere, *quia vtraque eſt probabilis*, optimamque prohibitionis cauſam aſsignaſſet. At ab ea abſtinuit, nempe quia eo fauore non eſt dignatus affirmatiuam, & ampliori voluit negatiuam honorare. Rurſum poſſet etiam prohibere nequis aliquam ex his ſententijs dicat hæreticam, *quia neutra eſt ab Eccleſia damnata*, & hac etiam ratione vno verbo conuenientem reddidiſſet prohibitionis cauſam. Cur ergo ad diuerſas recurrit? nempe vt intelligas, quantum poſt inſtitutionem feſti excellat ſententia negans affirmantem. Hæc enim tantùm non eſt dicenda hæretica, quia id Eccleſia nō declarauit: illa vero nō propterea dūtaxat, ſed maximè, quia licet eam Eccleſia non definierit; approbat tamen, & commendat, dum de Conceptione Immaculata (quam ipſa defendit) feſtum celebrat. Hoc honore (quo caret oppoſita) adeò euecta eſt, vt qui eam damnauerit, damnare videatur Eccleſiam Romanam, ſiquidem reprehendit, quod ipſa colit. At qui damnat affirmatiuam, non propterea Eccleſiam ipſam reprehendit. Itaque ille iniuriam irrogat Eccleſiæ, hic opinioni. Certe quamuis vterque in Eccleſiæ iura peccet, diuerſo tamen crimine; ille enim, qui negatiuam

dam-

Digitized by Google

damnat eadem nota iudicium, & mentem Eccleſiæ quodammodo aſpergit, quaſi colat rem cultu indignam; qui verò affirmatiuam, reus duntaxat eſt vſurpati iudicij, & authoritatis, & violati præcepti prohibentis cenſuram ante Eccleſiæ declarationem.

Præterea ſi quid fauet Sixtus ſententiæ affirmatiuæ prohibens eius cenſuram, fauor eſt (vt ita dixerim) negatiuus, quia fundamentum eſt negatio deciſionis, aut non deciſio. Neque tam fauor eſt, quam iniuriæ propulſatio. Habet enim ea ſententia ius, ne à priuato quopiam damnetur, dum ab Eccleſia non damnatur. At ſententiæ neganti fauet Pontifex (vt more ſcholaſtico loquar) *poſitiuè*. Quia prohibitionis cauſa non eſt negatiuum aliquid, id eſt *rem nondum eſſe ab Eccleſia deciſam*, ſed poſitiuũ quid, id eſt *Eccleſiam celebrare feſtum Conceptionis*. Sixtus ergo, vt tam ampla vtriuſque ſententiæ diſcrimina innuat; cum in eorum audaciam excandeſcit, qui negantem ſentẽtiam damnabant; iuſtæ animaduerſionis cauſam ob oculos ponens ſic orditur: *Cum ſancta Romana Eccleſia de Conceptione feſtum celebret, &c.* Cum autem prohibet ne affirmatiua hæreſis nota inuratur, inquit: *Cum nondum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum.* 18.

Atque in hac verborum differentia, quibus 19.

vtitur Pontifex, neſcio quid latet læti auſpicij pro negante ſententia; neſcio quid triſtis ominis contra affirmantem, ſi res ad deciſionem veniat. Diuerſæ enim cauſæ quas reddit Pontifex, non obſcuré innuunt, quamuis ambæ ſententiæ, æquales ſint, quod attinet ad actualem damnationem, quia videlicet neutra eſt ab Eccleſia damnata; tamen toto cœlo diſtare, ſi damnabilitas (vt ita dicam) ſpectetur. Ratio enim cur Pontifex prohibet, ne à quoquam dicatur hæretica ſententia affirmans, ſolum vim habet reſpectu priuati cuiuſquam, non vero reſpectu Eccleſiæ. Nam quòd Eccleſia adhuc aliquid nō damnauerit, rectè quidem probat non eſſe à priuatis damnandum; non vero non poſſe deinceps ab Eccleſia damnari. At ratio cur Pontifex prohibet ſententiam negatiuam hæreſeos labe notari; & in priuatis, & in ipſa Eccleſia vim ſuam exercet, nempe celebratio feſti de Immaculata Conceptione. Nam ſi à quoquam non debet ſententia negans affici cenſura hæreſis, quia Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis; propter eandem rationem non debet ab ipſa Eccleſia. Sicut enim priuatus cenſura ſua non ſolam opinionem, ſed Eccleſiam ipſam læderet notans eius iudicium, & mentem, quaſi erret celebrans ſubiectum opinionis hæreticæ; ita, imò, & multô magis, Eccleſia ſe ipſam notaret,

ſi hæreticum declararet, quod ipſa ſolemniter coluit. In hoc ergo euentu magis læderetur authoritas Eccleſiæ, quám ex cenſura priuatorum, & tamen hæc merito prohibetur á Sixto, non alia de cauſa niſi quia *Romana Eccleſia de Conceptione publice feſtum, & ſolemniter celebrat*. Magnum ergo pignus nobis dedit Pontifex his verbis, vt ſperemus, ſi cauſa decidatur, pro negatiua ſententia decernendum, neque contrarium timeamus. Propterea multi ſunt, qui aſſerant affirmatiuam ſententiam non eſſe definibilem de fide, de quo alibi. Nos illud non dubitamus noſtram proximiorem eſſe definitioni. Itaque pia ſententia, quamuis adhuc terram, id eſt firmitatem fidei non attigit; tamen in portu nauigat: altera in alto iactatur fluctibus obnoxia. Sed de his ſatis. Solum enim in præſenti noſtra intereſt oſtẽdiſſe ex decretis Pontificum minimè concludi probabilitatem affirmatiuæ ſententiæ.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 3.

ANte decretum felicis recordationis Gregorij XV. de officio recitando ſub nomine Conceptionis retenta á Dominicanis voce ſanctificationis ex nomi- 20.

num diſtinctione inferebatur opinionū diſtinctio. Ita vt Conceptio præſeruationem apud eius vocis aſſertores importaret, ſanctificatio verò alteram ſententiam exprimeret. Itaque tunc idem erat apud illos dicere Conceptio, & Immaculata Conceptio, & Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis æque abſtinebant. Vnde Sixtus IV. Pontifex vbi damnat impugnātes recitatores officij Leonardi de Nogarolis, nihil de titulo ab auctore impoſito ſolicitus fuit. Intentum enim Pontificis fuit, vt illa ſententia non damnaretur, nec officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur. Cui deinde cætera Summorum Pontificum decreta ad vtriuſque ſententiæ probabilitatem ſeruandam peculiariter directa adhæſerunt. Sed cum adhuc contentiones exardeſcerent, affirmatiuæ opinantibus à Paulo V. ſilentium indictum eſt.

§. III.

ANTE GREGORIVM XV. OFFICIVM Conceptionis erat publicum, hoc eſt Eccleſiæ Romanæ; ſanctificationis verò priuatum, id eſt quorundam ex Dominicanis. Sixtus Quartus pro titulo Immaculatæ decernit in extrauaganti graue nimis.

21. De diuerſis officijs altero ſub nomine Concep-

tionis

tionis, altero ſub nomine ſanctificationis ante Gregorium XV. ita loqueris, ac ſi priuatorum duntaxat fuerint, puta officium Conceptionis familiæ Franciſcanæ, & priuatarum Eccleſiarũ; ſanctificationis verò Dominicanæ; quibus Sedes Apoſtolica ex æquo permiſſerit, vt quælibet ſuo officio vteretur. Tunc ex nominum diſtinctione (inquis) inferebatur opinionum diſtinctio, nã qui recitabant officium Conceptionis, intelligebant ſub ea voce præſeruationem; Dominicani vero opinionem ſuam proteſtabãtur vtentes ſanctificationis voce. Itaque diſsidiũ opinionum, & diuerſus ſenſus, & vſus vocum in Officio diuino ad priuatos tantum attinebat. Sixtus autem IV. id tantum egit, vt prohiberet cenſura hæreſis affici fautores Immaculatæ, & peccati mortalis nota recitatores officij Nogarolici, nihil ſolicitus de titulo Immaculatæ, quem author huius officij addidit. Hæc eſt mens tua in his verbis, licet ſubobſcura, & latens. Sed quantum ſit á veritate aliena, res ipſa docet. Longo interuallo diſtabant etiam ante Gregorium officium Conceptionis, & officium ſanctificationis. Hoc priuati cuiuſdam ordinis erat, nempe Dominicani, & quidem nõ integri (vt tetigi capite primo, & oſtendam capite decimotertio) illud non priuati ordinis aut Eccleſiæ, ſed Romanæ omnium

Ma-

Matris, & Magiſtræ, quæ á tempore Sixti Quarti officium non ſolum approbauit, ſed inſtituit, ſed ſibi ſumpſit, & in Romanos ritus admiſsit, vt ex eiuſdem Sixti extrauagantibus, *cum præexcelſa, & graue nimis* liquidò conſtat. Itaque diſsidiū illud vocū Conceptionis, & ſanctificationis in Officio diuino non erat inter priuatos, vt tu ſupponis, & perſuadere cupis, ſed inter Romanam Eccleſiam cæteraſque Orbis ac Religioſos ordines ex vna parte; & Dominicanam familiam ex alia. Quare cum de diuerſitate Officij diuini loquens aſſeris: *ex nominum diſtinctione inſerebatur opinionum diſtinctio, ita vt Conceptio præſeruationem apud eius vocis aſſertores importaret, ſanctificatio vero alteram ſententiam exprimeret,* laqueum tibi nectis. Nam ſi conceptio importabat præſeruationem apud eius vocis aſſertores; importabat apud Eccleſiam Romanam. Ipſa enim vtebatur ea voce in Officio diuino. Imo poſt Pium Quintum omnes ex eiuſdem Romanæ Eccleſiæ præcepto exceptis Dominicanis, qui ſanctificationis voce vtebantur. Ergo ex tuis verbis conuinceris iuxta mentem Eccleſiæ Romanæ ante Gregorium coli in feſto Conceptionis præſeruationē. Sed de his capite octauo, & nono. Et de acceptionibus Conceptionis capite decimo.

22. Nunc vide quám ſiniſtre interpreteris mentē

Six-

Sixti Quarti, quaſi priuatorum tantum cauſam egerit, dum aſſertores Immaculatæ, & recitatores officij Conceptionis liberos vult á cenſura hæreſis, & nota peccati. Sixtus non priuatorum præcipue, ſed Romanæ Eccleſiæ cauſam agebat. Non defendebat officium Nogarolis, quia Nogarolis; ſed quia Eccleſiæ Romanæ. Hæc officiũ illud amplexa erat, ſuis Miſſali, & Breuiario inſeruerat, denique iuxta ipſum publice, & ſolemniter celebrabat feſtum Conceptionis. Itaque impudentes illi, qui audebant damnare recitantes officium Nogarolis, Eccleſiam ipſam Romanam damnabant. Ideò Pontifex in eos excandeſcens, & iuſtæ animaduerſionis rationem reddens in extrauaganti *graue nimis*, ait: *Cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit, nonnulli, ut accepimus, diuerſorum ordinum Prædicatores, &c.* Hinc mirari licet qua confidentia aſſeras Sixtum non fuiſſe ſolicitum de titulo Immaculatæ ab authore officij impoſito, ſed tantum ne damnarentur recitatores officij Nogarolici. Si de titulo Immaculatæ, & præſeruatæ, qui toties in illo officio exprimitur, nihil fuit ſolicitus Pontifex; nihil ſané fuit (quod ad officium Conceptionis attinet) de quo fuiſſet ſolicitus. Impugnatores enim

in quos animaduertit Sixtus, non damnabant recitatores officij Conceptionis vtcumque, ſed officium Conceptionis Immaculatæ, vt euidenter conſtat ex ipſa extrauaganti, & oſtendemus capite octauo. Rurſum titulus immaculatæ, & præſeruatæ ſæpius repetitur in officio illo, & propterea eius recitationem damnabant impugnatores; hoc autem officium approbauerat, & inſtituerat Eccleſia Romana, & eo vtebatur. I nunc, & finge Sixtum nihil fuiſſe ſolicitum de titulo, quem Eccleſia Romana tribuebat Conceptioni, & quem damnabant impugnatores, & de quo lis tota erat. Approbauit ergo Pontifex titulum Immaculatæ, dum damnauit erroris eos qui aſſerebant peccatum eſſe vti eo officio, in quo hoc titulo inſignitur Conceptio. Idem etiã præſtiterunt reliqui Pontifices, quotquot conſtitutiones Sixti confirmarunt.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 4.

23. *DEmum (quod Spiritus Sancti aſsiſtentiam Sũmo Pontifici in Eccleſiæ regimine mire demonſtrat) dum aduerſarij ſub Gregorio XV. ſummo conatu partis aſſirmantis præiudicium exquirunt, decretum*

prodijt vtranque ſententiam in ſua probabilitate confirmans, cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Cõceptionis ſanctificationem intelligunt, aduerſarij verò præſeruationem.

§. IIII.

LIBELLATOR GREGORIANO DECRETO imponit, & pugnantia tribuit.

RECTE ſanè agis, dum in decreto Gregoriano Spiritus Sancti aſsiſtentiam agnoſcis. Itaque ex aſsiſtentia Spiritus Sancti impoſitum eſt tuæ ſententiæ ſilentium, vt ne in priuatis quidem colloquijs aut ſcriptis audeat mutire. Ex aſsiſtentia Spiritus Sancti iuſſum eſt vt in officio diuino abſtineas à voce ſanctificationis, quæ abſtrahit ab ipſo momento Conceptionis, & vtaris hac voce, quæ primum inſtans animationis concernit. Vt intelligas non ſanctificationem vtcumque, ſed in primo inſtanti colendam eſſe. Ex aſsiſtentia Spiritus Sancti præcipèris celebrare feſtum Conceptionis iuxta mentem, & ſenſum Eccleſiæ Romanæ, quæ aſsiſtente eodem Spiritu Sancto approbauit ſub Sixto IV. & inſtituit officum, in quo honorat Conceptionem titulo *Immaculatæ,* & eo vſa eſt centum 24.

ferè annis. Ac tandem aſsiſtente Spiritu Sancto à tempore Pij V. & hodie eandem Conceptionem appellat *Sanctam*, id eſt cum gratia ſanctificante coniunctam, atque adeò Immaculatam. Cum ergo idem Spiritus Sanctus aſtiterit Sixto Quarto, & Gregorio XV. cur audes hos Pontifices quaſi inter ſe pugnantes nobis proponere, & Gregorium prohibentem titulum Immaculatæ, quem Sixtus ſtabilibit? cur contendis Gregorium intelligere in Officio diuino ſub voce Conceptionis ſolam ſanctificationem, quam Sixtus eliminauit damnans erroris eos, qui dixerint Eccleſiam Romanam in feſto Conceptionis ſanctificationem dũtaxat celebrare? Non te pudet contraria, & inter ſe pugnantia aſsiſtentiæ Spiritus Sãcti tribuere? Nõ te pudet introducere eundem Spiritum Sanctum approbantem in Gregorio Decimoquinto errorem, quem in Sixto Quarto damnauit?

25. Neque prætermittendum eſt, quàm integrè, & fideliter narres decretum illud, quod (vt inquis) mire demonſtrat Spiritus Sancti aſsiſtentiam Summo Pontifici in Eccleſiæ regimine. *Decretum* (ais) *prodijt vtramque ſententiam in ſua probabilitate confirmans*. Quaſi verò hic fuerit ſcopus, & finis decreti, & non potius ſilentium tuæ ſententiæ indictum, & ablegatio officij ſanctificatio-

nis,& præceptum, vt omnes in Officio diuino Conceptionis nomen vſurpent. Quæ omnia, & tu taces,& ego non video qua ratione confirmēt probabilitatem tuæ opinionis. Solum ſcio ne his rebus putaretur damnata, cauiſſe Pontificem ſe non eam damnare,ſed in ſuo ſtatu relinquere. Et tamen tu, quaſi ſententia etiam negatiua hoc pharmaco indiguerit, cum tua coniungis, & ais *vtramque ſententiam in ſua probabilitate confirmans*. Cum neque Gregorius id,aut quid ſimile, neque vllus vnquam Pontifex dixerit, vt ſatis §.2.oſtendimus. Iam vero egregium eſt quod addis vigore huius decreti Fratres Prædicatores nomine Conceptionis ſanctificationē intelli gere,aduerſatios vero præſeruationem. Hæc ſane cum inter ſe pugnent,non poſſunt eiuſdem decreti vigore ſubſiſtere. Sed de pugna,quā tecum inis in his verbis,vide infra §.6.& capite vndeci mo à num.14. ad 17.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 5.

HOc igitur decreto ſincerè, & vt iacet inſpecto, quo diſſertè omnibus iniungitur vt in officio, non alio quàm Conceptionis vtantur nomine, 26.

falluntur, qui putant Dominicanos tantum ligari, vt à nomine Sanctificationis abſtineant. Decretum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris eſt. Omnes inſtruit, omnibus præcipit, & voces omnes præter Conceptionem excludit.

§. V.

GREGORIVS XV. NON PROHIBVIT officium Leonardi de Nogarolis.

27. AB hoc num. ad decimumtertium perſuadere cupis prohibitum eſſe vſum officij Nogarolici, quo hodie vtuntur Fráciſcani, & hoc inprimis à Pio V. deinde a Gregorio XV. ipſo decreto quo prohibet officium ſanctificationis, quo Dominicani vtebantur. Vt inde tandem probes æque prohibitam eſſe in Officio diuino vocem *Immaculata*, ac vocem *Sanctificatio*. De prohibitione Pij Quinti poſtea ſuo loco. Nunc certo certius eſt Gregorium XV. non prohibuiſſe officium Nogarolis. Id manifeſte patebit ſi attendatur ſcopus, & finis decreti. Erant duo diuerſi generis officia, alterum ſub nomine Conceptionis, alterum ſub nomine ſanctificationis. Diſplicuit hoc ſecundum Gregorio, iuſsitque vt omnes ſub vno Conceptionis nomine celebrarent, nec alio vterentur, hoc eſt ſanctificatio-

nis,

nis, vel ſimili. Quis non videat ex vi huius decreti nõ prohiberi officia, quæ nomine Conceptionis vtuntur? at officium Nogarolis, ſub hoc nomine celebrat, Conceptionem enim præſefert in titulo, & ſæpiſsimé eã repetit. Non ergo prohibetur decreto Gregoriano.

Obijcis. Duo præcipit Pontifex, alterum, vt omnes Conceptionis nomine vtantur; alterum, vt non alio nomine. Primum, quidem præſtat officium Nogarolicum, vtitur enim nomine Conceptionis: at in ſecundo frangit præceptum, vtitur enim alio quam Conceptionis nomine, videlicet, *Immaculata, præſeruata, &c.* quæ alia nomina ſunt á Conceptione. Prohibetur ergo decreto Gregoriano, quod voces omnes præter Conceptionem excludit, non tantum ſanctificationem. Id vel inde patet; nam ſi hanc ſolam excluſam vellet, iuberet, *vt omnes Conceptionis nomine vtantur, non ſanctificationis.* Non autem ita iuſsit, ſed vt *omnes non alio quàm Conceptionis nomine vtantur.* Nõ ergo ſolam ſanctificationem excluſit, ſed omnes voces præter Cõceptionem. Ergo Immaculatã: ergo officium Nogarolicum. 28.

Sed vide quid agas hoc tu argumento. Nam ſi Gregorius omnes voces præter Conceptionẽ prohibet; ergo ſi in officio Conceptionis nominauero Deum, aut Mariam, decretum Gregorij 29.

fran-

ſrango, nam *Deus, & Maria* alia nomina ſunt, quã Conceptio. Itaque, te authore, cum feſtum Conceptionis celebramus, nihil aliud proferre poſſumus, quàm *Conceptio, Conceptio, Conceptio, & millies Conceptio*, quandoquidem omnes aliæ voces prohibentur. Hæc ſi non rides, rideberis. Quôd ſi rides; ride etiam illud tuum *voces omnes præter Conceptionem excludit*, Et adhibe decreto Gregoriano prudentem, & ſanam intelligentiam, quæ facillima eſt, ſi ſubiectam materiam aduertas. Celebrabatur feſtum ſub duplici titulo, *Conceptionis* ab Eccleſia Romana, & penè vniuerſo Orbe Chriſtiano, *ſanctificationis* ab aliquibus Dominicanis. Iuſsit Gregorius, vt omnes non alio, quam Conceptionis nomine vtantur. Hoc fuit prohibere vocem ſanctificationis. Sed cur non eam determinatê excluſit, ſed generalius *non alio?* nempe ne ſi eam tantúm excluderet, putares locum relinqui alijs vocibus, quibus ſignificatur Virginem poſt primum animationis inſtans fuiſſe ſanctificatam (quales habet plurimas officium Bandelli) & pro ſanctificatione ſubſtitueres *mundationem*, aut *emaculationem*, aut quid ſimile, contenderesque eas voces nõ fuiſſe prohibitas, ſed ſanctificationem duntaxat. Voluit ergo Pontifex, vt Conceptionem colas, & nomines; neque vocem adhibeas aliquam, qua ſignificetur feſtum non eſſe de

Con-

Conceptione, vt concernit primum inſtans animationis. Illas verò quæ huic ſenſui non aduerſantur, ſed potius illum firmant, & ornant, vt *Immaculata, præſeruata*, minimé prohibet. Neque qui eis vtitur, alio quàm Conceptionis nomine vtitur. Cóceptio enim ſiue ſolitarie proferatur, ſiue cum adiectiuo *Immaculata*, idem prorſus nomen eſt. Quód ſi adhuc contendis Gregorium adiectiua etiam Conceptionis prohibere, nam adiectiuum diuerſum nomen eſt á ſubſtantiuo, iubet autem ne alio quàm Conceptionis nomine vtantur; fatearis neceſſe eſt Eccleſiam Romanam ream eſſe decreti Gregoriani, hodie enim in Officio diuino Conceptionem appellat *Dignißimam, & Sanctam*, hæ autem voces diuerſa nomina ſunt á Conceptione. Ergo vtitur alio quam Conceptionis nomine. Ergo Eccleſia Romana frangit decretum Gregorij, Quo quid abſurdius? Vanum ergo eſt quod ais Gregorium ſuo decreto omnes voces præter Conceptionem excludere, atque adeò prohibere officium Nogarolis, in quo Conceptio dicitur Immaculata.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 6.

En ergo temporum diſtinctio neceſſario attendenda. 30.

Siquidem aliquando idem erat dicere apud plures Conceptio, & Immaculata Conceptio, at poſt Gregorium non idem ſonat. Ac proinde quæ de Sixto Quarto alijſque Pontificibus ante Gregorium XV. afferuntur quoad titulum Immaculatæ Conceptionis, anacroniſmi fallaciam continent.

§. VI.

LIBELLATORIS CONTRADICTIO.

31. O Calamvm ſui immemorem! num. 4. ſcripſeras vigore Gregoriani decreti fautores Immaculatæ intelligere præſeruationem. Nunc poſt paucisſimas lineas aſſeris Conceptionem poſt Gregorium non ſonare, quòd antea ſolebat, nempe Immaculatam Conceptionem. Si præſeruationem ſignificat, cur nō etiam Immaculatam? Sed de hac tua pugna vide capite vndecimo num. 14. & 15. nunc cum eadem ſemper fuerit acceptio Conceptionis in officio diuino, vt oſtendemus cap. nono, & vndecimo, nihil refert temporum diſtinctio, quam tu neceſſario attendendam dicis; quaſi diuerſitas tēporum diuerſos Sedis Apoſtolicæ ſenſus neceſſariò arguat. Satius eſſet vt animaduerteres diuerſis licet temporibus, eandem tamen eſſe Eccleſiam Romanam, eodem ſpiritu regi. Quod ſi

face-

faceres, conſenſum Sixti Quarti, & Gregorij XV, non auderes anacroniſmi fallaciam vocare.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 7.

EX Quo patet quòd præcipuum aduerſariorum argumentum deſumptum à conceſsione officij Nogarolis facta à Sixto Quarto, tantum abeſt quòd vrgeat poſt Gregorium XV. quòd imò hiſce temporibus officium illud videtur non eſſe amplius recitandum, quia expreſſe alio vtitur quam Conceptionis nomine, hoc eſt præſeruationis, & Immaculatæ Conceptionis. Cum enim actus priores corrigantur per poſteriores, Gregorij XV. decreto abrogata videtur huiuſmodi conceſsio, & per conſequens pœna aliàs pro temporis exigentia vſum dicti officij improbantibus impoſita. Sit argumentum rem ita euincens. 32.

§. VII.

GREGORIANVM DECRETVM non corrigit Sixtianam conſtitutionem, ſed confirmat.

An liceat hodie recitare officium Nogarolis 33.

Digitized by Google

infra §.11.examinabitur. Illud interim monemus quamuis eius vſus prorſus interdictus eſſet, nihilominus pro titulo Immaculatæ conſeruando non minus efficax argumentum ex eo officio deſumeretur, quam ſi adhuc omnibus liceret eo vti, vt prædicto loco oſtendemus. Quare perperā in hoc num. & ſequentibus laboras in oſtendenda eius officij abolitione, quaſi inde argumentum enerues. Certe quòd ad Gregorium XV. attinet, ſatis oſtendimus, §. quinto hoc officium non fuiſſe vigore illius decreti ſublatum, ineptamque eſſe rationem, qua id conaris oſtendere. Vnde etiam fit ſuperuacaneam eſſe doctrinam, quam addis, de correctione actuum priorum per poſteriores. Cum enim Gregorius hac in re nihil decreuerit, quod aduerſetur conſtitutionibus Sixti Quarti; nihil opus eſt intelligere has correctas fuiſſe decreto Gregoriano. Solum tibi opus eſt diſcere ab authoribus quàm parce admittenda ſit correctio in decretis Pontificum, vt tentandæ potius ſint quæcumque explicationes, quibus in concordiam vocentur; quàm admittenda contrarietas, & correctio prioris per poſterius. Adeò vt ſi opus ſit *impropriandæ* ſint verba (ita enim loquuntur.) Odioſa enim eſt iuris correctio. Sed tu nihil de hoc ſolicitus nondum in ſcirpo quæris; & vbi ne vmbra quidē

eſt contrarietatis inter Gregorium, & Sixtum, huius cōſtitutiones illius decreto correctas vis, qui tamen expreſſa eas confirmat. Quod veró ſupponens officium illud abrogatum eſſe decreto Gregoriano addis abrogatam etiam videri pœnam á Sixto impoſitam improbātibus vſum prædicti officij; commodius examinabitur §. 11. nunc videamus argumentum quod (vt inquis) euincit officij Nogarolici abrogationem.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 8.

NOmen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente ſententià negante Immaculatam; ergo non eſt nomen, cui apponendum ſit adiectiuum Immaculatæ. Ergo ſi dixerim Conceptio Immaculata, vtor alio nomine quàm Conceptionis: ergo ſi recitem officium Nogarolis, decretū Gregorianum frango. 34.

§. VIII.

LIBELLATORIS ARGVMENtatio in ipſum retorta.

Si tibi hæc argumētatio abrogationem probat 35.

officij Nogarolici, probabit etiam eodem decreto Gregoriano prohibitum eſſe officium Conceptionis, quo hodie vtitur Eccleſia Romana, & in quo Virginis Conceptio appellatur *Sancta.* Certum enim eſt incompatibilia eſſe quod Virgo fuerit in peccato originali concepta, & quod eius Conceptio fuerit ſancta. Nam peccatum originale, & ſanctitas, hoc eſt gratia ſanctificans, inter ſe pugnant. Quare ſententia affirmans Virginem in peccato originali Conceptā neceſſario excludit ab eius Conceptione ſanctitatem. Vide nunc argumentum ſimile, vel idem tuo: *Nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente ſententiā negante Conceptionem fuiſſe ſanctam: ergo non eſt nomen cui apponendum ſit adiectiuum ſanctæ: Ergo ſi dixero Couceptio ſancta, vtor alio nomine quàm Conceptionis. Ergo ſi recitem officium, quo Eccleſia Romana hodie vtitur, decretum Gregorianum frango.* Quid abſurdius? abſurdum ergo etiam eſt ex decreto Gregoriano argumentari aduerſus officium Nogarolicum.

36. Vides tuum argumentum nihil probare. Audi nunc ſolutionem vtriuſque, ne tibi fucum faciat paralogiſmus. In vtente ſententia negante Immaculatam, aut Sanctam diſtingue duo valde diuerſa, aſſenſum videlicet quo huic ſententiæ adhæret, & recitationem Officij diuini ex præ-

cepto

cepto Gregorij. Primum priuati hominis eſt, ſecundum miniſtri publici nomine Eccleſiæ munus ſacrum exercentis. Optimè ergo compati poteſt, vt ipſe priuatim ſentiat Conceptionem fuiſſe in peccato originali, atque adeò neque Immaculatam, neque Sanctam; & tamen vt miniſter Eccleſiæ recitet officium, in quo ipſa Conceptio celebratur, vt Sancta, & Immaculata. Hanc recitationem iubet Gregorius, non vetans ſenſum illum priuatum. Quare perperam ex ſenſu priuatæ opinionis venaris ſenſum Officij diuini, in quo mens Eccleſiæ, non tua, attēditur. Hæc ſi adhuc nō ſatis intelligis, adi caput duodecimum.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 9.

NEc valet quod dicitur alios Summos Pontifices poſt Sixtum Quartum, atque etiam ſacrum Concilium Tridentinum Sixti Quarti conſtitutiones confirmaſſe. Scopus enim confirmationis eſt, vt neutra opinio cenſuræ ſubdatur, non autem vt officium Nogarolis confirmetur. Et quod præcipuè attendendum eſt implicat confirmationem Gregorij cadere ſuper his, de quibus ipſe aliter expreſſè diſponit. 37.

§. IX.

FESTVM, ET OFFICIVM IMMACVLATÆ Conceptionis confirmantur, quoties confirmantur Sixtianæ Conſtitutiones.

38. SCopvs confirmationis idem eſt, ac conſtitutionum, quæ confirmantur. Scopus autẽ conſtitutionum Sixti neque vnice, neque præcipue eſt, vt neutra opinio cenſuræ ſubdatur, ſed in primis inſtituere feſtum, & officium Conceptionis Immaculatæ, & indulgentijs cumulare celebrantes. Quod præſtat in extrauaganti *cum præexcelſa*, vbi nullum verbum eſt de opinionum cenſura. Deinde ſcopus vtriuſque extrauagantis *graue nimis* eſt idem feſtum commendare, vtpote quod Eccleſia Romana *publice, & ſolemniter* celebrat; & idem officium, quod videlicet *ſpeciale ac proprium* eadem Romana Eccleſia ordinauit. Huic ſcopo conſequens fuit compeſcere eorum impudentiam, qui damnare audebant frequentantes hoc feſtum, & officium, & defendentes Immaculatam, quæ in eo officio aſſeritur, & aſtantes concionibus. Hæc omnia confirmant quicumque Sixti conſtitutiones confirmant,

Gre-

Digitized by Google

Gregorius etiam ipſe,cuius confirmationem fa temur cadere non poſſe ſuper his,de quibus ipſe aliter expreſſe diſponit(vt tu præcipuè attendẽdum eſſe dicis)ſed nihil diſponit contrarium officio Nogarolico,præcipere enim vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vtantur,non eſt prohibere titulum Immaculatæ,quo vtitur officium Nogarolis , vt euidenter oſtendimus §. quinto.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 10.

INſuper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit quam vtramque partem controuerſiæ indefinitam relinquere,& contentionum occaſiones reſecare ſub pœnis à Sixto Quarto taxatis ; non autem approbare voluit officium Nogarolis. 39.

§. X.

CONCILIVM TRIDENTINVM CONfirmat officium Immaculatæ, & in ſententiam piam propendit.

Concilium vtramque partem controuerſiæ 40.

Digitized by Google

indeffinitam relinquere,&contẽtionum occaſio nes reſecare ſub pœnis Sixti veriſsimum eſt; Falſiſsimum tamen nihil aliud quam hoc intendere. Intendit enim quidquid Sixtus in tribus extrauagantibus. Nam illam *cum præ excelſa* confirmat, vt oſtendemus capite octauo, in qua tamen nihil eſt de controuerſia, nihil de pœnis. Confirmat etiam vtramque *Graue nimis*, vt docebit caput ſeptimum. Itaque approbat inſtitutionem feſti,& officij Immaculatæ Conceptionis, damnatque, quæcumque damnat Sixtus.

41. Præterea, quod ad definitionẽ attinet, aliquid aliud agit quàm vtramque partem controuerſiæ indefinitam relinquere. Nam licet non definiat partem negantem, vehementer in eam inclinat. Audi eius verba: *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.* Vbi maximé animaduertendum eſt quod tantúm dicit *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere*, non autem addit *non eſſe ſuæ intentionis excipere*. Itaque expreſſe à ſua intentione excludit *comprehenſionem*, non autem *exceptionem*. Sané ſi ita decreuiſſet: *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc*

de-

decreto vbi de peccato originali agitur Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, aut eam excipere; ex æquo anceps eſſet in vtramque partem, & in neutram inclinare videretur; vtrãque æque diſtare à definitione oſtenderet, atque adeò nil aliud (vt tu ais) intenderet, quàm vtrámque indefinitã relinquere: ſed cum comprehenſionem tantûm à ſua intentione excludat, non autem exceptionem; manifeſtè propendet in partem negantem, quamuis eam non definiat; innuitque, ſi quid decernendum eſſet, exceptionem, non comprehenſionem decernendam eſſe. Non credis? finge Cõcilium ita pronuntiaſſe: *Non eſſe ſuæ intentionis excipere à decreto de peccato originali Beatam Virginem.* Bone Deus, quãtum gauderes! quos triumphos ageres de ſententia negante! clamares actum de ea fuiſſe, contenderesque parum aut nihil diſtare: *Non eſſe ſuæ intentionis excipere*, &, *Eſſe ſuæ intentionis non excipere.* Eaque verba Concilij pro definitione venditares. Ex illa ergo tua lætitia, quã tunc haberes, diſce cauſam nunc mærendi. Diſce periculum tuæ ſententiæ, ſi res ad diffinitionẽ procedat. Diſce Concilium plurimum fauere ſententiæ neganti. Diſce denique falſum eſſe quod ais, nihil aliud illis verbis intendere quàm vtramque partem indefinitam relinquere. Nos fatemur Concilium non definiſſe Conceptionẽ

Immaculatam, contendimus tamen definitioni paraſſe viam, planeque prætuliſſe noſtram ſentẽtiam tuæ. Nunc ad officiũ Nogarolis redeamus, quod non fuiſſe á Concilio approbatum ita argumentaris.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 11.

42. *HOc patet euidenter. Nam ſanctæ memoriæ Pius V. dum officium Nogarolis in reformatione Breuiarij in officium Natiuitatis commutauit, profitetur expreſſe in conſtitutione* quod à nobis *ſe Concilio Tridentino inhærere. Itaque receſsiſſet potius à Concilio in huiuſmodi reformatione, ſi Concilium præfatum officium confirmare voluiſſet.*

§. XI.

AN, ET QVO SENSV PIVS QVINTVS officium Nogarolicum abrogauerit? Libellator Sixtianæ conſtitutionis reus.

43. Hic opportunum eſt examinare an Pius V. in reformatione Breuiarij abrogauerit officium

Nogarolis,&quo ſenſu idaut cōcedendū ſit,aut negādū.Qua in re operæ pretiū eſt animaduertere inhoc officio duo ſpectari poſſe,&ſubiectū,& compoſitionem.Subiectum voco rem,quæ in eo colitur,& cuius gratia ordinatū eſt,nempe Conceptionem Immaculatam;compoſitionem verò partes,quibus conſtat,videlicet has Antiphonas, Lectiones,Reſponſoria,Orationes,&c. Hæc autem longe diuerſa eſſe nemo iure inficiabitur. Celebratio enim Conceptionis Immaculatæ nō eſt alligata officio Nogarolico, ſed poteſt alijs, & alijs officijs exprimi,&coli.Atque ita quidē contigit.Nam Bernardinus de Buſti aliud officium compoſuit, quod Sixtus Quartus approbauit. Cardinalis etiam Franciſcus Quinones aliud,quod Clemens Septimus. Vt omittam officium ab Ambroſio Monteſinos compoſitum pro monialibus Immaculatæ Conceptionis, & ab Innocentio Octauo alijſque Pontificibus approbatum. Horum omnium eadem eſt ſubſtantia,idem ſubiectum,nempe *Immaculata Conceptio*, quam æque exprimunt,& colunt. Differunt tamen compoſitione,quia non eiſdem clauſulis,& ſententijs conſtant.Hoc autem diſcrimen accidentarium prorſus eſt, nihil enim refert quibus verbis,& periodis Immaculatam Conceptionē celebrent, dum tamen celebrent.

44. Rurſum approbatio, & confirmatio officij Nogarolici referri poteſt, vel ad authoritatem, quam ei conciliat; vel ad recitationem, quam permitit, aut præcipit. Cum enim Eccleſia Romana officium aliquod inſtituit, & approbat; deſtinat illud ad vſum publicum, & priuatum cultus ſacri, & præterea authoritatis honore cumulat, vt ex eo officio, & verbis eius argumentum efficax deſumi poſsit de veritate rei, quæ eo officio colitur, tanquam ex mēte, & ſenſu Eccleſiæ. Hæc autem inter ſe diuerſa eſſe, & per inſtitutionem, & approbationem præſtari ab Eccleſia officio, quod inſtituit; manifeſtum eſt. His ita animaduerſis non erit difficile inueſtigare, quid egerit Pius Quintus de officio Nogarolico, cum illud expunxit è Breuiario Romano. An prorſus abrogauerit, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad compoſitionem, ſiue quoad authoritatem, ſiue quoad recitationem: an vero tantúm ſecundum aliquid ex prædictis.

Sunt qui putent Pium V. tantúm abrogaſſe
45. officium Nogarolis quoad eas partes, in quibus à norma Breuiarij Romani diſcrepat, nempe lectionum diſtributionem, & verſiculos, quos addit ſingulis Antiphonis, & alia quædam, de quibus cap. 9. num. 4. non verò illud prorſus antiquaſſe, aut eius vſum, & recitationē prohibuiſ-

ſe; ſed reſecatis ijs, in quibus á noui Breuiarij norma recedit (vt modo vtuntur Franciſcani) liberū eſſe vnicuique eo officio vti ad penſum diuini Officij ſoluendum : idque non fuiſſe prohibitum á Pio. Ita ſentit Ægidius Luſitanus lib. 3. de Conceptione quæſt. 5. artic. 6. §. 5. num. 26. idque probat, nam in rubricis eiuſdem Breuiarij reformati, non abolentur officia propria aliquorum feſtorum authoritate Romanæ Eccleſiæ approbata, dummodo ad normam noui Breuiarij reducantur. Verba rubricæ ſunt, tit. 1. de officio duplici: *Officium fit duplex, &c. in feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Cōgregationes conſueuerunt ſolemniter celebrari cum officijs proprijs à Sede Apoſtolica approbatis, aut ex eiuſdē ſedis authoritate receptis, vel recipiendis; ſeruata tamen forma huius Breuiarij.* Cū ergo officiū Nogarolis á Sede Apoſtolica approbatúm ſit, & quidem in forma ſpeciali, Sixti Quarti, & Leonis Decimi diplomatibus, & poſtea ab omnibus Summis Pontificibus receptum, & confirmatum; dubitādum non eſt Pium Quintum illud in ſuo priſtino honore, & vigore reliquiſſe, dummodo ad formam noui Breuiarij redigeretur; quôd vtique factum eſt reſecatis ijs, quæ ab ea norma diſcrepabant, & retento ſemper nomine Immaculatæ Conceptionis.

Ægid. Luſitanus.

Rubrica Breuiarij.

Sed

46. Sed certe negandum non eſt Pium V. antiquaſſe officium Nogarolis quoad vſum, & recitationem. Vt poſt reformationem Breuiarij Romani, & motum proprium *quod à nobis poſtulat*, non liceat ſine ſpeciali priuilegio eo officio vti publice in choro, neque etiam priuatim ad penſum diuini Officij ſoluendum. Hoc in primis perſpicuũ eſt ex ipſo facto Pij V. erat hoc officiũ in Breuiario Romano, expunxit illud inde Pius: prohibuit ergo eius recitationẽ. Quorſum enim niſi vetans, expungeret? ſi vellet, vt ad formam noui Breuiarij redactum perſeueraret, reformaſſet illud, & retinuiſſet: at non ita fecit, ſed prorſus é Breuiario ſubſtulit, & loco eius aliud officium ſubſtituit. Sicut ergo ex hac ſubſtitutione manifeſtum eſt voluiſſe Pontificem, vt feſtum Conceptionis celebretur iuxta officium denuo adiectum, ita liquet noluiſſe, vt celebretur iuxta antiquum. Deinde in illo motu proprio ita præcipit vſum Breuiarij reformati, vt declaret eos qui ſub alia formula recitauerint, non ſatisfacere obligationi officij diuini; ergo ſi in die Cõceptionis recitem officium Nogarolis, non ſatisfacio præcepto recitandi; non enim ſeruo formulam Breuiarij Romani à Pio præſcriptam, verba eius ſunt. *Statuentes Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum,*

Pius Quintus.

vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe, Ac quoſcumque, qui horas Canonicas ex more, & ritu ipſius Romanæ Eccleſiæ iure, vel conſuetudine dicere, vel pſallere debent, propoſitis pœnis per Canonicas ſanctiones conſtitutis in eos, qui diuinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum, & pſalendum poſthac in perpetuum horas ipſas diurnas, & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præſcripto, & ratione omnino teneri: neminemque ex ijs, quibus hoc dicendi pſallendique munus neceſſario impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe. Denique, ita ab vniuerſa Eccleſia intellectũ eſt præceptum Pij, nam poſt eius reformationẽ, omnes relicto officio Nogarolico, quo antea vtebantur, amplexi ſunt nouum á Pio præſcriptum. Et cum ordo ſancti Franciſci optaſſet Nogarolicũ retinere (quia à Sixto IV. inſtitutũ, qui Põtifex ex eo ordine aſſumptus fuit) adijt ipſum Pium Quintum, & ab eo impetrauit, atque etiã á Gregorio Decimotertio. Nempé quia ſine ſpeciali conceſsione Sedis Apoſtolicæ eo vti non poterat poſt reformationem.

Neque alicuius momenti eſt argumentum, 47. quod Ægidius deſumit ex Rubrica Breuiarij, ibi enim non eſt ſermo de officijs, quæ erant in Breuiario Romano, & per reformationem expuncta ſunt ab eo. Hæc enim ſi Pius in Rubricis ſui Breuiarij permitteret, quid aliud ageret, quã

ſecum pugnare, concedens in rubricis, quod á corpore Breuiarij excludit, & quod in Bulla eidem Breuiario præfixa prohibet? ſermo ergo eſt de feſtis particularium Eccleſiarum, & Religionũ, quæ ſanctos ſuos proprios, id eſt, Diœceſis vel Religionis ſolẽt celebrare. De his permittit regula Breuiarij, vt ſub ritu duplici celebrẽt, tribus tamen conditionibus adiectis, prima vt ſi officia ſint propria, approbata ſint, vel approbentur á Sede Apoſtolica, alioquin ſumantur de communi. Secunda vt in his officijs ſeruetur forma noui Breuiarij. Tertia, vt hæc permiſsio intelligatur tantúm de Sanctis, quorum feſta in prædictis Eccleſijs, vel Religionibus conſueuerunt ſolemniter celebrari. Nam ſi celebratio non conſueuit eſſe ſolemnis, non licet (ſuppoſita reformationẽ, & ex vi huius Rubricæ) feſta de Sanctis proprijs celebrare, quantumuis officia eorũ propria approbata fuerint á Sede Apoſtolica ante reformationem. Hæc enim omnia, ſicut & Breuiaria non excedentia ducentos annos, prohibet Pius in ſuo motu proprio. Neque hæc rubrica in hac permiſsione contraria eſt Bullæ. Quia (vt rectè notauit Bartholomæus Gauantus tom. 2. Theſauri ſacrorum rituũ, ſectione 2. cap. 2. num. 27.) Pius in Bulla non abrogauit has conſuetudines ſolemnes, quas in Rubricis concedit;

Bartholomæus Gauãtus.

ab-

abrogauit autem alias etiam Sanctorum pro-
priorum,& ideò (vt idem author animaduertit
numero 29.) Eccleſiæ Hiſpaniæ, vt poſſent de
Omnibus Sanctis proprijs feſta peragere, faculta
tem poſtularunt, & impetrarunt á Gregorio
XIII. Quòd autem in prædicta rubrica ſermo
ſit de ſanctis proprijs Eccleſiarum, & Religio-
num manifeſtum eſt ex verbis allatis num. 28.
& ex illis eiuſdem Rubricæ: *Etiam ſi prædicta fe-
ſta in hoc Kalendario non ſint deſcripta.*

Vnde iam elucet manifeſtum diſcrimen inter 48.
officia, quæ hac rubrica permituntur, & officium
Nogarolis; illa enim, neque erant in Breuiario
Romano, neque omnibus Eccleſiaſticis commu
nia; ſed á priuatis Eccleſijs, aut Religionibus ex
conceſsione Sedis Apoſtolicæ frequentabantur
pro celebrandis ſanctis vnicuique, aut Diœceſi,
aut Religioni proprijs. Quare equum fuit ea per
mittere etiã ſublatis earũ Breuiarijs. At officiũ
Nogarolis non eſt de aliquo ſancto proprio ali-
cuius Eccleſiæ, aut ordinis; ſed de Conceptione
Beatæ Virginis, quam omnes Eccleſiæ, & Reli-
giones (aliqua fortaſſe excepta) celebrabãt. Rur
ſum oficium illud non fuit ſpecialiter conceſ-
ſum alicui Eccleſiæ aut ordini; ſed toti Orbi, ne
que erat proprium alicuius priuatæ Eccleſiæ, aut
ordinis, ſed Eccleſiæ Romanæ, & in eius Breuia-

rio collocatum. Itaque fuit ſpecialis, & determinata materia reformationis Breuiarij Romani. Cúm ergo ipſa Eccleſia Romana, é ſuo Breuiario illud expunxerit, & aliud loco eius ſubſtituerit; manifeſtum eſt vſum eius interdixiſſe. Alioquin ſi ſuppoſita hac expunctione, adhuc liceret vti hoc officio, tota Breuiarij reformatio vana eſſet, & fruſtranea. Poſſemus enim, ea adhuc ſuppoſita, vti Breuiario antiquo, nec teneremur eo relicto cõfirmari nouo reformato, quod quidem abſurdum eſt, & contra expreſſum Pij V. præceptum. Hoc autem ſequi inde, liquido conſtat, nam ſi in die Conceptionis poſſum (ſecluſo priuilegio) relicto officio, quod Pius introduxit, Nogarolicum recitare, & præcepto ſatisfacere; idem etiam mihi licebit in reliquis officijs, quæ idem Pius abſtulit, & in ſingulis eorum partibus, æqua enim eſt in omnibus ratio. Nam quidquid erat in Breuiario, quod Pius reformauit, á Sede Apoſtolica approbatum erat, eo ipſo quod erat in Breuiario Eccleſiæ Romanæ. Fruſtra ergo laborauit Pius in Breuiarij reformatione, qui nihil eorum, quæ abſtulit, mihi prohibuit. Dicẽdum ergo eſt, prohibuiſſe vſum Officij Nogarolici, perperamque pro eo conſeruando argumentum ſumi ex Rubrica, vbi officia Sanctorum propriorum alicuius Ec-

cleſiæ, aut Ordinis permittuntur.

Sed quamuis Pius Quintus antiquauerit officium Nogarolis, quoad vſum recitationis ſacræ, non tamen abrogauit illi authoritatem, quæ ex inſtitutione, & approbatione Sixti Quarti, & confirmatione aliorum Pontificum illi accreuit. Hoc manifeſtum eſt, Pius enim non damnauit, aut reprobauit hoc officium, neque illud prohibuit, tanquam falſam ſanctitatem colat, aut rem indignam cultu (hoc enim quid aliud eſſet, quam damnare ipſam Eccleſiam Romanam?) ſed ſolum abrogauit eius vſum relinquens illud in ſuo honore, & authoritate, quoad veritatem ſubiecti quod celebrat, & teſtimonium Eccleſiæ, quod ex eo officio deſumitur. Hoc autem dupli ci ratione conuincitur, tum quia Pius non expũxit hoc officium ex Breuiario, quia celebrat Immaculatam Conceptionem, ſed quia diſpoſitio partium eius non eſt iuxta antiquam formam, & vſum Breuiarij Romani, & quia iudicauit melius, & honorabilius celebrari Conceptionem ipſam Immaculatam officio Natiuitatis, quam alio, vt capite nono oſtẽdemus. Tum etiam quia authoritas quæ huic officio addita eſt ex inſtitutione Sixti Quarti, inſeparabilis eſt ab eo, naſcitur enim ex authoritate Romanæ Eccleſiæ, quæ illud inſtituit, & approbauit. Quare ſicut Eccle 49.

ſia

ſia Romana errare non poteſt in alicuius feſti, & officij inſtitutione, ita officium ſemel ab ea inſtitutum non poteſt amittere authoritatem, & honorem, vt ſemper ex eo efficax argumentum deſumi poſsit, tum pro veritate rei, quæ eo officio colitur, tum pro teſtificanda mente Eccleſiæ, quæ eiuſmodi officium inſtituit. Quo circa longe diuerſa ratio eſt de authoritate officij, & de eius recitatione; illa perpetua eſt, & inuariabilis, hæc ceſſare ex iuſtis cauſis poteſt priori prorſus illæſa. Illa enim naſcitur ex iudicio Eccleſiæ, quo iudicauit talem rem dignam eſſe, quæ tali officio collatur, quod iudicium ſemper eſt verum; vſus vero officij, & eius recitatio ad praxim pertinet, quæ pro diuerſitate temporum alijſque occurrentibus poteſt mutari inuariato manente illo iudicio.

50. Ex his tandem liquido conſtat, quam perperam ex prohibitione recitationis officij Nogarolici, argumentum ſumat libellator aduerſus titulum Immaculatæ, qui in eo officio exprimitur. Huius enim tituli aſſertio non pendet ex recitatione, ſed ex authoritate officij, in quo continetur. Hæc autem integra prorſus, & illibata manet, ex quo Sedes Apoſtolica illud approbauit, & inſtituit. Quare integer etiam, & illibatus manet titulus Immaculatæ, quamuis recita-

tio ceſſauerit. Fruſtra ergo (vt ſupra dicebamus) laborat libellator noſter toties repetens abolitionem officij Nogarolici, quaſi actum ſit de Immaculata Conceptione, & de authoritate huius officij, quia ceſſauerit eius vſus. Iã vero ridiculũ planè eſt quod ſupra §. 7. dixerat tantum abeſſe, vt argumentum deſumptum ex approbatione officij Nogarolici à Sixto facta vrgeat poſt Gregorium, vt potius id officium, his temporibus recitari non poſſe videatur. Quaſi hæc inter ſe cohereant, & argumentum pro Immaculata non vrgeat, niſi officium recitetur; & quaſi deterius aliquid ſit recitari non poſſe officium, quã ex eo non poſſe deſumi argumentum. Sed falleris mi homo, maius quid eſt in officio authoritas, & honos ex inſtitutione Sedis Apoſtolicæ, quàm vſus recitationis: hic abeſſè poteſt integra manente authoritate. Ex hac non ex illo, pendet argumentum, & eius vis. Quare nihil contra argumentum probas ex prohitione recitationis.

Libenter ergo tibi fatemur non poſſe his temporibus illud officium recitari ad penſum diuini Officij ſoluendum ſecluſſo priuilegio (quamquam id non ex decreto Gregorij, vt tu falſo putas, ſed ex motu Pij naſcitur) ſed quid inde? an quia hodie recitari non poteſt, ideò verum non 51.

eſt Eccleſiam Romanam cẽtum ferè annis vſam fuiſſe hoc officio? an ideo non eſt verũ eandem Eccleſiã eo vtens cõceptiſsimis verbis coluiſſe Conceptionem Immaculatã? an ideo verum nõ eſt in hoc officio manifeſtum de mente Eccleſiæ circa Immaculatam Conceptionem teſtimoniũ contineri? quod ſi hæc vera ſunt, quid nos obtundis de hac re toties? cur tertio quoq; verbo ingé-minas abolitionẽ officij Nogarolici, quaſi inde de titulo Immaculatæ triumphes? at, inquis, cũ Eccleſia Romana eo iam non vtatur, non poteſt ex eo teſtimonium ſummi de hodierna eius mẽ-te, & ſenſu Quid ergo? putas ne Eccleſiam Romanam mentem cum tempore mutaſſe? putas ne Conceptionem alio ſenſu hodie, quam olim, colere? nempe animaduertit Eccleſia errare ſe, cum Conceptionem Immaculatam celebrabat; ideoque in bonam frugem rediens, ad tuã ſanctificationem confugit. Id ſi fortè tecum ipſe cogitas (nam verbis proferre non audebis) conuincê-ris capite nono, vbi videbis Pium Quintum, dũ ex puncto officio Nogarolico induxit nouum, non mutaſſe ſenſum feſti Conceptionis Immaculatæ, ſed confirmaſſe, & amplius ſtabiliſſe. Antiquauit ergo officium Nogarolis quoad compoſitionem, non quoad ſubſtantiam, & ſubiectum cultus: antiquauit quoad recitationẽ illius com

poſitionis,& ſtructuræ pro implendo præcepto, non quoad authoritatem. Hæc illæſa manſit, ſemperque manebit ille honos, quo hoc officium impertijt Sixtus Quartus in extrauaganti, *cum praeexcelſa* dum inquit: *iuxta piam, & deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Leonardi de Nogarolis.*

Hic opportunum eſt expendere illa tua verba ex §.7. vbi de conceſsione officij Nogarolici à Sixto Quarto facta inquis: *Gregorij Decimiquinti decreto abrogata videtur huiuſmodi conceſsio, & perconſequens pœna aliàs pro temporis exigentia vſum dicti officij improbantibus impoſita.* Latet anguis in herba. Cupis videlicet viam ſternere, vt poſsis libere devacari in Franciſcanos, qui hodie ex conceſsione Pij V. & Gregorio XIII. vtuntur officio Nogarolis. Nam ſi decreto Gregorij XV. abrogata eſt conceſsio Sixti Quarti, etiam abrogata erunt illorum Pontificum viuæ vocis oracula in fauorem ordinis Seraphici, quibus poſterius eſt decretum Gregorij XV. quam abrogationem ſi ſemel perſuadeas, videtur tibi ſublata pœna á Sixto Quarto impoſita improbantibus officium Nogarolis, atque etiam cenſura (quãquam de ea nihil affirmas.) Itaque liberum tibi erit eiſdem cenſuris Franciſcanos afficere, quibus olim afficiebant cultores ipſos Immaculatæ 52.

Prædicatores illi, quos Sixtus reprehēdit, & dānat. Imò aliquid peius in tuis verbis latet, nempe nulla hodie cēſura aut pœna dignum eſſe, qui in cultores Immaculatæ ſimiles propoſitiones pronuntiauerint, ijs quas damnat Sixtus. Nam ſi eius conceſsio abrogata eſt, abrogata etiam ſunt quæ eiuſmodi conceſsioni innitebantur, nēpe cenſuræ, & pœnæ. Hæc eſt mens tua, ſi penitus introſpiciatur, audax ſanè, & periculoſa, imo Sixtianæ conſtitutionis rea.

53. Nunc ſingula diſcutiamus. Gregorij XV. decreto abrogatam non fuiſſe conceſsionem officij Nogarolici ſatis oſtendimus, §. quinto. Quare neque pœnam impoſitam improbantibus vſum eius. Imo verò Gregorius ipſe in ſuo decreto pœnas à Sixto ſtatutas confirmat, & innouat. Quod etiam fecerat Paulus Quintus, & Concilium Tridentinum. Quo circa mirandum eſt cū tam ſerio defendas Pium V. nihil Concilio contrarium egiſſe in reformatione Breuiarij; cur nō idem cures de Gregorio XV. in ſuo decreto, ſed illum introducas abrogātem pœnas Sixti Quarti, quas Tridentinum tan expreſsè confirmauit.

54. Sed quoniam (vt hactenus oſtendimus) Pius V. excludens à Breuiario Romano officium Nogarolis prohibuit eius vſum pro præcepto Eccleſiaſtico implendo, atque adeò videtur non

nihil derogaſſe Sixtianæ conſtitutioni; videndũ eſt, an quod ex Gregorij decreto non ſequitur, ſequatur ſaltem ex motu Pij, nempe quod conceſsio Sixti derogata videatur, *& perconſequens* (vt ais) *pœna aliàs pro temporis exigentia vſum dicti officij improbantibus impoſita*. Nam ſi Pius vſum huiuſmodi officij prohibuit, verum diceret, qui affirmaret peccare eum qui hodie eiuſmodi officio vteretur, quod olim falſo affirmabant Prædicatores illi. Nulla ergo pœna dignus eſſet.

Nihilominus illa tua propoſitio non minus erronea eſt quam illæ, quas damnat Sixtus, virtute enim eas cõtinet. Quare pœnas á Sixto ſtatutas incurriſti, nec ab eis (ſicuti neque à cẽſura) te liberat factum Pij V. hoc manifeſte patebit, ſi attendamus, quem ſtatum hodie habeat officium Nogarolis, quales etiam fuerint propoſitiones à Sixto damnatæ, quo ſenſu, & quo fundamento nixæ. Hinc enim conſtabit adhuc motiua damnationis perſeuerare, nullamque factam fuiſſe rei mutationem. Pius non damnauit officium Nogarolis, ſed tantum expunxit è Breuiario Romano, ob cauſas ſupra tactas. Hæc autem expunctio ſolum operatur, ne in Eccleſia publice eo officio vtamur, neque priuatim ad penſum diuini Officij ſoluendum. Siquis tamen ex deuotione velit in die Conceptionis eiuſmodi 55.

officium priuatim recitare, licitè, & laudabiliter poteſt. Neque hoc prohibuit Pius in reformatione Breuiarij, & in motu *quod à nobis poſtulat*, ibi enim tantum perſtringit formulam, quam ſeruare debent, qui ex munere tenentur officiũ Diuinum peragere, vt ſatisfaciant obligationi. De precibus vero ſacris, quas ex deuotione, & ſupererogatione quiſque voluerit fundere, nihil ſtatuit, aut prohibuit. Quare integra, quantũ ad hoc, manſit conſtitutio Sixti *cum præexcelſa* vbi inuitat ad huius officij recitationem conceſſis etiam indulgentijs, atque adeò integræ etiam manent pœnæ, quas in extrauaganti *graue nimis* ſtatuit in damnantes eiuſmodi officij vſum. Imo eandem extrauagantem confirmauit Pius ipſe Quintus duobus annis poſt reformationem Breuiarij in motu, cuius initium eſt *ſuper ſpeculam*. Quare errabit planè contra mentem, & decretũ Sixti, & Pij, qui dixerit peccare hodie eum qui ex deuotione, & nõ vt ſatisfaciat præcepto, vſus fuerit officio Nogarolico.

56. Præterea (quod præcipué attendendum eſt) Prædicatores illi, qui damnabant vtentes eiuſmodi officio, non ſolum damnabant vſum, ſed officium ipſum; neque hoc damnabant præciſsè, quia ordinatum erat à Leonardo Nogarolis, ſed qui in eo celebratur Immaculata Conceptio.

Digitized by Google

Itaque non ſolum officiũ Nogarolis, ſed quodcumque officium de Immaculata Conceptione reſpuebant, quia putabant Conceptionem non fuiſſe Immaculatam, atque adeò non eſſe colendam. Hoc patet manifeſtè ex ipſa extrauaganti *Graue nimis* vbi Pontifex non refert concionatores illos affirmare hæreticos eſſe *recitantes officium Nogarolis*, ſed *Immaculatæ Conceptionis officium celebrãtes*. Et hanc propoſitionem inter alias tanquam erroneam damnat, & affirmantibus pœnas infligit. Nunc vide quantum veneni effutias cum dicis derogatam videri conceſsionem Sixti *ac perconſequens pœnam aliàs pro temporis exigentia vſum dicti officij improbantibus impoſitam*. Nam ſi pœna derogata eſt, ergo licebit ita aſſerere: *Hæretici ſunt, & peccant, qui feſtum Immaculatæ Conceptionis celebrãt.* Hæc enim eſt propoſitio, cui Sixtus pœnam impoſuit: quod ſi hæc propoſitio licet, etiam hæc licebit, quam etiam damnat Sixtus, & in qua prior illa innitur: *Hæretici ſunt, & peccant qui affirmant Conceptionem fuiſſe Immaculatam*. Non enim poteſt eſſe hæreſis celebrare feſtum Conceptionis Immaculatæ, niſi hæreſis ſit Immaculatam ſentire. Vnde etiam fit conſequens peccare eos, qui hodie interſunt concionibus de Immaculata Cõceptione, quæ eſt tertia propoſitio á Sixto damnata, nam peccatum eſt intereſſe concioni, in qua

hæ-

hæreſis docetur. Illis ergo tuis verbis approbas omnes propoſitiones á Sixto damnatas; Priorē quidem de feſto Conceptionis expreſſe, ſiquidē aſſeris ſublatam eſſe pœnam impoſitam improbantibus officium; reliquas vero virtute. Vide quo audaciæ deueneris, qui hæc aſſeris, vel quo etiam miſeriæ. Cum non ſolum pœnas Sixti, ab Alexandro Sexto, & Concilio Tridentino confirmatas incurreris; ſed etiam additas á Pio Quinto, Paulo V. & Gregorio Decimoquinto in ipſo illo decreto, quo tu tantopere abuteris. Sane mirari ſatis non poſſum te auſum fuiſſe hæc ſcribere in ipſa Vrbe, & in libello oblato Sanctæ Inquiſitioni.

57. *Tridentinum.* Nunc argumento tuo (cuius occaſione hæc ſcripſimus) faciamus ſatis. Concilium Tridentinum ſeſsione quinta, decreto de peccato originali confirmans conſtitutiones Sixti Quarti approbauit etiam feſtum Immaculatæ Conceptionis, vt oſtendemus cap. 8. atque adeò officium ipſum, quo Eccleſia Romana ex eiuſdem Sixti inſtitutione vtebatur pro eadem Immaculata Conceptione celebranda. Cum autem hoc officium eſſet illud, quod cōpoſuit Leonardus de Nogarolis; abſolute verum eſt Concilium approbaſſe officium Nogarolis. Rurſum idem Concilium ſeſsione 25. decreto *de indice librorum* reformatio

nem

nem Breuiarij remittit ad Romanum Pōtificem, atque hoc eſt quod teſtatur Pius V. in Bulla, *quod à nobis poſtulat.* Abſtulit hic Pontifex in ea reformatione officium Nogarolis à Breuiario Romano, neque tamen propterea à Cōcilio Tridentino receſsit. Concilium enim non decreuit, vt officium Nogarolis nunquam expungeretur à Breuiario Romano, ſed approbauit illud quoad ſubiectum cultus nempe Immaculatam Conceptionem, confirmauitque authoritatē quam ei impertierat Sixtus. Id enim attinebat ad inſtitutū Concilij approbantis feſtum Immaculatæ. Hanc authoritatem non abſtulit Pius officio Nogarolico, ſed illibatam ſeruauit, vt ſatis ex dictis liquet. Itaque ex facto huius Pontificis minimè probas hoc officium non fuiſſe à Concilio confirmatum.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 12.

ADditur quod expuncto à Romano Breuiario officio prædicto gratis, euulgatum eſt idem officium à Pio V. viuæ vocis oraculo Fratribus Minoribus fuiſſe conceſſum. Numquam enim huiuſmodi oraculi legitimum protulerunt, aut proferre poſſunt, documētum, 58.

Imò

Imò ex oraculi propriorum officiorum illius ordinis inſpectione euidenter concluditur conceſsionem Pij Quinti non includere Nogarolis officium. Sed aliquot annis à morte Pij Quinti tranſactis prodijt priuata quædam impreſsio dicti officij oraculo prædicto inſignita. Ex quo colligi poteſt, quā facile pietatis prætextus impoſturas paret, nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, nolluit officium illud tanquam ex Apoſtolicæ Sedis authoritate recitari.

§. XII.

ORDO SERAPHICVS LEGITIME vtitur officio Nogarolico.

59. NVNC in Franciſcanos debacharis, eoſque impoſtores appellas, qui oraculum Pij Quinti poſt mortem eius finxerint. Impoſtores inquam, quid enim ſibi vult illud: *ex quo colligi poteſt quam facile pietatis prætextus impoſturas paret?* Mirandum ſanè non eſt te ita in eos pronũciare, cui num. 7. videbatur derogatam eſſe hodie pœnam impoſitam in probantibus vſum officij Nogarolici. Vnde conuinceris ſentire licitã eſſe cenſuram, qua olim concionatores quidam afficiebant recitantes hoc officium, vt ſupra num. 56. expendebamus. Cum ergo illi *hæreticos*

di-

dicerent eo officio vtentes;quid reliquum eſt,niſi vt intelligamus te voluiſſe hac nota inurere Franciſcanos,qui officium Nogarolis recitant? hoc enim ex illa tua aſſertione ſequitur. Sed vt demus id facinus tibi in animo non fuiſſe, quis patienter ferat tantum ordinem impoſturæ argui,quod fingant oraculum Pij Quinti? vnde probas impoſturam? an quia poſt mortem Pij oraculum prelo mandatum eſt?meræ nugæ. Quaſi viuæ vocis oraculum,niſi viuente Pontifice cudatur, fictitium ſit. Documentum deſideras huius oraculi;quod aliud maius quam totius ordinis affirmatio? ipſi affirmant.Iniuria eſt non credere.Quòd ſi adhuc non credis Franciſcanis,crede Dominicano,videlicet Vincentio Iuſtiniano Antiſt, qui in vita B. Ludouici Bertran capite vltimo,§.3.affirmat Pium Quintum conceſsiſſe, vt in vniuerſo Ordine S.Franciſci recitetur officium Conceptionis á Sixto Quarto publicatũ, additque conceſsionis diem, & annum nempe 25.Maij 1569.

Sed age.Pius Quintus id nõ conceſsit.Quid dices de Gregorio XIII. eiuſdẽ Pij ſucceſſore, qui(vt teſtatur Cardinalis Sirletus) die 9. Iunij 1583.cõceſsit viuæ vocis oraculo officia propria Miſſarum prædicti Ordinis *ad formam Miſſalis Romani, vt infra redacta, & emendata?* Inter hæc 60.

autem officia erat Nogarolicum, quo ad formā Miſſalis Romani redacto hodie vtuntur Franciſcani. Quid dices de Sixto Quinto, qui ſpeciali diplomate edito 30. Maij 1588. conceſsit Frāciſcanis vtriuſque ſexus, vt cum octaua celebrent officium Conceptionis, Nogarolicum videlicet, quod ſciebat à Franciſcanis recitari, & ipſe olim eiuſdem ordinis alumnus ſæpiſsimè re recitauerat? quid de Paulo Quinto, qui 21. Ianuarij 1609. viuæ vocis oraculo (vt teſtatur Cardinalis Aragonius ordinis Protector) conceſsit, vt *omnibus diebus Sabbati feſto nouem lectionum non impeditis poſsint recitare officium Immaculatæ Conceptionis quod incipit: Sicut lilium, &c.* Nempe Nogarolicum? quid de eodem Paulo, qui ſpeciali diplomate 10. Iulij 1615. indulgentias conceſsit recitantibus Antiphonam *hæc eſt virga*, cum verſiculo, & oratione, *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*, ex officio Nogarolico deſſumptis? ad hæc quid reſpondeas, videamus.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 13.

61. *Reliquæ vero aſſertæ Summorum Pontificum conceſſiones, cum oraculum Pij V. ſupponant iuxta petentium*

ſuppoſitionem: huius defectu obreptionis vitio laborare videntur.

§. XIII.

TEMERE LIBELLATOR OBREPTIOnis labem obijcit conceſsionibus factis Ordini Franciſcano.

SED cum neque petentes meminerint oraculi Pij V. neque Pontifices eo moti conceſſerint, aut vllam de eo fecerint mentionem, vt ex inſtrumentis proximè citatis cõſtat; temeritate plenum eſt Pontificias poſt Pium Quintum conceſsiones, obreptionis vitio notare, etiam ſi verum eſſet Pium nihil viuæ vocis oraculo conceſsiſſe. Hactenus de poteſtate quã habent Franciſcani vtendi officio Nogarolico, quam defendiſſe nihil attinet ad cauſam tituli Immaculatæ, nam quamtumuis hodie interdicta omnino eſſet eius officij recitatio, ne pilum quidem noceret titulo; is enim, vt ſæpe diximus non ex recitatione officij pendet, ſed ex eius authoritate, quæ integra prorſus eſt, & erit; imò ex feſti inſtitutione, quæ prorſus independens eſt ab officio Nogarolico. Tamen deſerendus à nobis non fuit ordo Seraphicus, quem vniuerſi 62.

fideles ſuſpiciunt,& venerantur;quamquam defenſione noſtra non egeant,ipſi enim abundè tibi rependent ſcriptis, vt audio, propediem edendis. Nunc illud non omitam,quamuis triũphaſes de Franciſcanis,reſtare tibi Illuſtriſsimã Metropolitanam Eccleſiam Granatenſem; quæ á triginta fere annis feſtum Conceptionis iuxta officium Nogarolis,vt eſt in Breuiario Franciſcano,publice,& ſolemniter celebrat. Idque ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, vt reſcripſit mihi Petrus de Bermeo illius Eccleſiæ Ceremoniarum Magiſter.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 14.

63. *QVæ quanti ponderis ſint,Eminentiæ veſtræ dignentur expendere. Hoc vnum, quod ad rem attinet, religioſiſſimè obſeruandum videtur,ne expreſſè ab Apoſtolica Sede officium Immaculatæ Conceptionis approbetur,eiuſque titulus concedatur; excludendus,niſi & Gregoriano decreto, & alteri controuerſiæ parti præiudicium illatum velint.*

§. XIIII.

CVM GREGORIANO DECRETO pugnat prohibitio tituli Immaculatæ.

NVLLVM decreto Gregorij præiudicium infertur ex approbatione officij, & tituli Immaculatæ, qui potius adeò ei fauet, vt voluerit, vt etiam ij qui in ſcholis (ſi liceret) negarent Immaculatam, in Eccleſijs celebrent. Si quod autem inde præiudicium infertur alteri parti controuerſiæ, Gregorius ipſe illatum voluit. Sed de his capite vndecimo, & duodecimo. Nunc mirandum eſt quòd audeas aſſerere *Religioſiſsimè* obſeruandum, ne expreſſe ab Apoſtolica Sede officium Immaculatæ Conceptionis approbetur; cum ipſa Sedes Apoſtolica toties expreſſe approbauerit, & Romana Eccleſia centũ fere annis officio vſa fuerit, in quo immaculatæ titulo Virginea Conceptio inſignitur. Itaque Religoſiſsimum eſt (te authore) Eccleſiæ Romanæ veſtigia deſerere; prohibere nunc, quod Sedes Apoſtolica olim eſt amplexa; maiorum mẽtem, & ſenſum damnare. Hæc facere religioſiſsimum eſt? Imó verò religio eſt. 64.

Digitized by Google

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 15.

65. *SVb initium Pontificatus recolendæ memoriæ Vrbani Octaui id validiſsime conquiſitum fuit magnorum Principum coaceruatis inſtantijs, vt & feſtũ, & officium Immaculatæ Conceptionis concederetur. Quæcumque tunc de Sixto Quarto alijſque allata ſunt, nunc ipſiſsimis penè verbis refricantur. Vt facile inferri poſſit petitionis variari prætextum, non ſenſum. Poſt adhibitas conſultationes ſumma decreti fuit nihil agendum in alterius ſententiæ præiudicium, & ideo nihil omnino fuit conceſſum.*

§. XV.

ITERVM DE VRBANI OCTAVI reſponſo. Libellatoris calliditas deprehenſa.

66. QVID ſub Vrbano geſtum fuerit, diximus capite præcedenti §. 1. nunc eãdem cantinelam canis, falſam hiſtoriã ſemel narraſſe non contentus. Magnorum Principum coaceruatas inſtantias dicis, cum ſolus Hiſpa-

nus Orator (& quidem præter mandata) rem egerit. Ille non feſtum Conceptionis Immaculatæ petebat. Quid enim peteret, quod à tempore Sixti Quarti celebrat Eccleſia? neque etiam poſtulabat officium Immaculatæ. Illud enim, quo hodie vtitur Eccleſia Romana, de Immaculata Conceptione eſſe tam certum eſt, quam eſt certum eſſe de Conceptione *Digniſsima*, & *Sancta*. Petebat ergo, vt officium Franciſcanum á quolibet poſsit prolibito recitari. Hoc tu (doloſé ex hyppoteſi Theſim faciens) officium Immaculatæ abſolutè appellas, quaſi non aliud ſit Immaculatæ officium, niſi Nogarolicum. Non te pudet technarum? addis: *Quæcumque tunc de Sixto Quarto aliiſque allata ſunt, nunc ipſiſsimis penè verbis refricantur.* Dic mihi obſecro, an tædio tibi ſunt Summorum Pontificum decreta? quid ægré fers ea nunc refricari? an quod *ipſiſsimis verbis*? Sed quibus melius, quam ipſorum Pontificum? Orator Hiſpanus, vt facultatem recitandi pro libito officium Nogarolicum obtineret, Vrbano ob oculos ponebat Sixti deceſſoris decreta, qui officiũ illud approbauerat, & omnibus vti volentibus conceſſerat additis indulgẽtijs, quod etiam præſtitere, quotquot eiuſdem Sixti conſtitutiones confirmarunt. Hæc eadem decreta, & confirmationes refricant Immaculatæ defenſores, quam-

uis diuerſo fine; Hiſpanus, vt facultas conceſſa Franciſcanis extenderetur ad reliquos Eccleſiaſticos pro libito; nos vero, vt titulus Immaculatæ illis ipſis decretis ſtabilitus cõſeruetur. Hoc non alijs verbis efficaciuſperſuaderi poſſe, quam ipſis Summorum Pontificum in medium productis, euidentiſsimum eſt. Ideò ipſiſsima verba refricamus, nec veremur, ne tædio ſit Sedi Apoſtolicæ ſua verba audire.

Hinc iam liquet quam falſa ſit ea cõſequutio,
67. quam tu facile inferri putas ex eorundem verborum refricatione, ſcilicet *petitionis variari prætextum, non ſenſum.* Quaſi vero aliô animus petentiũ tendat, quàm quod petitio exprimit; idemque ſit diuerſarum petitionum ſcopus, quem tu ſenſum vocas. Sed certé in his ſenſus diuerſus eſt, prætextus nullus. Orator Hiſpanus petebat officium Franciſcanum, nos petimus ne Conceptio Virginis deturbetur á poſſeſsione tituli Immaculatæ, in quam iam diu Romani Pontifices eam ſuis decretis, quaſi manu prehenſam, ſolemniter immiſſerunt. Vides ſenſus diuerſos. Deinde nullus his petitionibus ſubeſt prætextus. Nam quod tu putas, & oratorem, & nos eò tendere, vt his artibus approbationem tituli Immaculatæ extorqueamus, ſomnias: hanc enim iam diu habemus, & quidem apertiſsimis decretis

Digitized by Google

roboratam. Orator ergo non erat de approbatione tituli Immaculatæ ſolicitus, qua iam diu potimur; ſed de extenſione officij Franciſcani; nos non petimus, vt titulus approbetur, quaſi antea non fuerit, ſed ne Sedes Apoſtolica patiatur quemquam contra approbationem ab ipſa iam factam quidquam decernere, aut moliri. Tantum abeſt, vt ſub prætextu petitionis approbationẽ tituli quæramus; vt potius ea palam, & aperte tanquam firmiſsimo fundamento nitamur ad obtinendam petitionem.

Sed iam à fideliſsimo Hiſtorico audiamus, quid Vrbanus reſponderit Hiſpano Oratori. 68.
Poſt adhibitas (inquis) *conſultationes ſumma decreti fuit nihil agendum in alterius ſententiæ præiudicium, & ideò nihil omnino fuit conceſſum*. Segniter mehercule defendis cauſam tuam, qui tam fauens decretum hic ad verbum non inſeruiſti, contẽtus eius ſumma. Pontificis ipſiſsima verba adducenda erant, vt nobis os obſtrueres, neque poſſemus cauſari, te aut fingere decretum, aut non rectè intellexiſſe. Cur ergo non inducis Vrbanum ſuis verbis loquentem? cur eius verba inuides nobis, & cauſæ tuæ? Hoc decretum aliquanto vberius narraſti Libello 1. num. 1. Sed neque hic, neque ibi eius tenorem exprimis, noſque indignos cenſes, qui Pontificia verba legamus. Decreta Pauli

V.&Gregorij XV.integra dedimus capite ſecū do.Clauſulas Sixti Quarti, Alexandri Sexti,& aliorum,qui conceptis verbis Conceptionem appellant Immaculatam, infra ſæpius inculcabimus;neque frequentius aliquid eſt defenſoribus Immaculatæ,quam vt ſtatim prouocent ad Pontificia diplomata,& longas etiam periodos tranſcribant,& ſuis diſputationibus inſerant. Cur tu ab hoc genere argumentandi,quod fortiſsimum eſt,perpetuo abſtines? aſſeris ſæpe ſæpius in vtroque libello Gregorium XV. in ſuo decreto innuiſſe *nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtrãque ſententiam*; & tamen nuſquam verba decreti huc ſpectantia adducis. Libello 1.num. 3. contẽdis Pontifices *recitatiuè* tantum addere Conceptioni titulum Immaculatæ;cur verba non expendis,vt probes? De Sixto Quarto, & Pio Quinto frequens tibi mentio eſt in vtroque libello;& tamen nuſquam lector eos loquentes audiet, ſicut neque Concilium Tridentinum,cuius mentem non ſemel interpretaris. Libello ſecundo num.16. affirmas *officiũ ſanctificationis* conceſſum fuiſſe,& approbatum à Summis Pontificibus,& ne nomina ſaltem eorum exprimis,præter vnum Iulium tertium, cuius tamen non ſolum verba id officium approbantia taces,ſed neque vbi rerum ſit eiuſmodi diploma,aut vbi legere poſsi-

mus

mus, oſtendis, Denique cum de Vrbani Octaui decreto (de quo agimus) libello 1. num. 1. & libello 2. num. 15. loquaris, in quo tibi tam impenſé fauet, vt negauerit officium Immaculatæ, ne quæ ſententiæ præiudicium inferat, & ne á Gregorij XV. veſtigijs diſcedat, aut eum fateatur ſibimet fuiſſe contrarium; tamen tantum decretũ (quod auro contra æſtimare debuiſſes) verbatim non refers, paterisque è manibus labi victoriam, quam tenore eius expreſſo, & legitimis teſtimonijs probato, nobis gementibus reportares. Quæ ergo ſegnities eſt, quæ oſcitantia, te in re tan graui ſimplici tua aſſertione contentum eſſe, & à verbis Pontificijs abſtinere?

Sed certè hæc non eſt oſcitantia aut ſegnities, ſed verſutia, & calliditas. Noſti, ſi verba Pontificum exprimeres, te ſola lectione vincendum, ideò ſilentio premis. Noſti decretum illud Vrbani Octaui purum putum figmentum eſſe, vt capite præcedenti §. 1. numero 6. & ſequentibus planè monſtrauimus. Quare non eſt auſus tenorem fingere, contentus ſummam, quæ tamen ſummè à veritate diſcedit. Atque hoc eſſe conſilium tuum argumento eſt, quod vbi potuiſti quacumque fide verba Pontificum inuenire tibi arridentia; non omiſsiſti, ſed paginas tuas tranſcribendo locupletaſti. Nam in hoc ſecundo li- 69.

bello num.27.verba Innocentij ſecundi, tertij & quinti in medium producis, quibus (vt tibi videtur) Virginem in originali peccato conceptam aſſerunt. Vbi non eſt omittendum ea, quæ hi Pontifices ante Pontificatum priuati homines ſcripſerunt, te abſolutè, & rotundè Romanis Pontificibus adſcribere, vt incautus lector exiſtimet in ſummo Eccleſiæ vertice conſtitutos, & de Cathedra decernentes plumbatis etiã inſtrumentis ea cunctis fidelibus authoritate Apoſtolica propoſuiſſe. Hoccine eſt ſincera fide agere? ſed de his iterum, §. 27.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 16.

70. *Annotanda ſecundo eſt inſignis, quæ fit, equiuocatio. Quod enim aliquando fidelium pietati quoad officium Immaculatæ Conceptionis permiſſum eſt, imò conceſſum (nec enim * conceſsionis vocabulum reformidamus pro his temporibus, quibus etiam officium ſanctificationis à Summis Pontificibus, & ſignanter à Iulio tertio, conceſſum, & approbatum fuit) pro ſenſu Eccleſiæ Catholicæ firmatur, Eccleſiaſticæ conſuetudinis titulo confidentiſsimè decoratur. Et quam ſtrictè, & rigurosè ſumatur ab ipſis, patet, dum Sancto-*

* Aliàs Cõceptionis.

rum Patrum auctoritati diſſertè præfertur, quæ ſi attentius inſpiciantur, ita rem deſcribunt, vt Immaculatam Virginis Conceptionem iam Eccleſiæ authoritate definitam ſupponant.

§. XVI.

LIBELLATOR IN SE IPSVM ARMAtus. Senſus Catholicæ Eccleſiæ in officio Conceptionis eſt de Immaculata.

IN Prouerbio eſt *lupus in laqueos*. Ecce diſſertis verbis fateris officium *Immaculatæ Conceptionis* pietati fidelium conceſſum fuiſſe, nempè á Summis Pontificibus (de horum enim conceſſione loqueris, vt ex verbis immediatè ſequentibus conſtat) hinc planè deducimus te tibi eſſe contrarium, & tandem fateri feſtum, quod Eccleſia celebrat, de Conceptione Immaculata eſſe, quod toties in vtroque libello negas. Neque quocumque te vertas, à tan aperta confeſsione, & cõtradictione liberaueris. Quod ita oſtendo. Aut loqueris de officio ſpecialiter conceſſo Franciſcanis à Pio Quinto, & alijs Pontificibus, aut de cõceſſo omnibus fidelibus á Sixto Quarto. Si de primo, in laqueum incidis; fateris enim illud officium Franciſcanis fuiſſe conceſſum á 71.

Digitized by Google

Summmis Pontificibus; quòd paulò ante num. 12. & 13. negaueras, vbi viuæ vocis oraculum Pij Quinti fictitium dicis, & reliquas Summorum Pontificum conceſsiones, vtpote eiuſmodi oraculo innixas, ſubrepticias eſſe contendis. Sed ego te ab hac contradictione libero, in præſenti enim non loqueris de officio Franciſcanis conceſſo, ſed de illo ad cuius recitationem Sixtus Quartus fideles hortatur, & indulgẽtijs inuitat, quod ex illis tuis verbis manifeſtum eſt. *Nec enim conceſsionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus, quibus etiam officium ſanctificationis à Summis Pontificibus, & ſignanter a Iulio Tertio conceſſum, & approbatum fuit.* At illis temporibus nulla facta fuerat ſpecialis gratia Franciſcanis quoad officium, neque ipſi proprio aliquo vtebantur, ſed illo quod inſtituerat Sixtus Quartus. Itaque de hoc officio loqueris, & ipſum appellas *officium Immaculatæ Conceptionis.* Nunc audi argumentum. Per te officium, quòd conceſsit Sixtus Quartus, erat de Immaculta Conceptione; ſed illo ipſo officio vtebatur Eccleſia Romana in feſto Conceptionis, vt ipſe Sixtus teſtatur, & euidenter conſtat ex Breuiarijs, & Miſſalibus antiquis Romanis: ergo Eccleſia Romana in feſto Conceptionis celebrabat Conceptionem Immaculatam.

72. Neque quicquam proficies, ſi reſpondeas ita

olim factum, ſed non poſtquam Pius V. officium illud á Breuiario Romano expunxit, & aliud ſubſtituit. Hæc enim ſolutio (prætetquam quod non ſolum falſa eſt, ſed prorſus temeraria, vt oſtẽdemus cap. 9.) non te liberat à nota contradictionis. Nam §. ſequenti ita concludis: *Nunquam ergo dici poteſt ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam* ſi nunquam; ergo neque tempore Sixti. Ergo illud officium, quod ipſo inſtituente celebrauit Eccleſia, non erat Conceptionis Immaculatæ: quòd eſt contradictorium illis tuis verbis *officium Immaculatæ Conceptionis cõceſſum fuit*. Tecum ergo ipſe pugnas. Neque video qua euadere poſsis. An quia addis *ex Eccleſiæ ſenſu?* Quaſi vero quod Eccleſia celebrat, non ex Eccleſiæ ſenſu celebret. An quia ſubdis *in primo inſtanti?* quaſi vero Conceptio ſit, niſi in primo inſtanti, aut quaſi vox *Immaculata* iuxta tuam ſententiam (de qua poſtea) non cõcernat primum inſtans. Si ergo Eccleſia ſub Sixto celebrabat Conceptionem Immaculatam, in primo inſtanti Immaculatam celebrabat; & tamen tu dicis *nunquã*. Fatere ergo te à te ipſo diſsidere, & agnoſce vim veritatis, quæ tanta eſt, vt etiam á nollente teſtimonium extorſerit.

Nunc ad equiuocationem, & quidem (vt ais) *inſignem* veniamus, qua cum tu non ſine errore la- 73.

bores, in nos reijcere ſatagis, qui clariſsimé loquimur. Equiuocatio eſt: *Quod aliquando fidelium pietati quoad officium Immaculatæ permiſſum eſt imò conceſſum; pro ſenſu Eccleſiæ Catholicæ firmatur, Eccleſiaſticæ conſuetudinis titulo confidentiſsimè decoratur.* Supra § 3. notauimus te de officijs Conceptionis, & ſanctificationis ita loqui, & ſentire, quaſi à Sede Apoſtolica conceſſa fuerint, & approbata pro diuerſis familijs, officium quidem Conceptionis pro Franciſcana, ſanctificationis vero pro Dominicana. Nunc eodem errore ductus nos equiuocationis vicio laborare contendis, quaſi ex officio conceſſo priuatis Eccleſijs, aut ordini, aut etiam fidelibus eo vti volentibus; ſenſum Catholicæ Eccleſiæ concludamus, & ex ſenſu, quo priuati celebrant Conceptionem (etiam ex conceſsione Sedis Apoſtolicæ), ipſius Eccleſiæ Catholicæ mentem argumentemur. Sed erras vehementer, vt prædicto loco oſtendimus. Sixtus enim Quartus non ſolum approbauit officium Nogarolicum, & conceſsit volentibus vti; ſed inſtituit feſtum Conceptionis, illudque ipſum officium in ritus Romanos admiſsit. Itaque ex illius inſtitutione, & præcepto Eccleſia Romana iuxta illud officium celebrauit feſtum Conceptionis per centum fere annos vſque ad Pium Quintum, qui quamuis aliud officium in Breuia-

rio Romano introduxit, eundem tamen ſenſum de Immaculata Conceptione non ſolum conſeruauit, ſed firmiſsimè nouo officio muniuit, vt perſpicuis argumentis oſtẽdemus capite octauo, & nono. Immaculatæ ergo defenſores omni equiuocatione remota optimo iure afirmant ſenſum Catholicæ Eccleſiæ in feſto Conceptionis eſſe de Immaculata Conceptione, idque manifeſte probant tum ex ipſa inſtitutione feſti, quæ ſola ſufficit, tum ex officijs quibus Eccleſia vſa eſt, & vtitur, tam Sixtiano, quam Pij V. in quorum altero Conceptio expreſſe dicitur *Immaculata*, in altero (quod præſtabilius eſt) *Sancta*. Denique ex decreto Gregorij XV. qui ideò præcipit, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, quia *Eccleſia Romana feſtum de Conceptione celebrat*. Hoc eſt non de ſanctificatione vtcũque, ſed de Conceptione ſancta, & Immaculata. Hic eſt ſenſus Catholicæ Eccleſiæ, non quidem definientis Immaculatam Conceptionem, ſed volentis, & iuuentis eam cultu ſacro celebrari.

Hoc argumentum, quo ſenſus Eccleſiæ Catholicæ probatur, non video qua ratione infringere poſsis, niſi ludas in voce *Catholica*, quatenus vniuerſum cœtum fidelium ſignificat, aſſeraſque non poſſe dici ſenſum Catholicæ Eccleſiæ, quẽ 74.

non omnes fideles ſalua fide recipiunt. Sed vide quo tendas, nam cum negare non poſsis hunc eſſe ſenſum Eccleſiæ Romanæ; neque etiam negare poteris ſenſum eſſe Catholicæ Eccleſiæ, niſi neges Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam Catholicam. Ac neque ita quidem, nam ſi hoc audes eo ſenſu, quia Eccleſia Romana non eſt vniuerſus cætus fidelium, quamuis omnium ſit caput, & Magiſtra, hæc argutia futilis eſt, & vana ad rem præſentem, neque enim poteſt Eccleſia Catholica, etiam in eo ſenſu accepta, alium ſenſum habere, quã quem habet Romana. Itaque Catholicæ Eccleſiæ ſenſus eſt, quiſquis Romanæ Eccleſiæ eſt, quam omnes Eccleſiæ, & vniuerſus cætus fidelium Ducem, & Magiſtram ſequũtur. Vnde tandẽ fit, quòd quãuis integrũ ſit fidelibus ſentire Conceptionem non fuiſſe Immaculatam, non tamen eſt integrum aſſerere Eccleſiam non colere Conceptionem Immaculatam. Hoc enim erroneum eſt, vt docebit caput ſeptimum, & octauum.

Hac ergo ratione agentes de ſenſu, quo cele-
75. bratur feſtum Conceptionis, aſſerunt Immaculatæ defenſores coli Conceptionem Immaculatam, eumque eſſe ſenſum Catholicæ Eccleſiæ, quia eſt Romanæ, non ſolum ita celebrantis á tẽpore Sixti Quarti, ſed præcipientis ſub Pio V.

vt omnes celebrent, & tandem ſub Gregorio XV. Nunc vide an confidentia ſit hanc celebrandi conſuetudinem *Eccleſiaſticæ* titulo decorare, quam præterquam quod duobus fere ſæculis Romana eſt, eam ante, & poſt fere omnes Eccleſiæ, & ordines obſeruarunt. Quòd ſi tibi nimium adhuc videtur celebritatem in hoc ſenſu acceptā conſuetudinis Eccleſiaſticæ titulo inſignire, audi aliquid maius. Non tātum conſuetudine commendatur, ſed vniuerſali lege præcipitur, vt ex ſequentibus diſces maxime cap. 13. vt non adeò ægre feras, quòd hæc conſuetudo, quæ ex authoritate Eccleſiæ vires ſumit, ſanctorum Patrum authoritati præferatur. Sed bene eſt quòd nulli ſunt ſancti Patres (vno fortaſſe, vel altero excepto) qui contra Immaculatam ſentiant, vt nil opus ſit argumentum, quod ex feſto Eccleſiæ pro Immaculata deſumitur, cum eo committere quod ex ſanctorum Patrum authoritate in contrarium fiat, aut vtriuſque pondus ad trutinam examinare.

Denique, ne deinceps tibi ſtomachum moueat, quòd argumentum ex feſto Eccleſiæ pro 76.
Immaculata Conceptione depromptum, authoritati ſanctorum Patrum (ſi qui diſſentirent) præferamus; ſcias iam olim idem feciſſe viros è tua familia doctiſsimos in capitulo Prouinciali Or-

dinis Prædicatorum Hiſpali celebrato anno circiter 1524. qui cum prudenti decreto monerēt opinionem affirmatiuam aut deſerendam eſſe, aut non multum de ea curandum, ita ſcripſerūt: *Quia ordo Prædicatorum ſolitus eſt ſanctorum doctrinæ adhærere, ſuſtinuit huc vſque opinionem quod B. Virgo fuit concepta in originali, ſed iam de hoc non eſt curandum, cum ſit materia nullius vtilitatis, & valde ſcandaloſa: præſertim cum tota fere Eccleſia, cuius vſus, & auctoritas ſecundum Beatum Thomam præualet dicto Hieronymi, & cuiuſcumque alterius Doctoris, iam aſſerat, quod fuit præſeruata.* I nunc, & nobis iraſcere, quòd authoritatem Eccleſiæ, quod ad Conceptionem Immaculatam attinet, ſanctorum authoritati præferamus; cum idem fecerint tui in eadem cauſa, & quidem ex doctrina diui Thomæ. Sed de hoc decreto longior nobis futurus eſt ſermo in aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis. Nūc quod in calce ſubdis, quæ nos aſſerimus ita rem deſcribere, *vt Immaculatam Virginis Conceptionem iam Eccleſiæ authoritate definitam ſupponant*, languidum eſt, & ſupra ſatis ſuperque reiectum.

77. Sed non eſt hinc abeundum, quin prius fidem noſtram in tuis verbis trāſcribendis commendemus, ne cauſari poſsis ſcripta tua à nobis corrumpi. In exemplari quod apud nos eſt, huc ex vrbe

miſſo,

Digitized by Google

miſſo, ita legitur: *Nec enim conceſsionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus, &c.* At in alio Romæ etiam allato, quod habent Patres Franciſcani Cœnobij Matritenſis pro *conceſsionis* eſt *Conceptionis*, neque facile eſt iudicare quid ſcripſeris, cum vtraque vox ſenſum tuæ ſententiæ conuenientem reddat. Nam ſi legatur *conceſsionis*, ſenſus eſt te fateri conceſsionem á Sede Apoſtolica factam officij Conceptionis eo tempore, quo etiã facta eſt officij ſanctificationis ab eadem ſede. Si vero *Conceptionis* legendum ſit, fere in idem recidit. Scilicét tuæ cauſæ nihil officere quód vox *Conceptio* vſurpetur in officio diuino ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ijs temporibus, quibus ex eiuſdem approbatione *ſanctificatio* etiam in officio diuino perſonabat. Nos priorem lectionem retinuimus, quam videntur exigere præcedentia verba *Officium Immaculatæ Conceptionis permiſſum eſt, imo & conceſſum*, quibus recté conuenit illud: *neque enim conceſsionis vocabulum reformidamus, &c.* Quod ſi nihilominus *Conceptionis* ſcripſiſti, facilis eſt correctio.

Nunc verba tua expendo: *Neque enim Conceptionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus quibus etiam officium ſanctificationis à Summis Pontificibus & ſignanter à Iulio Tertio conceſſum, & approbatum fuit.* Ergo nunc, quando officium ſanctificationis 78.

pro-

prohibitum eſt, Conceptionis vocabulum refor midas. Alioquin limitationem illam *pro ijs temporibus, &c.* perperam addidiſſes. Itaque modo, cum in officio diuino legis Conceptionis vocabulum, horreſcis; & cum in die Conceptionis ſacrum facis, aut diuini officij penſum perſoluis (vbi ex præcepto Gregorij XV. non iam ſanctificationem, vt antea; ſed Conceptionem exprimere debes) formidine premeris. Miſeret me tui: quid reformidas ſuauiſsimam vocem? Eccleſia hortatur vt *Conceptionem B. Mariæ Virginis cum gaudio celebremus, deuotiſsimè, cum iucunditate,* idque ſæpè repetit: tu cum feſtum celebras, reformidas Conceptionis vocabulum. Angeli in cœlo, cum concepta eſt Virgo, *fecerunt feſtum* (vt ſcribit ſanctus Vincẽtius Ferrerius ſermone de Cóceptione) imò cum reuelata eſt eis futura Conceptio Virginea, *inceperunt tripudiare, & facere magnum feſtum,* vt idem ſanctus loquitur: tu neque cum Angelis tripudias, neque cum Eccleſia cum gaudio & iucunditate celebras; ſed potius ad vocabuli prolationem reformidas. Nunc iam mirari deſino, cur tantopere in vtroque libello coneris oſtẽdere Conceptionis vocabulum in Officio diuino nil aliud ſignificare quàm ſanctificationem præciſe ſumptam, nempè facis, quod ſolent pharmacopolæ, qui medicos globulos tenuiſsi-

S. Vincẽt. Ferrer.

mo auro incuſtrant, vt ægrotantium oculos, & palatum fallant. Tu cum ex præſcripto Gregorij XV. deglutiendum tibi neceſſario ſit in officio diuino Conceptionis vocabum; ſanctificationis ſignificatu illud, quaſi auro, oblinis, ne tibi ſtomachum moueat. O ſtomachum vere languidum! poſtremo ſi te Eccleſiæ, & Angelorum exemplum non mouet ad gaudium, iucunditatē & tripudium; pudeat ſaltem formidinis, qua Dæmones etiam afficiuntur audito Conceptionis vocabulo; nam aliquando eos ad inuocationem Immaculatæ Conceptionis relictis obſeſsis corporibus fuga ſe prorripuiſſe teſtantur graues ſcriptores.

Quod ſi non *Conceptionis*, ſed *conceſsionis* in illis tuis verbis legendum eſt, atque ita in authographo tuus calamus exarauit; eadem ferè reprehenſione dignus es, cum fatearis te hoc tempore reformidare conceſsionis vocabulum, hoc eſt officium Immaculatæ Conceptionis conceſſum fuiſſe. Quis enim reformidet quod in tantam Beatiſsimæ Virginis gloriam cedit? quod fidelium erga eam deuotionem acuit? quod deuotos indulgentiarum theſauro ditat? ſi ſolam huius officij conceſsionem reformidas; de approbatione trepidabis, de collocatione in Breuiario Romano totis artubus contremiſces, de præcepto recitan- 79.

di omnibus impoſito conſternatus deficies. Sed tu, vt libuerit; commoueтor ad vocabulum *conceſsionis* officij Conceptionis Immaculatæ; illud edico tibi, ne hoc officium hac in re componas cum officio ſanctificationis, toto enim cœlo diſtant. Fateris aliquando officium Immaculatæ permiſſum fuiſſe, & quaſi rem magnam nobis præſtes, addis *imo conceſſum*; cum de officio ſanctificationis aliquid maius aſſeras *conceſſum, & approbatum fuiſſe*. Diminutè de officio Conceptionis loqueris; magnificè, & glorioſè de officio ſancti ficationis. Vtrunque non rectè, nam officium ſanctificationis vix permiſſum fuit, certè à nullo vnquam Romano Pontifice conceſſum, aut approbatum; vt oſtendam cap. 13. at officium Immaculatæ Conceptionis non ſolum permiſſum, ſed à Sixto Quarto conceſſum, approbatum, imo inſtitutum, & in Romanos ritus admiſſum; deinde à Pio Quinto lege lata omnibus (etiam tibi) præceptum, denique à Gregorio XV. profligato prorſus officio ſanctificationis, pacificè regnare iuſſum.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 17.

SED *Eccleſiæ ſanctæ fixa eſt, & perpetua conſuetudo colendi non niſi certam, & indubitatam ſanctitatem: quod pro comperto habent Sanctus Bernardus, Sanctus Ildephonſus, & Sanctus Thomas qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuiſſe tradunt, quia Eccleſia ab antiquo eam celebrat. Nunquam ergo dici poteſt ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam. Hoc enim adhuc eſt indefinitum, atque adeò dubitationi ſubiectum. Qui aliter dixerint, videāt, quomodo hæreticorum os obſtruere valeant, qui aduerſus infalibile Eccleſiæ iudicium calumnias ingeminant.* 80. Epiſt. ad Lugdu. lib. de perpetua Virginitate Virginis. 3. p. q. 27 art. 1.

§. XVII.

LIBELLATOR PARALOGIZAT. Secum ipſe pugnat. A ſanctis Ildephonſo, Bernardo, & Thoma (quos Iudices appellat) damnatur. Infalibile Eccleſiæ iudicium prodit potius, quam defendit aduerſus hæreticos.

CVM primum legi priora verba huius perio- 81.

di, vbi Eccleſiam non colere niſi certam, & indubitatam ſanctitatem aſſeris, & in huius rei confirmationem tres inſignes Sanctos aduocas, qui ſanctam eſſe Natiuitatem Virginis ex feſto Eccleſiæ demonſtrant; exiſtimaui te tandem mutaſſe ſentētiam, & Immaculatam Conceptionem fateri. Nam ex illa doctrina quid, obſecro, ſequebatur, niſi Conceptionis (cuius feſtū Eccleſia celebrat) ſanctitatem certam eſſe? Sed cum pauliſper progreſſus vidi te ex illa theſi hanc illationem deducere: *Numquam ergo dici poteſt ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam*, obſtupui ad hominis dialecticam, & ingeniū. Nam, per Deum immortalem, ſi ex feſto Conceptionis non probatur Conceptionem fuiſſe ſanctam; quorſum adducis Bernardum, Ildephonſum, & Thomam ex feſto Natiuitatis probantes Natiuitatis ſanctitatem? illorum ſanè authoritas planè tibi officit, qui ex feſto non probari ſanctitatem Conceptionis contendis. At, inquis, ego non nego Conceptionem ſanctam fuiſſe, & coli, id enim teſtatur Eccleſia, *quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem*, ſed Conceptionem fuiſſe *in primo inſtanti Immaculatā*. Atque hoc nego ex ſenſu Eccleſiæ celebrari. Pulchrè quidem. Itaque diſtinguis inter vocem *Sancta, & Immaculata*, etiam cum Conceptione

con-

coniunctis, faterіſque poſſe intelligi Conceptionem, quæ Sancta ſit, & Immaculata non ſit. Hoc commentũ infra, §. 20. explodemus. Quod tamen impugnatione non eget, qui enim Conceptionem ſanctam agnoſcit, & Immaculatam negat; quid aliud agit, quám ſi affirmet cum gratia ſanctificanti peccatum originale coniunctum eſſe? Nam vox *Sancta* (in præſenti controuerſia) gratiam ſanctificantem ſignificat; vox *Immaculata* carentiam culpæ originalis. Si ergo eadem Conceptio ſancta eſt, & Immaculata non eſt; gratiam ſimul habet, & originalem culpam.

At (iterum inquis) non nego Conceptionem Immaculatam vtcumque, ſed *in primo inſtanti Immaculatam*. Hanc non celebrat Eccleſia. Acutiſsimè. Non ſatis te callueram. Ne voculam quidẽ vnam fruſtra adijcis. Itaque Conceptionem Immaculatam agnoſcis in alio quam in primo inſtãti. Vis nunc videre quo te deducat ingenij tui acumen? chimæricam nobis Conceptionem obtrudis, & tecum miſerè confligis. Quid enim monſtri eſt Conceptio in ſecundo inſtanti, aut in alio quam in primo? Conceptio (id eſt animatio, ſeu infuſsio animæ) non concernit diuerſa inſtantia, ſed vnicum, quod eſt primum vitæ. Eſt enim generatio ſubſtantialis quæ iuxta Philoſophos, & Diuum Thomam tota fit in inſtãti. Hoc 82.

Digitized by Google

tranſacto, quod eſt primum vitæ, nulla eſt Conceptio. Quî ergo poterit eſſe Immaculata poſt primum inſtans? chimæra ergo eſt, & merũ ſomnium *Conceptio Immaculata, & non in primo inſtanti.* Neque in hoc tantum peccas, ſed tecum etiam pugnas. Nam vt aſſeris num. 21. vox *Immaculata* eſt negatiuæ opinionis proteſtatiua, nec ſe habet indifferenter ad vtrumque inſtans, ſicut vox *Sancta*. Ideoque contendis Conceptionem, quãuis dicatur ſancta, non tamen ornandam eſſe titulo Immaculatæ. Huic aſſertioni è diametro cõtradicis in præſenti, extendis enim vocem *Immaculata* ad ſecundum inſtans. Quare iam te authore neque eſt negatiuæ opinionis proteſtatiua, neque quicquam in hoc differt à voce *Sancta*. Sed de his iterum §. 20. & 21.

83. Nunc videamus, qua ratione probes Eccleſiam non colere Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam. *Hoc enim* (inquis) *adhuc eſt indefinitum, atque adeò dubitationi ſubiectum.* Hactenus deſideraueram dialecticam, nunc in te, & dialecticam, & Theologiam deſidero. Quæ enim Theologia eſt: *Non eſt definitum, ergo non colitur ab Eccleſia: non eſt difinitum, ergo eſt dubitationi ſubiectum?* vtraque conſequentia vitioſa eſt. De priori oſtendo argumento, quod vocant ad hominem; nam (vt tu etiam fateris) Eccleſia cele-

brat Conceptionem ſanctam; at ſanctitas Conceptionis (quocumque modo eam explices) non eſt definita, vt manifeſtum eſt, & tu etiam libenter agnoſcis, qui num. 2. recolendum dicis Pontifices in hac materia á definitione abſtinuiſſe: perperam ergo, & contra tuam doctrinam infers Eccleſiam non colere Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam, quia definita nō eſt. Rurſus quæro abs te, an exiſtimes ab Eccleſia definitam eſſe tanquam de fide ſanctitatem Natiuitatis B. Virginis, eius Præſentationem in Templo, & corpoream Aſſumptionem in Cœlos? cædo definitionem. Nuſquam inuenies: & tamen hæc colit Eccleſia, & quidem ſolemniſsime: vana ergo illatio eſt: *Non eſt definitũ, ergo non colitur ab Eccleſia.* Denique de poſteriori illatione idem oſtendo. Dicas mihi velim, an quia Natiuitas Præſentatio, & Aſſumptio definitæ non ſint, audeas aſſerere incertas eſſe, & dubitationi ſubiectas? vapulabis, ſi audeas. Futilis ergo argumentatio eſt: *Non eſt definitũ, ergo eſt dubitationi ſubiectũ.* Quare perperā probas Cōceptionē Immaculatā ſubiectam eſſe dubitationi, quia definita non eſt.

Quod ſi quis pro te ita reſpondeat: longum diſcrimen eſt inter Natiuitatem, Præſentationē, & Aſſumptionem Virginis, & eius Conceptionem. Nam de illis dubitare nō licet, de Concep- 84.

tione licet. Liberum enim eſt vnicuique de ea opinari, an fuerit â peccato originali præſeruata, necne, & vtrumlibet ſentiendi facultatem facit Sedes Apoſtolica. At Natiuitatem Sanctam fuiſſe, Virginem fuiſſe in Templo Præſentatam, & in Cœlos Aſſumptam negare religio eſt; cum id vniuerſa Eccleſia vt certum amplectatur. Licet ergo hæc difinita non ſint, tamen recte ab Eccleſia celebrantur, quia certa. Conceptio vero Immaculata, cum in opinione ſit poſita, non colitur ex ſenſu Eccleſiæ, quæ non celebrat niſi rem certam.

85. Hæc ratio, ſi tibi arridet, nihil tamen proficit ad defendendum paralogiſmum, quem numero præcedenti impugnauimus. Neque enim in eo argumentaris à facultate ſentiendi contra Immaculatam, ſed à definitione Eccleſiæ, quam neceſſariam putas, vt aliquid publice colatur, & ſit certum: & quia Immaculata Conceptio definita non eſt, inde inferebas non eſſe certam, neque ab Eccleſia celebrari, quod tamen euidenter reiecimus. Nunc, quod attinet ad certitudinem Immaculatæ Conceptionis (ne multum fidas huic ſolutioni) ſcias ei non officere facultatē tibi factam tuæ opinionis ſectandæ. Certitudo enim hæc deſſumitur ex authoritate Eccleſiæ inſtituentis feſtum Conceptionis, & iudicantis

præ-

præſeruationem Virginis dignam cultu ſacro, & publico. Vnde à poſteriori manifeſtè concluditur hanc præſeruationem ita eſſe certam, vt à parte rei non poſsit eſſe falſa, alioquim eam Eccleſia non coleret. Huic certitudini non derogat facultas tibi facta, ſeu potius tolerantia tuæ opinionis, ſicut etiam non poteſt derogare authoritati Eccleſiæ; quare impedire non poteſt effectũ certitudinis, qui neceſſario ſequitur ex Eccleſiæ inſtitutione, & approbatione. Et quãuis ex natura rei videbatur ſequi, vt ſuppoſita hac certitudine Immaculatæ Conceptionis excludatur aſſenſus aſſertionis contrariæ; tamen Eccleſia, dum controuerſiam non dirimit, illum tibi non prohibet; ſed ex indulgentia permitit, limitans tamẽ permiſsionem ad actus internos, & conferentiã inter tuos dumtaxat. An autem hæc certitudo moralis ſit, an etiam phyſica; an ratione eius ſententia pia tranſgreſſa ſit terminos opinionis probabilis, an intra illos adhuc cõtineatur; an tua opinio probabilitatem amiſſerit, an cõſeruet, vel integram, vel magna ex parte debilitatam, alij pro vtraque parte diſputant, & determinãt. Nos hac in re nihil nunc decernimus, contenti aſsignaſſe diſcrimen, quo differunt Natiuitas, Præſentatio, & Aſſumptio ab Immaculata Conceptione ex tolerantia tuæ opinionis. Cum quo tamen

diſ-

diſcrimine optimè ſtat, vt Conceptio Immaculata ex inſtitutione feſti ea certitudine gaudeat, quæ formidinem falſitatis prorſus excludit, & cum qua integra manet infalibilis Eccleſiæ authoritas, quæ falli non poteſt in proponendo fidelibus ſubiecto ſacri cultus.

86. Nunc redeò ad illam tuam illationem: *Numquam ergo dici poteſt ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtāti Immaculatam.* Hæc propoſitio eadem eſt cum illa quam vt erroneam damnauit Sixtus Quartus in priori extrauaganti *Graue nimis: Eccleſia Romana duntaxat colit ſanctificationem.* Quod ita probo. Non colit per te Immaculatam in primo inſtanti, neque etiam determinatè poſt primum inſtans, vt tu etiam fateris: ergo vt abſtrahit à tempore: ergo ſolam ſanctificationem. Maximè, quia in tua doctrina Conceptio in præſenti non ſignificat animationem, ſed ſanctificationem. Non ergo colit Eccleſia naturalem Virginis animationem, vt cum gratia coniunctam, hoc enim concernit primum inſtans. Ergo duntaxat colit ſanctificationem præciſè ſumptam, quod eſt erroneum, & á Sixto damnatum, vt docebit caput ſeptimum.

87. Veniamus tandem ad Diuos Bernardum, Ildephonſum, & Thomam, quorum authoritate niteris. Mirum ſané eſt auſum fuiſſe eos hac in

re

re prote adducere, qui, ſi totam antiquitatem excutias, non potuiſti alios Patres inuenire, qui argumentum, quod ex feſto Conceptionis depromitur pro Immaculata, luculentius, & expreſſius commendent. Non hæc ſine numine contingunt. Nempe prouidit Deus, vt qui puritatem ſuæ Matris dubiam eſſe contendis, eos teſtes adducas, quorum teſtimonio maxime conuincaris, & (vt vno verbo dicam) nobis arma miniſtres. In primis animaduertere debuiſti quàm ſimpliciter, & planè Natiuitatem ſanctam agnoſcant ex feſto Natiuitatis. Non quærunt interpretationes, non diſtingunt inſtantia, non vocem *Natiuitas* á ſuo ſignificatu detorquent, non curant quibus epithetis natiuitas ornetur in officio Eccleſiaſtico, dum tamen feſto colatur. Denique nõ ſunt ingenioſi in interpretãdo feſto Eccleſiæ, vt in aliquo ſenſu concedant, in alio negent; ſed ſimpliciter, & ſine commentario ſanctitatem Natiuitatis ex feſto concludũt, nefas exiſtimantes diſtinguere, vbi lex non diſtinguit. Non vides hoc exemplo damnari argutias tuas, imò cauillos? Conceptionem, quæ in inſtanti fit, aut in diuerſa inſtantia (quaſi in fruſta) ſecas reclamante ipſa rerum natura; aut, quod peius eſt, contra communem hominum vſum (á quo pendet vocum ſignificatio) eam in officio diuino non in-

Digitized by Google

fuſsionem animæ, ſed ſanctificationem ſignificare contendis. Rurſum acutiſsimus vocum trutinator inter Conceptionem Sanctam, & Immaculatam diſtinguis; vt ſanctam concedas, Immaculatam neges. Hæc omnia cur non etiam in Natiuitate comminiſceris? nam eodem iure potes. Imò, quoad aliquid, potiori. Natiuitas enim, cũ non in inſtanti, ſed in tempore fiat, diuerſorum inſtantium diſtinctionem patitur. Cum ergo Eccleſia ipſiſsimis verbis colat Conceptionem, quibus colit Natiuitatem (vt omitamus officia, in quibus eam, & Immaculatam, & præſeruatam dicit) diſce à Bernardo, Ildephonſo, & Thoma tam ſimpliciter, & (vt ita dicam) ſine gloſſa feſtũ Conceptionis intelligere, quam ipſi intelligunt feſtum Natiuitatis. Vt ſicut illi, quia videbant feſtum Natiuitatis ab Eccleſia celebrari, pro comperto habuerunt naturalem Virginis Natiuitatem cum gratia ſanctificanti coniunctam fuiſſe: ita & tu idem de Conceptione naturali, ſeu animatione fatearis, ſiquidem vides Eccleſiam eodem officio hodie Conceptionem colere, quo illorum tempore colebat Natiuitatem. Vel ſi adhuc non te mouet tantum exemplum, agnoſce, dum eos aduocas, non te patronos quærere, ſed cabillationis tuæ iuſtiſsimos Cenſores.

Neque

Neque tamen ſolum exemplo ſuo te docent, vt ipſe ex feſto Conceptionis elicias, quod illi ex feſto Natiuitatis; ſed de ipſo Cōceptionis feſto ita loquuntur, vt planè renitentiam tuam cōdemnent. Bernardus in illa Epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes (ſi tamen Bernardi eſt, de quo nunc non ſumus ſoliciti) maximè in Lugdunenſibus reprehendit, quod ſine authoritate Romanæ Eccleſiæ feſtum Conceptionis celebrent. Ab hoc argumento orditur epiſtolam: *nouam* (inquit) *inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit*. Hoc idem expendens epiſtolam finit: *Nam ſi ſic videbatur* (id eſt colendam eſſe Conceptionem) *conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis authoritas*. Itaque hoc vnum in feſto Lugdunēſium Bernardus deſiderabat, approbationem Sedis Apoſtolicæ; hanc ſi habuiſſent, non eum reprehenſorem, ſed laudatorem, & imitatorem habuiſſent. Qui tandem in calce epiſtolæ: *Romanæ* (inquit) *Eccleſiæ authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ eiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare*. Ecce approbationem feſti Conceptionis Romanæ Eccleſiæ authoritati, atque examini reſeruat Bernardus. At illa præuio diligenti examine non ſolum approbauit feſtum Conceptionis Immaculatæ, aut alijs conceſsit, ſed amplexa eſt, & in Romanos 88.

D. Bernardus.

ritus admiſsit, ac tandem ab omnibus celebrari præcepit. Quid ageret Bernardus, ſi hæc vidiſſet? perſiſteret ne adhuc in tua opinione, & ad cauillos tuos confugeret? luderet in voce *Conceptio*? luderet in voce *Immaculata*, aut *Sancta*? minimè id quidem. Nam quid ageret, ipſe iam anticipatò teſtatum reliquit. Nempè emendaret, ſiquid aliter ſapuit. Sed certè nihil eſt, quod emẽdaret, neque enim aliter ſapuit. Nam in tota Epiſtola nihil pronuntiat contra gratiam præſeruantem in ipſa animatione, ſolum docet Conceptionem id eſt *figurationem* (ita enim loquitur) ſeu formationem fætus factam fuiſſe in peccato originali, atque adeò non eſſe colendam. Hanc nomine Conceptionis, & conceptus intelligit, huius feſtum reprehendit in Lugdunentibus; ſiue quia ipſi ita colebant, ſiue quia Bernardus ita ab eis coli putabat. Sed de ſenſu Bernardi longior nobis futurus eſt ſermo in opuſculo de ſtatu controuerſiæ. Interim (quidquid ſenſerit de Conceptione) certiſsimum eſt ipſum eadem ratione ſibi perſuaſurum ſanctitatem Conceptionis, ſi eius feſtum ab Eccleſia Romana inſtitutum videret; qua ſibi ex feſto natiuitatis eiusſanctitatem, & ex feſto Aſſumptionis veritatem huius myſterij ſuadebat. Vt tandem videas tibi eum penitus aduerſari, quem pro te adducis.

Idem

Idem de ſancto Thoma clarius adhuc, & cui- 89.
dentius conſtat. Quærit 3. part. quæſt. 27. art. 2. *S. Thomas.*
Vtrum Beata Virgo fuerit ſanctificata ante animationē, & cum pro parte affirmatiua obiecíſſet ſibi tertium argumentum ex feſto Conceptionis, quod aliqui tunc celebrabant, reſpondet: *Licet Romana Eccleſia Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium. Vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda.* Vide quantum deferat Eccleſiæ Romanæ ſanctus Doctor, vt propter ſolam eius tolerantiam cenſeat non eſſe omnino reprobandā priuatorum celebritatem, ſed in bonum ſenſum interpretādam, vt ipſe facit reddens videlicet rationem, & cauſam huius tolerantiæ. Vbi diligenti animaduerſione digniſsimum eſt ſanctum Thomam eo loco diſtinguere Conceptionem ab animatione, exiſtimaſſeque Eccleſias, quæ tunc colebant Conceptionem, celebraſſe formationem fœtus, quæ tempore præcedit animationem, vt euidenter conſtat ex tertio illo argumento: & nihilominus quamuis ipſe ſanctus Doctor ſentiret de fide eſſe formationem fœtus Virginei (quam ipſe Conceptionem appellat) factā fuiſſe in peccato originali, ideſt cum neceſsitate, & debito illud contrahendi; tamen non eſt auſus priuatarum Eccleſiarum feſtum reprobare,

Digitized by Google

eo ſolum nomine, quia videbat ab Eccleſia Romana tolerari; ſed adhibuit conuenientem feſti explicationem fidei Catholicæ conſentientem, & ſuo ingenio dignisſimam, qua perperam hodie abvtuntur, qui mentem Angelici Doctores minimè callētes omnia miſcent. Sed de eius ſententia longior à nobis inſtituenda diſputatio eſt in Aſſertore Dominicano, & non nihil dicemus infra num. 107. & ſequentibus.

90. Nunc, quod ad rem præſentem attinet, alia verba eiuſdem ſancti Doctoris expendamus ex quodlibeto ſexto, articulo ſeptimo vbi eodem prorſus ſenſu de feſto Conceptionis loquens inquit: *Romana Eccleſia, & plurimæ aliæ conſiderantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuiſſe, feſtum Conceptionis non celebrant.* Intelligit proculdubio nomine Conceptionis formationem fœtus, quæ animationem præcedit, vt prædicto loco monſtrabimus. Sed quidquid ſit de hoc, & quocumque ſenſu feſtum Conceptionis accipiat (nihil enim refert ad præſens inſtitutum) ex his verbis manifeſtum eſt in doctrina Diui Thomæ optimè concludi ex feſto Conceptionis ſenſum Eccleſiæ de Cōceptionis immunitate à peccato originali. Ex eo enim quod Eccleſia Romana feſtū Conceptionis non celebrat, infert Eccleſiam Romanam ſentire Conceptionem Virginis in

ori-

originali peccato fuiſſe. Quaſi ita argumentaretur: *Eccleſia Romana non celebrat feſtum Conceptionis; ergo ſentit Conceptionem Virginis in originali peccato fuiſſe.* Hinc in eius doctrina neceſſarium eſt, vt á contrario ſenſu valeat argumentum: *Eccleſia Romana celebrat feſtũ Conceptionis; ergo ſentit Conceptionẽ Virginis in peccato originali non fuiſſe.* Imò in hac materia multò fortior eſt ſecunda argumentatio quam prima. Poterat enim Eccleſia ſentire Conceptionem non fuiſſe in originali factam, & nihilominus eius feſtum non celebrare, neque enim tenetur de quacumque ſanctitate feſtum inſtituere. At non poteſt celebrare feſtum de re, cuius ſanctitatem non approbat, vt ipſe ſanctus Thomas docet. Cum ergo manifeſtum ſit Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis, liquidum eſt in doctrina diui Thomæ Eccleſiam ſentire (citra difinitionem) Conceptionem Virginis *in originali peccato non fuiſſe*; atque adeo longe á ſancti Doctoris diſciplina recedere te (ò libellator) qui cum videas Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis, adhuc negas ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem Immaculatam.

Reſtat ſanctus Ildephonſus, quem, quamuis 91.
antiquior ſit Bernardo, & Thoma, vltimo loco *S. Ildephonſus.*
recenſemus, quia eius teſtimonium præſtantiſsi-

mum

mum eſt,& præſeruationem Virginis ab origina li peccato ex feſto Conceptionis egregiè demonſtrat. Vt nullus ſit inter Patres, qui expreſſius,& clarius tibi reſiſtat. Igitur in eo aureo libello, quem ſcripſit *contra eos, qui diſputant de perpetua Virginitate ſanctæ Mariæ, & de eius parturitione* demonſtrans Virginem Sanctiſsimam in partu prorſus immunem fuiſſe ab ærumnis puerperij, quibus poſt Euæ maledictionem ſubiacent omnes fœminæ; cum id oſtendiſſet, quia in Anuntia tione Spiritu Sancto repleta eſt; alio argumento idem confirmat ex præſeruatione eius à peccato originali; quæ enim illud non contraxit, non potuit nec debuit eſſe ſubiecta ærumnis partus, quæ ſunt pœnæ peccati originalis. Quòd autem non contraxerit peccatum originale, probat ex cultu ſacro, quo eius Natiuitatem veneratur Eccleſia. Concluditque: *Quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quòd nullis quando nata eſt ſubiacuit delictis, nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatũ.* Et poſt nõnulla: *Beata Virgo Maria niſi in vtero Matris ſanctificata eſſet, minimè eius Natiuitas colenda eſſet. Nunc autem, quia ex authoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe.* In quibus verbis loquitur proculdubio de Natiuitate in vtero, hoc eſt Cõceptione, ſeu animatione, id enim exigit, & con-

tex-

textus ipſe,& argumentationis ratio, quæ futilis eſſet,& vana,ſi de ſola Natiuitate ex vtero intelligeretur. Sed de hoc longior nobis eſt ſermo in opere de Origine ſacri cultus,& officij Eccleſiaſtici Conceptionis Immaculatæ propediem edendo,vbi late etiam explicamus,qua ratione verum ſit Conceptionem tempore ſancti Ildephonſi ab vniuerſa Eccleſia celebratam fuiſſe, quòd ipſe prædictis verbis teſtatur. Nunc libellator vide S. Ildephonſum non ſolum inferre ſanctitatem Natiuitatis ex eius feſto,vt tu putabas;ſed ſanctitatem Conceptionis ex feſto Conceptionis;idque ex ſenſu,& authoritate Eccleſiæ,non quidem definientis,ſed approbantis. Atque hinc diſce argumentum ex feſto Conceptionis antiquiſsimum eſſe,atque ex eo optimè deduci(iuxta doctrinam Ildephonſi) ex ſenſu Eccleſiæ celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam.

Reliquum eſt, vt monitionem tuam extremis verbis contentam audiamus. Vbi cum affirmaſſes dici non poſſe ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam,quòd hæc indefinita ſit,atque adeò dubitationi ſubiecta;ſubdis: *qui aliter dixerint videant quomodo hæreticorum os obſtruere valeant, qui aduerſus infalibile Eccleſiæ iudicium calumnias ingeminant.* 92.

Itaque (te iudice) niſi negemus Catolici Eccleſiam celebrare Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam, non poſſumus aduerſus Hæreticos defendere infalibile Eccleſiæ Iudicium. Sed auertat Deus tam ineptam defendendæ firmiſsimæ veritatis rationem: qua ſi vteremur; & Eccleſiã proderemus, & nos hæreticis ridendos propinaremus. Quæ enim defẽſio eſt, vt veritatẽ aliquam adſtruas, aliam manifeſtiſsimam negare, de qua euidenter poſsis ab aduerſario conuinci? finge hæreticum ita argumentari: *Eccleſia Romana celebrat Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam: at res hæc ſubiecta eſt dubitationi: ergo celebrat rem dubitioni ſubiectam, ergo eius iudicium infalibile nõ eſt.* Tu vt reſponderes, negares priorem propoſitionem. Sed bone Deus, quàm facile te caperet hæreticus! in medium produceret Breuiarium Romanum, quo vſa eſt Eccleſia á Sixto Quarto, ad Pium Quintum, & in feſto Conceptionis legeret Inuitatorium ad Matutinum: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: Chriſtum eius præſeruatorem adoremus Dominum.* Quid ageres? quo te verteres? an reſponderes Conceptionem hic non dici Immaculatã *in primo inſtanti*? ſed hoc effugiũ prorſus intercludit vox illa *præſeruator,* quæ primum inſtans neceſſario cõcernit. An hæc in eo officio non dici *ex ſenſu Eccleſiæ?* at officium

illud Romanum eſt, & in eo Eccleſia Romana loquitur. Quidni ex ſenſu ſuo? nam & mentem verbis conſonare neceſſum eſt. Denique ſi ad cõſuetam temporum diſtinctionem confugeres, & aſſereres celebratam quidem fuiſſe Conceptionem Immaculatam á tempore Sixti ad Pium vſque; ſed non ita, poſtquam Pius Breuiarium Romanum reformauit. Hæc (inquam) ſi reſponderes, inſtaret hæreticus: *Ergo ſub Sixto, & reliquis Pontificibus vſque ad Pium Quintum Eccleſia Romana coluit dubiam, & incertam ſanctitatem, atque adeò ſub illis non fuit infalibile eius iudicium.* His præſus quid ageres? obmuteſceres ſanè rubore perfuſſus. Hoccine eſt hæreticorum ora obſtruere? vide in quæ abrupta te deducat egregia illa tua monitio, qua nobis conſulis, vt negemus celebrari ex ſenſu Eccleſiæ Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam, ſi velimus hæreticorum ora obſtruere garrientium aduerſus infalibile Eccleſiæ iudicium.

Qua autem ratione argumentum hæreticorũ enodarent Immaculatæ defenſores, non eſt noſtrum in præſenti explicare, quorum tantùm intereſt oſtendiſſe, viam, quam tu monſtras, in præceps deducere, vt merito cauenda ſit. Sed ne rem omnino intactam relinquamus, audi. Diuerſam diuerſi rationem inirent, aliqui enim fortaſſe to- 93.

tum ſilogiſmum concederent negata vltima cō-ſequentia. Quæ minime infertur; ij videlicet qui putant ſat eſſe ad feſti inſtitutionem, quód probabiliſsimum ſit, & pené ab vniuerſo fidelium cætu receptum Conceptionem Virginis fuiſſe Immaculatam. Alij aliquid maius auderent, & ex feſti inſtitutione certitudinem piæ ſententiæ ſubinferentes, negarent poſteriorem ſilogiſmi propoſitionem, nempé Conceptionem Immaculatam eſſe dubitationi ſubiectam, iuxta ea quæ diximus ſupra num. 85. atque hac ratione optimè defenderent infalibile iudicium Eccleſiæ, cuius tanta eſt authoritas in feſtis inſtituendis, vt vel ſola inſtitutio argumentum efficax ſit certitudinis rei, quæ colitur, vt nullum ſit periculum falſitatis, quamuis res adhuc non ſit de fide. Neque aduerſos eos aliquid ſolidum obijcere poſſet hæreticus. Nam ſi forté vteretur tua argumentatione: *Conceptio non eſt definita, ergo eſt dubitationi ſubiecta*, noſti ex dictis num. 83. quā facile explodere tur. Quod ſi incertitudinem Conceptionis Immaculatæ ex àuthoritate negatiua ſcripturæ conaretur oſtendere, quia videlicet non eſt ſacris litteris expreſſa (quod eſt ſolemne, & penè vnicum hæreticorum argumentandi genus) fatearis neceſſe eſt inanem eſſe, & futilem argumētationem; cum apud Catholicos exploratum ſit,

mul-

multa eſſe non ſolum certa, ſed etiam diuina fide tenenda, quæ tamen in Scriptura ſacra expreſſe, & explicite non continentur.

Atque hinc facile intelliges, quàm longo interuallo diſtent tua, & noſtra ſolutio, qua argumento hæretici reſpondemus. Tu negas manifeſtam veritatem, nempe Eccleſiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quam nullo labore probabit Hæreticus productis in medium noſtris Breuiarijs, & Pontificijs decretis. Quare non licebit nobis in eo conflictu opitulari tibi, quamuis ſocio (vtpote catholico) ne dum te è manibus hoſtis conamur eripere, veritatem, & Eccleſiæ cauſam prodamus. At ſi nos reſpondendi partes ſuſcipiamus; eo res deueniet, vt neceſſarium tibi ſit tandem pro nobis pugnare. Negabimus hæretico Conceptionem eſſe dubitationi ſubiectam. Hoc tibi non placet. Sed ſi ille inſtet definitam non eſſe, atque inde inferat eſſe dubiam; & nos vim illationis eludamus adductis in exemplum Natiuitate, Præſentatione, & Aſſumptione Virginis, quæ meritò coluntur, licet definitæ non ſint; non poteris non probare reſpõſum noſtrum, niſi cum hæretico ſpernas hæc feſta. Quòd ſi iterum nobis opponat Conceptionem Immaculatam non eſſe expreſſam in ſcripturis, atque adeò incertam neceſſario dici debere; 94.

& nos contra aſſeramus multa eſſe certa, quæ tamen ſcriptura non exprimit, ſolutionem probabis, niſi actum velis de diuinis traditionibus ſeu verbo Dei non ſcripto. Hinc liquidò cōſtat hoc eſſe diſcrimē inter tuam, & noſtram ſolutionem; quòd tuam impugnabit Hæreticus decretis Eccleſiæ, noſtram erroribus ſuis.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 18.

95. tom. 2. lib. 3. ca. 16. de cultu ſanctorum. 3. p. q. 27 art. 2. ad 3. *REcte Bellarminus Kemnitio renſpondens argumentanti nos celebrare quod neſcimus, dum fatemur controuerſiam de Conceptione adhuc indeciſam, obiectum, ait, primarium cultus in hac celebritate eſſe primam gratiam Virgini collatam abſtrahendo à tempore, ſeu inſtanti, quo collata fuerit. Quod hauſit ex Diuo Thoma docente celebrari officium Conceptionis ratione ſanctificationis eius factæ in vtero matris, quia enim incertum eſt quo die, quo ve temporis momento eius ſanctificatio facta ſit, recte Eccleſia memoriam eius agit die anniuerſario Conceptionis. Non inſtituuntur ab Eccleſia feſtiuitates iuxta has vel illas, quæ falli poſſunt opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione poſita non proponitur colenda. Primo enim, & per ſe reſpicitur obiectum cultus, ſecundario populorum pietas.*

§.XVIII.

LIBELLATOR FALSO CITAT BELLARminum. Imponit Diuo Thomæ. Senſus, & mens vtriuſque.

AN hoc argumento oppugnet Kemnitius feſtum Conceptionis, neſcimus. Neque enim libros hæreticorum ab Eccleſia prohibitos aut habemus, aut legimus. Tu forte vidiſti, nam Bellarminus eo loco, quem refers, ne Kemnitium quidem nominat, neque proponit, aut ſoluit, quod tu Kemnitio tribuis. tom. 4. lib. 4. de amiſsione gratiæ cap. 15. 16. & 17. quædam huius hæretici recenſet, & refutat; ſed de hoc nouo argumento altum ſilentium. Itaque vehemēs ſuſpicio eſt te tuum argumentum Kemnitij nomine armaſſe, vt nobis horrorem, & metum incuteres. Sed (ſiue illius ſit, ſiue tuum) futile eſt, & vanum. Arguit (te authore) Kemnitius *nos celebrare quod neſcimus, dum fatemur controuerſiam de Conceptione adhuc indeciſam*; Adeoque perhorreſcis argumentum, vt neceſſario negandum putes ab Eccleſia coli Conceptionem Immaculatam, quæ adhuc definita non eſt; ne ſi id admittamus, conuincat nos hæreticus *celebrare quod neſcimus.*

96.

Bellarminus.

Qui

Qui ita ſentis, negares etiam Natiuitatem, & Aſſumptionem ab Eccleſia coli, ſi eodem argumẽto te vrgeret hæreticus: *Nos celebrare quod neſcimus, dum fatemur Natiuitatem, & Aſſumptionem nondum eſſe definitas.* Non vides abſurda?

97. Neque contentus finxiſſe argumẽtum, quod Kemnitio tribuas; fingis etiam ſolutionem, cuius auctorẽ facias Bellarminum. Videlicet: *Obiectum primarium cultus in hac celebritate eſſe primam gratiam Virgini collatam abſtrahendo à tempore, ſeu inſtanti, quo collata fuerit.* Hæc refers tanquam verba ſint Bellarmini, ſubdiſque hauſiſſe ex Diuo Toma. Sed nihil minus cogitauit Cardinalis, quàm vt ea ſolutione vteretur, qui potius alias amplectitur longe diuerſas, & quas tu non admittis. Cum enim obiecisſet ſibi quòd *apud nos etiam nõ eſt certũ an B. Virgo ſine peccato originali concepta fuerit; Eccleſia enim vtrãque opinionem permittit: ergo ſaltem dubiũ eſt an rectè hoc feſtum celebremus.* Reſpondet: *Dico primò in maiori parte Eccleſiæ piè credi B. Virginẽ ſine peccato originali conceptam*, innuens videlicet hunc maioris partis Eccleſiæ ſenſum de Immaculata Conceptione fuiſſe ſufficiens fundamentum ad inſtitutionem feſti, neque *falſo fundamento niti* (vt obiiciebat argumentum) feſtiuitatem, quæ perſuaſioni maioris partis Eccleſiæ innititur. Huc etiam attinet quod paulò poſt ſubijcit:

Digitized by Google

quia maior pars Eccleſiæ piè credit Immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Eccleſia occaſsionem inſtituendi hoc feſtum. His verbis non obſcurè ſignificat Bellarminus feſtum eſſe de Immaculata Conceptione, non *de prima gratia Virgini collata abſtrahendo à tempore*, vt tu falſo illi attribuis. Feſtum enim eſt de eo quod *in maiori parte Eccleſiæ piè creditur.* Hoc autem eſt Conceptio ſine peccato originali, non ſola ſantificatio abſtrahens à tempore, quam non tãtum maior pars Eccleſiæ, ſed vniuerſa Eccleſia credit, neque *piè* duntaxat (quæ vox liberum aſſenſum ſignificat) ſed neceſſario, ſine facultate aliter ſentiendi. Rurſum ad inſtituendũ feſtum de ſanctificatione à tempore abſtrahente perperam Eccleſia occaſionem ſumpſiſſet ex pio ſenſu maioris partis circa Immaculatã Conceptionem, cum vera, & germana eiuſmodi feſti inſtituendi cauſa, & occaſio eſſet totius Eccleſiæ de ſanctificatione Virginis in vtero firma perſuaſio. Agnoſcit ergo Bellarminus feſto ab Eccleſia inſtituto celebrari Immaculatam ipſam Conceptionem ſine peccato originali, quam maior pars Eccleſiæ pié credit.

Pergit deinde Cardinalis, & aliam ſolutionẽ 98.
reddit his verbis: *Dico ſecundo ſundamentum huius feſti præcipuum non eſſe Conceptionem Immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei ſuturæ. Qualiſcum-*

que enim ſuerit illa Conceptio, eo ipſo quòd Conceptio ſuit Matris Dei ſuturæ, ſingulare gaudium affert mundo eius memoria, tunc enim primùm habuimus pignus certũ redemptionis. Præſertim cum non ſine miraculo ex matre ſterili concepta ſuerit. Itaque hoc feſtum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam. Hactenus Bellarminus. Ex cuius verbis manifeſtè patet impoſtura tua, qui eũ introducis reſpõdentem Kemnicio *obiectum primarium cultus in hac celebritate eſſe primam gratiam Virgini collatam abſtrahendo à tempore ſeu inſtanti, quo collata fuerit*, cum euidens ſit nihil eiuſmodi docuiſſe, ſed longe diuerſa, vt ex vtraque ſolutione conſtat, quarũ neutram tu admittis. Non primam, quia negas feſtũ eſſe de ſubiecto piæ ſentẽtiæ, id eſt de Immaculata Conceptione in primo inſtanti, quam pie credi á maiore parte Eccleſiæ dicit Bellarminus, & hinc ſumptam ab Eccleſia occaſionem feſti inſtituendi. Secundam etiam ſolutionem reijcere debes, qui nobiſcum fateris ab Eccleſia nõ coli niſi rem ſanctam, atque adeò debes etiam fateri non ſufficere quòd *Conceptio ſit Matris Dei qualiſcumque fuerit illa Conceptio*, ſed neceſſario requiri gratiam ſanctificantem, vt Conceptio ſit ſubiectum cultus, & feſti.

99. Ex dictis ſatis conuicta manet impoſtura tua, qua tribuis Bellarmino ſolutionem, & ſenſum

Digitized by Google

prorſus ab eius mente alienum, imo contrarium.
Sed quoniam in verbis proxime allatis videtur ſentire feſtum non eſſe de Immaculata Conceptione, eo quòd concepta ſit futura Mater Dei; & hæc explicatio longiſsime eſt à veritate, & à ſenſu Romanæ Eccleſiæ aliena; ſiſtendum pauliſper eſt, & de mente Cardinalis agendũ. Vt, ſi fieri poſsit, virum doctiſsimum ab ea nota liberemus. Ægidius Luſitanus lib. 1. de Conceptione quæſt. 2. art. 3. §. 2. num. 6. hanc Bellarmini ſententiam refert, eamque impugnat §. 5. num. 30. additque num. 31. nullum eorum qui negant Cõceptionem Virginis fuiſſe Immaculatam, vnquam dixiſſe feſtum Conceptionis ex eo præciſe celebrari, quia concepta fuit vt eſſet Mater Dei. Neque ſe in aliquo authore legiſſe hoc feſtum ob hanc rationem celebrari ab Eccleſia: concluditque ex eo Bellarmini doctrinam probandã non eſſe, quia nullũ ſuppeteret firmum argumentum, quo probari poſſet Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatam, ſanctamque illius Natiuitatem, *quod abſurdum* (inquit) *mihi ſatis eſt, vt Bellarmini doctrinam non recipiam.* & lib. 3. quæſt. 1. art. 1. §. 3. num. 11. iterum eius ſententiam refert aduertitque propterea Cardinalem tom. 4. lib. 4 de amiſsione gratiæ cap. 15. 16. & 17. vbi defendit B. Virginem peccatum originale non contra

Ægidius Luſitanus.

xiſſe, nullum ex feſto Conceptionis ſumpſiſſe argumentum, nempe quia exiſtimauit feſtum nõ eſſe de Immaculata Conceptione, ſed ſimpliciter de Conceptione Matris Dei futuræ. Denique idem Ægidius num. 13. tribuit Bellarmino ſententiam aſſerentem argumentum ex feſto de ſumptum concludere doctrinam de Immaculata Conceptione ita eſſe certam, vt non ſit pium credere illam eſſe falſam. Idque probat ex illis Bellarmini verbis: *Et nos ex eo quod Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis, nihil dubitamus Conceptionem illam aliquomodo fuiſſe ſanctam.* Quæ Cardinalem ſcripſiſſe *veluti ſui oblitum* putat Ægidius, quaſi non ſatis ſibi conſtet. Contraria enim ſunt fundamentum feſti non eſſe Conceptionem Immaculatam, & ex feſto colligi Conceptionem fuiſſe ſanctam.

100. Sed in hac Ægidij cenſura tria nobis diſplicent. Primum quod ait nullum vnquam dixiſſe feſtum Conceptionis celebrari, quia Virgo concepta fuit vt eſſet Mater Dei. Id enim docuerunt plures antiqui, quos ipſemet Ægidius refert lib. 3. quæſt. 6. art. 1. num. 6. inter quos recenſet etiam Bellarminum. Quare perperam eum ſolum facit huius ſententiæ authorem, quam plures antiqui antea docuerant. Sed fortaſſe Ægidius, cum ſcribebat primum librum, in eos non

inci-

inciderat. Quamuis adhuc mirandum ſit in eo loco amandaſſe lectorem ad librum tertium citato etiam articulo primo, vbi prædictos authores recenſet. Secundo diſplicet, quod ait Bellarminũ, cum tomo quarto ageret de Immaculata Virginis Conceptione, non deſumpſiſſe argumentum ex feſto ad hanc veritatem confirmandam; quod falſum eſſe poſtea oſtendemus. Tertio diſplicet quod putat Cardinalem ſibi contrarium fuiſſe, aut ſui oblitum in his, quæ ſcripſit lib. 3. de cultu ſanctorum cap. 16. §. *quod ſi ipſe quæreret.* Neque verba Cardinalis, quæ Ægidius refert, id probant. Non enim dixit: *nihil dubitamus Conceptionem illam fuiſſe Sanctam*, ſed *aliquomodo fuiſſe Sanctam.* Particula autem *aliquomodo*, ſatis oſtẽdit non eſſe ſermonem de Sanctitate intrinſeca per gratiã ſanctificantem, ſed de extrinſeca per deſtinationem ad maternitatem Dei. Quare in his verbis neque ſui oblitus fuit Bellarminus, neque aliquid docuit contra explicationem, quam ibi amplecti videtur, ſcilicet quòd feſto non colatur Conceptio Immaculata. Sed quamuis, quòd ad hæc attinet, non rectè cenſuerit Ægidius; reſtat tamen, quod Bellarmino tribuit ſenſiſſe feſtum non eſſe de Immaculata Conceptione, ſed ſimpliciter de Conceptione Matris Dei futuræ & in gratiarum actionem, qualiſcumque fuerit

ea Conceptio. Nan ſi ita ſentit Cardinalis, non rectè ſenſiſſe neceſſario fatendum eſt.

101. *Ferdinandus Salazar.* Ferdinandus de Salazar lib. de Conceptione cap. 33. num. 36. conatur Bellarminum ab hac nota liberare, excādeſcitque in Ægidium, quòd ei hanc ſententiam affixerit, atque etiam cōqueritur hunc authorem ſemper eſſe iniurium Doctoribus Societatis Ieſu. Et quòd ad Bellarminum attinet, eum defendit quærens ab Ægidio, vnde deduxerit in ea ſententia fuiſſe? an quia dixit Eccleſiam in gratiarum actionem feſtum Conceptionis celebrare? ò (inquit) *ineptam illationem!* cum maiores Deo gratiæ debeantur, ſi Virgini in Conceptione præſeruatricem gratiam contulerit, quam ſi eam ſineret peccato fœdari. Ergo quia Bellarminus dixerit feſtum Conceptionis pro gratiarum actione ab Eccleſia inſtitutum eſſe, non licet colligere ſanctitatem illius momenti ab ipſo excluſſam fuiſſe. Hæc Ferdinandus.

102. Sed certè (pace tanti viri dixerim) neque iure quod ad præſens attinet, iraſcitur in Ægidium, neque Bellarminum defendit. Hic enim prædicto loco non tantùm aſſerit feſtum celebrari in gratiarum actionem, quòd concepta fuerit Mater Dei futura, ſed etiam addit *fundamentum huius feſti præcipuum non eſſe Conceptionem Immaculatam,*

ſed

ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ, hoc eſt Conceptionem, vt abſtrahit à peccato, & gratia, id enim ſignificat illa vox *ſimpliciter*. Quod etiam cõfirmant verba quæ ſequuntur: *qualiſcumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipſo quòd Conceptio fuit Matris Dei, ſingulare gaudium affert mundo eius memoria, &c.* Quibus ſatis oſtendit feſti fundamentum non eſſe præſeruationem, ſed futuram maternitatem, ob quam gaudium affert mundo Conceptionis memoria, *qualiſcumque fuerit illa Conceptio*, id eſt ſiue facta fuerit in peccato, ſiue in gratia. Vnde tandem concludit hoc feſtum ab illis etiã celebrari, *qui putant Virginem in peccato Conceptam.* Repetat lector verba Bellarmini, quæ ſupra retulimus num. 98. adeatque ipſum capite illo decimoſexto libri tertij de cultu ſanctorum à §. *dico primo*, vſque ad *dico ſecundo*, planè perſpiciet Cardinalem amplexum fuiſſe antiquorum explicationem, qui contendebant feſto Conceptionis non coli Conceptionem ipſam vt Immaculatam & præſeruatam, ſed grates referri Deo, quia concepta fuerit, quæ futura erat Mater Dei. Quare neque *Æ*gidius ei iniurius eſt, neque Ferdinandus eum defendit.

Quid ergo? fatebimur virum doctiſsimum negaſſe ex ſenſu Eccleſiæ Romanæ celebrari Immaculatam Conceptionem? minimè quidem. 103.

Nam ſi ea, quæ illo loco, & tom. 4. docet, conferantur, manifeſtè patebit, quamuis ſententiæ illi fauere videatur, tandem veritatem amplexum agnouiſſe feſtum eſſe de Immaculata Conceptione. In primis libro tertio de cultu ſanctorum duas adhibet ſolutiones hæreticorum argumento. Primam deſumit ex ſenſu maioris partis Eccleſiæ de Immaculata Conceptione; ſecundam ex gratiarum actione, & gaudio propter futuram Dei Matrem. Priorem ſolutionem proculdubio præfert ſecundæ, ſiquidem illam priori loco ſtatuit, addidit tamen ſecundam perquandam permiſsionem ſeu (ſi mauis) condeſcendentiam, & vt iuxta vtramque opinionem reſponderet hæreticis. Deinde in ſecunda ſolutione non negat abſolutè fundamentum feſti eſſe Immaculatam Conceptionem, ſed *fundamentum præcipuum.* Itaque non omnino eam excludit à feſti fundamento.

104. Denique, quidquid ſit de eius doctrina in ſecundo tomo, manifeſtum eſt in quarto defendiſſe feſto celebrari Conceptionem Immaculatam. Lib. 4. de amiſsione gratiæ cap. 15. proponit non de eſſe *qui impudenter affirment ab Eccleſia Romana defendi Conceptionem Immaculatam Virginis Mariæ tãquam articulum fidei.* Quod quidem inde probant Hæretici, quia Eccleſia Romana agit feſtum de

Immaculata Conceptione. Promittit Cardinalis ſe tria oſtenſurum, quorum tertium eſt (hoc enim facit ad rem præſentem) ſententiam de Immaculata Conceptione eſſe *piam admodum ac probabilem, atque adeò contraria ſententia longè probabiliorem*, & §. *quod attinet ad tertium* id ſe probaturũ pollicetur: *primum ex Scripturis, deinde ex Patribus, tum ex conſenſu Eccleſiæ, poſtremo ex ratione.* Deueniensque ad tertium argumentum ex conſenſu Eccleſiæ, poſtquam multa ad eum oſtendendum attulit, ſic loquitur: *Adde vltimo quòd totus ferè orbis Chriſtianus celebrat feſtum diem Conceptionis Virginis Mariæ, eamque Conceptionem Immaculatam vocat.* Ecce ex feſto Conceptionis probat Bellarminus ipſam fuiſſe Immaculatam. Sentit ergo feſtum eſſe de Immaculata, alioquin perperam ex feſto ſumeret argumentum. Hinc etiam patet falſo Ægidium affirmaſſe Cardinalem lib. 4. de amiſſione gratiæ, vbi defendit B. Virginem peccatum originale non contraxiſſe, nullum ſumpſiſſe argumentum ex feſto Conceptionis.

Præterea capite decimoſeptimo refellit mendacia, & calumnias Kemnitij, quas ille effutiebat *demonſtraturus* (inquit) *quemadmodum ſenſim creſcant errores, & ſuperſtitiones*, colendo videlicet Cõceptionem Immaculatam, quam falſam putabat hæreticus, atque adeó ſuperſtitioſum eius feſtũ. 105.

Enumerat Bellarminus huiuſmodi calumnias, & ad quartã deueniens ait: *Quarto dicit poſt ea tẽpora* (Petri Lombardi) *natam eſſe opinionem de Immaculata eiuſdem Virginis Conceptione: & licet S. Thomas & ſanctus Bonauentura eidem opinioni reſtiterint, tamẽ in quibuſdam locis inſtitui cæpiſſe feſtum Conceptionis.* Reſpondet Bellarminus hic cerni inſigne mendacium, nam tempore Bernardi, & Anſelmi iam inſtitutum erat feſtum. Quòd ſi ſenſiſſet non eſſe de Immaculata Conceptione, ſed tantúm in gratiarum actionem, quia concepta fuerit futura Mater Dei; id potius reſponderet Kemnitio, atque ea ratione facile elideret eius calumniam. Si enim feſtum non eſt de ſubiecto illius opinionis tam recenter natæ, & cui reſiſtunt Thomas, & Bonauentura; perperam hæreticus ex ea nouitate, & reſiſtentia damnaret eius inſtitutionem. Cum ergo Bellarminus nihil eiuſmodi reſpondeat, ſed tantúm ad feſti antiquitatem recurrat, manifeſtum eſt eum agnoſcere, & fateri feſtum eſſe de Immaculata Conceptione, ſiquidem Kemnitio ita exiſtimanti non contradicit, ſed tantúm calumniam nouitatis explodit. Hæc ſatis ſint ad defendendam mentem doctiſsimi viri, ne quis exiſtimet eum à noſtra ſentẽtia, imo á manifeſta veritate de ſubiecto huius feſti deuiaſſe.

Nunc (vt ad te redeamus libellator) lector iudicet, quám fideliter agas. Primúm inducis Bellarminum reſpondentem Kemnitio; cum neque eum nominet eo loco, quem refers; neque argumentũ, quod fingis, ibi aut alibi recenſeat. Deinde ſolutionem attribuis Cardinali prorſus ſuæ doctrinæ cõtrariam. Tertio affirmas eum hauſiſſe ex Diuo Thoma cum (etiam ſi ſanctus Doctor id docuiſſet) nihil eiuſmodi doceat Bellarminus. Quarto imponis etiam Diuo Thomæ, ipſe enim loco quem refers, non dicit obiectum cultus in hac celebritate eſſe *primum gratiam abſtrahendo ab inſtanti, in quo collata fuerit*, neque incertum eſſe *quo temporis momento*, ſed ignorari tempus in quo ſanctificata eſt Virgo, quæ longè ſunt inter ſe diuerſa. 106.

Quærit 3. parte quæſt. 27. art. 2. *Vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem.* Et pro parte affirmatiua proponit tertium argumentum: *Non celebratur feſtum niſi de aliquo ſancto, ſed quidam celebrãt feſtũ Conceptionis B. Virginis, ergo videtur, quòd in ipſa ſua Cõceptione fuerit ſancta, & ita quod ante animationem fuerit ſanctificata.* Reſpondet: *ad tertium dicendum, quòd licet Romana Eccleſia Conceptionem B. Virginis nõ celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium. Vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda: nec tamen per hoc quod* 107. *S. Thomas.*

feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi quòd in ſua Conceptione fuerit ſancta, ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipſius. In his verbis ſanctum Thomam non intelligere nomine Conceptionis animationem, ſed formationem fœtus in vtero, quæ tempore eam præcedit, manifeſtiſsimum eſt. Tum quia nunquam ſanctus Doctor nomine Conceptionis aliud quàm formationem intelligit (vt latè monſtrauimus in aſſertore Dominicano immaculatæ Conceptionis) tum etiam, quia licet hoc non eſſet verum, tamen de præſenti loco negari non poteſt. Id enim conuincit, & titulus articuli, & tertium argumentum, in quo ex feſto Conceptionis infertur Conceptio Sancta, & ex Sanctitate Cõceptionis arguitur quòd Virgo fuerit Sanctificata ante animationem. Euidens ergo eſt ſermonem eſſe de Conceptione, quæ animationem præcedit. Cum ergo videret Diuus Thomas formationem non poſſe eſſe ſubiectum cultus, vtpote quæ incapax ſit gratiæ ſanctificantis, & aliunde animaduerteret ab Eccleſia Romana tolerari feſtum, quod aliquæ Eccleſiæ celebrabant in die Conceptionis, id eſt formationis corporis Virginei; explicationem excogitauit, qua & illarũ Eccleſiarum pietati conſuleret, & ſimul rationẽ

redderet, cur Romana eiuſmodi feſtum tolerare. Nempe feſtum non eſſe de Conceptione hoc eſt formatione fœtus, ſed de ſanctificatione, quæ poſtea accidit, ſed quia eius dies ignoratur, conuenienter in ipſa formationis die coli.

Itaque ſenſus verborũ Diui Thomæ eſt: Ecclesias illas non celebraſſe formationem fœtus in vtero, quæ gratiæ non eſt capax; ſed ſanctificationem Virginis, quæ ex natura rei ſupponit animationem. Et quia dies ſanctificationis ignoratur, ſicut & dies animationis, id eſt quoto die á formatione fœtus infundatur anima (de quo ſunt variæ medicorum opiniones) ideò prædictæ Eccleſiæ feſtum huius ſanctificationis reuocabant ad diē Conceptionis, hoc eſt formationis, de quo dubium non eſt fuiſſe octauum Decembris, quamuis eo die non contigerit ſanctificatio, ſicut neque animatio, quæ iuxta communes naturæ leges multis poſt Conceptionem diebus fit. Hæc eſt manifeſta mens Diui Thomæ. 108.

Atque hinc perſpicuum eſt quàm immeritò velis authoritate ſancti Doctoris commendare illam tuam feſti interpretationem, quòd *celebretur prima gratia Virgini collata abſtrahendo ab inſtanti, quo collata fuerit*. Sanctus enim Thomas in ſolutione illius argumenti non erat ſolicitus, an gratia collata fuerit Virgini in primo inſtanti ani- 109.

ma-

mationis, vel poſtea; neque cum dicit *ignorari quo tempore ſanctificata fuerit*, ſenſus eſt ignorari an fuerit ſanctificata in ipſo inſtanti animationis, vel in alio poſteriori, vt tu perperam interpretaris. Hoc enim impertinẽs eſt ad ſolutionem argumẽti; qua ſiue Virgo fuerit ſanctificata in ipſa animatione, ſiue poſt eam; æquè verum eſt contra intentum argumenti, cui ſanctus Doctor reſpondet, non fuiſſe ſanctificatam ante animationem (quæ eſt concluſio in corpore articuli ſtabilita) & æquè verum eſt ignorari quo die facta fuerit hæc ſanctificatio, quia ignoratur, quo die facta fuerit infuſsio animæ. Ex qua ignorantia pendet ratio, cur feſtum reuocetur ad diem octauum Decembris, in quo conſtat cæpiſſe formationem fætus, & ratio etiam cur meritò Eccleſia Romana toleraret illud feſtum, licet adhuc à ſe non inſtitutum. Itaque ſuppoſita acceptione nominis *Conceptio* pro formatione fætus, vt ibi eam accipit Diuus Thomas, etiam ſi illæ Eccleſiæ celebrarent ſanctificationem Virginis vt in ipſo inſtanti animationis factam (quod ego veriſsimum puto) nihilominus vera eſt illa propoſitio Diui Thomæ, *quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius quã Cõceptionis in die Conceptionis ipſius*. Senſus enim eſt: quia ignoratur ad quẽ diem menſis pertineat in-

ſtans animationis, in quo facta eſt ſanctificatio; celebratur hæc in die formationis fœtus, quamuis ipſa formatio non celebretur.

Vnde tandem fit eos, qui ex hoc loco Diui Thomæ colligunt in feſto Conceptionis celebrari ſanctificationem duntaxat, hoc eſt præciſsè vt abſtrahit á primo, vel poſteriori inſtanti vitæ, mentem ſancti Doctoris minimè calluiſſe. Deinde ei ſenſum á ſolutione argumenti alienum tribuere. Denique iniuriam non leuem irrogare, quandoquidem eum authorem faciunt explicationis, quam poſtea ſub Sixto Quarto Eccleſia damnauit, vt cap. 7. oſtendemus. Sed ſatis ſe Diuus Thomas ab horum calumnia defendit, qui enim affirmat *ignorari tempus ſanctificationis*, neque negat eam factam in inſtanti infuſsionis animæ, neque aſſerit eam coli, vt ab illo abſtrahit: ſiquidem quamuis colatur vt determinatè concernens illud inſtans, veriſsimum eſt ignorari eius tempus, quia ignoratur ad quem diem anni, & menſis primum illud inſtans vitæ pertineat, in quo animatio contigit. Nunc libellator omittendum non eſt te iterum impingere in doctrinam à Sixto Quarto damnatam, quod ſæpè aliás ſoles. 110.

Quod vero tandem ſubdis *non inſtitui ab Eccleſia feſtiuitates iuxta has vel illas, quæ falli poſſunt, opi-* 111.

niones,

poteſt,ſed eſt illa ſanctitas pro inſtanti illo, quo vere fuit ſancta.

§.XIX.

DVO INSTANTIA IN CONCEPTIONE diſtinguere abſurdum eſt, & implicatorium.

IN hoc, & duobus ſequentibus §§. maximè velim attentum lectorem. Videbit ſimul, & mirabitur in paucis lineis rariora monſtra, quàm tota Africa multis ſæculis tulerit. Videbit nouas, & hactenus inauditas vocum ſignificationes, rerum naturas, & proprietates inuerſas & confuſas. Videbit rem, quæ vnico inſtanti peragitur, & durat, ad multa extendi. Videbit Conceptionem ſanctam, & non Immaculatam. Imò videbit Conceptionem ſanctam, quæ dum exiſtit, ſancta non eſt; poſtquam deſijt exiſtere, ſancta eſt. Sed ne vana iactare videamur, ad rem veniamus. 113.

Aſſeris ſanctitatem Conceptionis, quam colit Eccleſia, non eſſe illam, quam aliqui ponunt in primo inſtanti, neque illam, quam alij in ſecundo. Pergiſque duobus ſequentibus numeris hâc inſtantium diſtinctionem Conceptioni adapta- 114.

re. Cum audio diuerſa inſtantia Conceptionis hæreo;& aut mihi excidiſſe tritiſsimas in ſchola voces timeo, aut (quod ſanè verum eſt) te hoſpitem in Philoſophia non dubito. Quid enim, obſecro, monſtri eſt primum, & ſecũdum inſtans in ſanctitate Conceptionis? hæc vnicum tantũ inſtans concernit, quod eſt primum vitæ. Vbi ergo ſunt duo inſtantia, ad quæ ſanctitas Conceptionis poſſit á diuerſis reuocari? vel vbi rerum ſunt, qui ſanctitatem Conceptionis in ſecundo inſtanti collocent? noui ego duas eſſe Theologorum ſententias, alteram eorum; qui negant Virginem Conceptam fuiſſe in peccato originali, alterã eorũ qui affirmant. Illi Conceptionem fuiſſe ſanctam defendunt, hi diffitentur, omneſque conueniunt ſibi litem eſſe de vnico inſtanti nempè primo vitæ. Tu tertius é Cœlo Cato mediam ſententiam inueniſti, quæ in primo inſtanti neget Conceptionem ſanctam, in ſecundo affirmet. Vt hac ratione, & vtriſque illudas, & ſenſum Eccleſiæ in feſto Conceptionis reddas ancipitem, perplexum, lubricum, incertum, & prorſus obſcurum.

115. Rem amplius vrgeamus. Ponis in Conceptione primum, & ſecundum inſtans. Loqueris proculdubio de inſtantibus temporis, non naturæ, quæ in vnico temporis diſtingui, & conſiderari

poſ-

poſſunt. Nam ſi de his acciperes; aut coniungeres in eodem inſtanti temporis peccatum ſimul, & gratiam (vt ex parte videtur ſenſiſſe Henricus quodlibeto 15. quæſtione 13.) quod eſt abſurdũ; aut peccatum originale prorſus excludere deberes à Conceptione Virginis, quod non facis. Sermo ergo tibi eſt de inſtantibus temporis. Omitto puerilem errorem, & ferula dignum, quòd aliquod inſtans temporis appellas *ſecundũ* cum iuxta communem Ariſtotelis, & Diui Thomæ Philoſophiã, poſt inſtans non ſequatur immediatè aliud inſtans, ſed tempus, quod quantumuis breuiſsimum concipiatur, infinitis alijs inſtantibus conſtat. Itaque licet aliquod inſtans poſsit dici primum reſpectu alicuius actionis, vel rei, & reliqua ſint poſteriora; nullum tamen eſt ſecundum, aut tertium. Quolibet enim ſignato poſt primum, infinita inter vtrumque intercedunt. Sed ignoſcamus tibi, & dum *ſecundum* inſtans dicis, *poſterius* intelligamus. *Henricus*

Nunc velim mihi dicas, cum Conceptioni diuerſa inſtantia tribuis, quid nomine Conceptionis intelligis? an formationem fœtus in vtero, de qua Libello 1. num. 1. dixeras proprie ſub ea voce ſignificari? ſi hanc intelligis, fateor diuerſis temporis inſtantibus reſpõdere. Formatio enim ſeu figuratio non tota ſimul, ſed paulatim fit, & 116.

per temporum momenta creſcit,& proficit. At de hac non audebis dicere ſanctam fuiſſe etiam in ſecundo inſtanti, alioquin aſſimabis gratiam ſanctificātem collatam ante animationem, quod abſurdum planè eſt. Quòd ſi ſub nomine Conceptionis intelligis animationem ſeu infuſsionem animæ, rectè facis; in hoc enim ſenſu accipitur in officio ſacro, & etiam in controuerſia ſcholaſtica: ſed illico præ oculis verſatur abſurdum diſtinguendi in Conceptione primum, & ſecundum inſtans. Animatio enim, vtpote generatio ſubſtantialis, vnico inſtanti correſpondet, quod eſt primum vitæ, & in quo verum eſt dicere: *nunc primũ eſt homo, & immediatè antea nõ erat*. Tranſacto autẽ hoc inſtanti iam non eſt animatio, ſicut nec generatio. Tum quia hæc actio profluit à generante, cuius virtus eſt in ſemine, huius autẽ operatio ceſſat poſtquam anima vnita eſt corpori; tũ etiam quia poſt illud primum inſtans non generatur, aut concipitur homo; ſed genitus eſt, & conceptus. Quare ridiculum eſt, & à Philoſophia alienum, aliud inſtans, præter illud primũ vitæ, Conceptioni aſsignare. Ex quo tandem fit quòd ſi Conceptio in illo inſtāti non eſt ſancta, nunquam eſt ſancta, quia poſt illud inſtans non eſt. Vel ſi in ſecundo inſtanti Sanctam dicis, fateris Sanctam eſſe, quando non exiſtit.

Scio quid reſtet, ſcilicèt nomine Conceptionis intelligi ſanctificationem. Hic enim eſt ſcopus imo myſterium vtriuſque libelli, & fructus tuæ defenſionis, vt ſi perſuadere poſsis Eccleſiā in Officio diuino nomine Cōceptionis nil aliud quám ſanctificationem intelligere, atque adeò neque colere; feſtū Conceptionis de medio tollas. Sed hoc monſtrum iam olim á Sixto Quarto confoſſum nos ſequentibus capitibus maximé 7. 10. & 11. profligabimus. Nunc cōtendimus neque hoc etiam ſomnio admiſſo ſtáre poſſe tuā illam inſtātium diſtinctionem, imò magis elucere abſurdum. In primis enim eodem modo philoſophandum eſt de ſanctificatione, ac de generatione ſeu animatione. Nam ſicut hæc vnicum inſtans cōcernit, ita & ſanctificatio. Eſt enim actio, qua prima gratia infunditur; hæc autem vnico inſtanti peragitur, quo tranſacto non dicitur ſubiectum ſanctificari, ſed ſanctificatum eſſe, & conſeruari in gratia ſemel infuſá. Sicut ergo abſurdum eſt diſtinguere duo inſtantia Conceptionis naturalis, ita abſurdum eſt diſtinguere duo inſtātia ſanctificationis. Deinde cum hæc duo Conceptionis inſtantia diſtinguas, vt oſtendas, quamuis Eccleſia abſoluté Conceptionem ſanctam appellet, non inde ſequi, quòd in primo inſtanti ſancta fuerit, quia vox *ſancta* abſtrahit ab vtro- 127.

que

que, *& ſufficit, vt in altero inſtanti verificetur* (vt aſſeris num. ſequenti) per inde eſt ac ſi dicas ſanctificationem in primo ſuo inſtanti non contuliſſe ſanctitatem, ſed in ſecũdo, ſufficereque, vt effectus quem vox *Sancta* ſignificat, in altero inſtanti verificetur. Patet, nam per te Conceptio nihil aliud eſt quám ſanctificatio. Quare quod de Cõceptione affirmas, de ſanctificatione intelligendum eſt. Habet ergo hæc (te authore) duo inſtantia, in quorum primo ſancta non eſt, in ſecundo ſancta eſt. Quo quidem nihil poteſt abſurdius excogitari. Cum manifeſtam (vt dialecti loquũtur) contradictionem implicet, nempè ſanctificationem eſſe, & non eſſe ſanctitatem.

118. Atque hinc tandem fit, quocumque ſenſu accipias vocem *Conceptio* in illis Eccleſiæ verbis, *quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem*, ineptiſsimè duo hæc inſtantia diſtinguere. Nam ſi Conceptio formationem ſignificat, habet quidem plura inſtantia, ſed in nullo eſt ſancta. Si animationem, vnicum concernit, in quo ſi ſancta nõ eſt, numquam eſt; ſi ſanctificationem, in quocumque exiſtit ſanctitatem impertit, ſiue ad vnicum ſiue ad plura referatur. Perperam ergo diſtinguis duo inſtantia, à quibus abſtrahat ſanctitas Conceptionis, & quorum quodlibet ſufficiat vt Conceptio abſolutè ſancta dicatur.

Digitized by Google

His preſſus fortaſſe fugam meditaris,& reſpondes hæc duo inſtantia non eſſe Conceptionis (quaſi vtrique collectiuè,aut diſtributiuè correſpondeat Conceptio) ſed vitæ B. Virginis. Scilicet primum,in quo anima infuſſa eſt corpori;& aliud poſt animationem. In quolibet horum potuit fieri ſanctificatio, ſed quia ignoratur an re ipſa facta fuerit in primo,an in alio ſequenti;non colit Eccleſia Conceptionem ſanctam in aliquo determinatè,ſed abſtrahendò ab vtroque. Quare non eſt opus,vt in vtroque verificetur ſanctitas Conceptionis,ſicut neque Conceptio; hæc enim vox vt eſt in officio diuino,nil aliud ſignificat,quàm ſanctificationem. Quæ quantum eſt ex ſe,æquè potuit fieri in primo, & in quolibet alio. Vnde ſi ſupponamus factam fuiſſe in ſecundo inſtanti,non ſequitur inconueniens argumenti:quod in primo inſtanti detur ſanctificatio, & non detur ſanctitas,vel quod Conceptio ſit ſancta in vno inſtanti,& in alio non ſit. Quia in caſu non datur in primo inſtanti ſanctificatio, atque adeò neque Conceptio, quam colit Eccleſia.

Sed hæc euaſio in eodem luto hæret, nempe Eccleſiam nihil aliud colere quàm ſanctificationem, quod quidem eſt error damnatus à Sixto 120. Quarto,vt ſæpe diximus,& capite ſeptimo oſtẽdemus. Et vt modo omitamus argumenta, qui-

bus manifeſtè conuincitur in feſto Conceptionis celebrari Conceptionem ipſam naturalem Virginis, quæ ſequentibus capitibus proponemus; nunc illud contendimus hanc euaſionem, quamuis erronea non eſſet, & à communi omniũ ſenſu aliena; tamen, neque in verbis Eccleſiæ locum habere, neque etiam in tuis. Non in Eccleſiæ; ipſa enim ita loquitur in reſponſorio: *ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctã Conceptionem.* Non dixit, *quicumque celebrant tuam Conceptionem*, ſed *tuam ſanctam Conceptionem*. Ergo nomine Conceptionis non intelligit ſanctificationem, ſed Conceptionem naturalem, quæ beneficio gratiæ ſit ſancta. Patet, tum quia ſuperfluè adderetur vox *Sancta*, ſi Conceptio ſanctificationem ſignificat. Quid enim opus eſt ſanctã dicere ſanctificationem, quæ ipſiſsima ſanctitas eſt? tum etiam quia ſenſus eſſet *quicumque celebrant tuam ſanctam ſanctificationem*, quo nihil frigidius. Deinde quia cum Conceptionem ornat epiteto ſanctæ, manifeſtè oſtendit Conceptionẽ, & ſanctitatem diuerſas res eſſe, quarum altera ſubiectum ſit, altera forma ſubiectum determinans, quòd alioquin ex ſe indifferens ſit. Quòd quidẽ Conceptioni naturali optimè quadrat, ſanctificationi minimè. Quartò, quia ſanctificationem dicere Sanctam, quid aliud eſt quàm albedinem

albam,& calorem calidum appellare? niſi recurras ad argutias ſcholæ (ne dicam minutias) & cōtendas albedinem eſſe albam *vt quo*, quia reddit album, & eádem ratione ſanctificationem eſſe ſanctam. Sed hic loquendi modus ſicut in ſcholis ferēdus eſt ad explicandos effectus formales, ita eſt alienus à grauitate officij Eccleſiaſtici, in quo verba iuxta conſuetam, & omnibus notam ſignificationem accipienda ſunt.

Deinde illa ſolutio, ſeu potius euaſio cum tuis effatis non cohæret. Ita enim loqueris de duobus inſtantibus comparatione Conceptionis, vt neceſſarium ſit eam vtrique correſpondere, & coexiſtere ſucceſsiué, primo videlicet, & deinde ſecundo. Ideò enim hæc diſtinguis, vt oſtendas Conceptionem poſſe eſſe, & dici ſanctam, etiam ſi non ſit ſancta in vtroque inſtanti, ſed in altero tantúm, nempè ſecundo. Hoc autē neceſſario exigit, vt Conceptio exiſtat in vtroq; alioquin non poterunt ei contraria prædicta cōuenire, qualia ſunt quod in vno inſtāti ſit ſancta, in alio non ſit ſancta. Nam ſi in eo inſtanti, in quo non eſt ſancta, non exiſtit; propoſitio hæc: *Conceptio in hoc inſtanti non eſt ſancta*, erit de ſubiecto non ſupponenti, atque adeò abſurda, & implicans in terminis. Hoc amplius declaratur, nam in hoc numero aſſeris ſanctitatem Conceptionis non 121.

eſſe illam, quam aliqui ponunt in primo inſtanti, neque illam, quam alij in ſecundo, *ſed eſt* (inquis) *illa ſanctitas pro inſtanti illo, quo verè fuit ſancta*. Ergo ſupponis Conceptionem vtrique inſtanti coexiſtere, & in aliquo poſſe eſſe ſanctam, quim ſit in vtroque. Rurſus numero ſequenti aſſeris vocem *Sancta* tam primum, quam ſecundum inſtans complecti, & num. 21. addis: *verè conuenit Conceptioni Virginis pro eo inſtanti, quo fuit ſancta*. Ergo ſupponis Conceptionem potuiſſe non eſſe ſanctam in alio inſtanti. Ergo ſupponis eius exiſtentiam in illo: ſicut enim prædicatum *ſancta* ſupponit ſubiectum, de quo prædicetur; ita etiam prædicatum *non ſancta*. Significat enim carentiã ſanctitatis in ſubiecto, maximè in propoſitione in qua de aliquo ſubiecto negatur, quod ſanctum ſit, qualis eſt hæc: *Conceptio in primo inſtanti non eſt ſancta*. Ergo ex tuis verbis conſtat duo illa inſtãtia non tantùm eſſe vitæ B. Virginis (vt in ſolutione dicitur) ſed etiam Cõceptionis eius. Quare minimè poteris eo effugio euadere abſurda quæ num. 116. & ſequentibus expendimus.

122. Deinde ex tuis etiam verbis exploditur euaſio, qua parte aſſerit Conceptionis nomine ſignificari ſanctificationem. Ita enim loqueris, vt neceſſario intelligendum ſit ſermonem tibi eſſe de Conceptione naturali. Quòd in primis cõuinci-

tur ex argumento nuper facto. Conceptio enim quæ ex ſe apta eſt, vt poſsit eſſe ſancta in aliquo inſtanti, & non in alio; diuerſa eſt á ſanctitate, & indifferens ad eam, & eius carentiam. Ergo hæc Conceptio non eſt ſanctificatio, cui hæc minimè conuenire poſſunt. Adde quod de ſanctificatione non debuiſti dicere quòd *vere conuenit ei vox ſancta pro eo inſtanti, quo fuit ſancta*, ſed abſolutè, *pro eo inſtanti quo fuit.* Nam in ſanctificatione idem eſt eſſe, & ſanctam eſſe. Vox ergo *ſancta* ſuperaddita exiſtentiæ Conceptionis manifeſtè ſupponit Conceptionem eſſe aliquid diuerſum à ſanctificatione, & ad eam indifferens. Alioquin illa tua propoſitio æquiualet huic: *Conceptio eſt ſancta in eo inſtāti, in quo eſt ſancta*. Quòd ſanè per ridiculū eſt, & (vt ſūmuliſtæ loquūtur) *idē per idē*.

Præterea de ea Conceptione loqueris, cui cō tendis non eſſe tribuendum titulum Immaculatæ, huc enim attinet diſtinctio illa inſtantium, & diſcrimen inter voces *Sancta*, & *Immaculata*, quod ſequentibus numeris aſsignas: at Conceptio hæc eſt Conceptio naturalis Virginis, id eſt animatio, ſeu infuſio animæ. Hanc nos defendimus Immaculatam fuiſſe, hanc tu negas: de hac eſt controuerſia an fuerit Immaculata, id eſt à peccato originali immunis: de hac permittis vt in diſputationibus, & libris affirmemus, & probemus 123.

ſmmaculatam fuiſſe, dum tamen epitheton Immaculatæ non tribuamus per modum tituli, qui præſefert quandã antonomaſiam, & publicam Eccleſiæ approbationem, vt manifeſte patet ex his quæ ſcribis Libello primo, n.6. & 7. & Libello ſecundo num. 35. & ſequentibus Ergo vel extra chorum omnino ſaltas tibi ipſi cõtrarius; vel de naturali Virginis Conceptione loqueris in præſenti, cum primum & ſecundum inſtans diſtinguis, & de diſcrimine vocum *ſancta & Immaculata* diſſeris. Ad hæc, de ea Cõceptione tibi eſt ſermo, cui in aſſerto decreto ſanctæ Romanæ Inquiſitionis prohibetur addi titulus Immaculatæ; alioquin ſi in alia ſignificatione accipis, nõ defendis decretum, ſed oleum & operam perdis: at decretum prohibet titulum Immaculatæ tribui Conceptioni naturali Virginis, prohibet enim quod ſectatores piæ ſententiæ faciunt, hi autem Conceptionem naturalem Virginis id eſt animationem & animæ infuſsionem titulo Immaculatæ condecorant, neque tu id ignoras: ergo de hac loqueris, cum perſuadere vis iuſtê prohibitum eſſe eo decreto titulum Immaculatæ.

124 Denique ſi cum hæc inſtantia diſtinguis reſpectu Conceptionis, ſub hac voce ſolùm intelligis ſanctificationem; perperam negas Conceptionem eſſe Immaculatam. Quid enim Immacu-

latius ipſa gratia, & ſanctitate, quæ ex intrinſeca & eſſentiali ratione eſt ipſa munditiès? ſanè Dionyſius Areopagita cap. vndecimo de diuinis nominibus ſanctitatem deffiniens, *eſt* (inquit) *omni ex parte Immaculata puritas.* Quod adeò verum eſt, vt etiam ſi vox *Immaculatum* non poſsit dici de ſubiecto, quod aliquando ſubiacuit culpæ, quāuis poſtea ſit ſanctum; & ideò gratia, quæ peccato ſucceſsit, non tribuat ei ſubiecto denominationem Immaculati, quamuis tribuat ſancti; quia videlicet ea vox cum negatiua ſit, *excludit maculam pro quocunque inſtanti* (vt tu argumētaris num. ſequenti) tamen ipſa gratia, & ſanctitas ſtrictiſsime eſt, & debet dici Immaculata, vtpote quæ in ſe nullam vnquam maculam admittat. Quare cū in hoc num. & ſequentibus contendis Conceptionem poſſe eſſe Sanctam, & non Immaculatam, & ad hanc rem diſtinguis duo illa inſtantia; manifeſtū eſt te de Conceptione naturali loqui, quæ quantum eſt ex ſe potuit fieri in peccato originali, & tu re ipſa in eo factam putas; non vero de ſanctificatione, quæ incapax eſt maculæ, & quam nemo ſanus dixerit peccato originali poſſe fœdari.

S. Dionyſius Areopagita.

125. Atque hinc tandem euidenter conſtat, cum aſſeris ſanctitatem Conceptionis, quam colit Eccleſia, *non eſſe illam quam aliqui in primo inſtanti*

ponunt; manifeſtam terminorum implicationem inuoluere. Quamuis enim ſanctitas Virginis poſsit intelligi,& non in primo inſtanti; tamen *Sanctitas Conceptionis* minimè. Conceptio enim eſſentialiter reſpicit primum inſtans vitæ; perinde que eſt dicere ſanctitatem Conceptionis abſtrahere á primo inſtanti, ac ſi dicas Conceptionem abſtrahere á Conceptione. Quòd vero ſubdis ſanctitatem Conceptionis *non eſſe illam, quæ ab alijs ponitur in ſecundo inſtanti*, veriſsimum eſt; ſed prorſus falſum, quod aliqui ſint, qui ſanctitatem Conceptionis in ſecundo inſtanti collocent; quicumque enim ſanctitatem Virginis in alio quam in primo inſtanti vitæ conſtituunt; Conceptionē eius ſanctam fuiſſe prorſus negant, te vno excepto, qui monſtroſam, & ſecum pugnantem ſentētiam inueniſti. Rurſus, quod ais *vtrumque dubium & opinabile eſſe*. Videlicet ſanctitatem Conceptionis fuiſſe in primo inſtanti, aut in ſecūdo, falſum etiam eſt. Nam ſanctitatem Conceptionis in primo inſtanti non eſſe dubiam ſatis ex dictis liquet; Sanctitatem vero Conceptionis in ſecundo inſtanti factam fuiſſe, non eſt dubium, & opinabile, ſed prorſus abſurdum, vt pote implicatorium.

Digitized by Google

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 20.

E*X his corruit argumentum à verbis reſponſorij deſumptum: quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem, facta vi quod idem ſit Sanctum, & Immaculatum, vt inferatur Eccleſiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat eam ſanctam. Vox ſancta in ſenſu ab Eccleſia intento, tam primum, quam ſecundum inſtans complectitur, ſiue vt abſtrahit à primo, vel à ſecundo. Et cum ſit terminus poſitiuus, ſufficit, vt in altero inſtanti verificetur: vox autem Immaculata exprimit ſanctitatem per negatiua, hoc eſt per negationem cuiuſcumque maculæ. Ideò videtur excludere maculam pro quocumque inſtanti, ac per conſequens minus aptè ac minus propriè ad vtrumque inſtans referri poteſt.* 126.

§. XX.

MONSTRVM EST CONCEPTIO SANCTA, & non Immaculata. Diſcrimen, quod inter has voces comminiſcitur libellator, ſomnium eſt, non diſcrimen.

Cum primum mihi contigit huius, & ſequen 127.

tis num. verba legere, vehementer miratus ſum te, cum fatearis ab Eccleſia coli Conceptionem ſanctam, tam impenſè negare coli Immaculatā. Neque huius rei cauſa mihi occurrebat, ideoque creſcebat admiratio. Maximè quia conſiderabā maius aliquid eſſe, & excellentius in Conceptione ſanctam eſſe, quàm eſſe Immaculatam. Nam, vt ad præſens attinet, vox *ſancta* ſignificat gratiā ſanctificantem, vox *Immaculata* carentiam culpæ. Vnde quantum præſtat gratia ſanctificans carentiæ, quæ ex illa neceſſario ſequitur. Tantum præſtat Conceptionem eſſe Sanctam, quàm eſſe Immaculatam. Rurſus vox *Sancta* ſignificat effectū formalem primarum gratiæ, vox Immaculata ſecundarium; ille poſitiuus eſt, hic negatiuus: ille prior, & præcipuus, hic ex natura rei conſequēs; & ab illo dependens. Accedit quod, ſi abſolutè rerum naturas inſpiciamus, non repugnat Conceptio Immaculata, quæ tamen ſancta non ſit; at pugnat omnino Conceptionem eſſe ſanctam, & non Immaculatam. Nam ſi ſancta ſit, neceſſe eſt careat culpa, atque adeò ſit Immaculata: at in ſtatu puræ naturæ (vt loquuntur Theologi) in quo nec daretur peccatum originale, neque gratia; conciperentur homines Immaculati, quia ſine peccato; ſed non ſancti, quia ſine gratia. Quid ergo cauſæ eſt, vt qui tam facile admittis Con-

ceptionem B. Virginis fuiſſe ſanctam, tam obſtinatè neges fuiſſe Immaculatam?

Hæc mihi meditanti occurrit tandem vera cauſa huius diſcriminis (nam quas in hoc Libello comminiſceris, futiles ſunt, & non tam veræ cauſæ, quàm prætextus) ratio ergo, quæ te mouet, vnica eſt, quòd Eccleſia Romana in officio, quo hodie vtitur, Conceptionem appellat ſanctam, non Immaculatam: quòd ſi vice verſa à voce ſancta abſtinuiſſet, & (vt poterat) Conceptionem diceret immaculatam; tunc bellum quod indicis voci *Immaculata*, indiceres voci *Sancta*, contendereſque Conceptionem non eſſe ornandam titulo ſanctæ, quamuis Immaculata dicatur. Si vero quis Conceptioni addictus librum ederet *de ſancta Conceptione B. Virginis*, curares cudi decretum aliquod, quo caueretur, *vt quando agitur de tribuendo titulo ſanctæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur, ſed ſolum dicatur Conceptio ſanctæ Virginis.* Vna tibi cura eſt, quacumque ratione poſsis, Conceptionem impugnare. Nec minus tibi diſplicet quòd ſancta dicatur, quàm quòd Immaculata. Tuæ enim ſententiæ ſectatores vtrũque epithetum æquè negant Conceptioni: ſed cum ſancta dicatur ab Eccleſia, non audes apertè in hanc vocem machinas dirigere, ſed occulte, & per cuniculos eam aggrederis, facto palam im- 128.

petu in vocem *Immaculata*, vt his artibus vtrāque proſternas, aut certè ſanctitatem Conceptionis ambiguam, & obſcuram reddas.

129. Quod ſi nunc (vt dicebamus) Eccleſia Romana in Officio diuino Immaculatam diceret Cōceptionem, & non ſanctam; bone Deus! quantū inſiſteres, vt perſuaderes ex feſto Conceptionis Immaculatæ non rectè inferri eam in ſenſu Eccleſiæ celebri vt ſanctam, id eſt cum gratia ſanctificante coniunctam, ſed longè aliam eſſe Eccleſiæ mentem! aſſereres in Officio diuino Conceptionē accipi pro formatione fœtus in vtero, quæ propria huius vocis ſignificatio eſt, idque facile ex Diuo Thoma confirmares. Rurſum contenderes hanc formationem dici Immaculatam, quia re vera actu non habuit culpam originalem, cuius incapax eſt, ſicut & gratiæ; coli tamen ab Eccleſia diem illum formationis, vel in gratiarum actionem, vel quia tunc concepta eſt futura Mater Dei, cum quibus optimè ſtare poteſt quòd Virgo in ipſa animatione peccatum originale contraxerit. Itaqne redires ad antiquorum explicationes, concluderéſque non rectè ſequi: *Eccleſia celebrat Conceptionem Immaculatam, ergo celebrat ſanctam.* Hæc quidem (mihi crede) multo veriſimilius tunc affirmares, quàm modo contendis Eccleſiam non celebrare Conceptionem Im-

Digitized by Google

maculatam, quamuis celebret ſanctam. Hoc enim abſque vllo prorſus authoritatis aut rationis fundamento affirmas; illud vero, & multorũ authoritate, & natura ipſa formationis fœtus, & vocum *Immaculata*, & *Sancta* ſignificatione nixus vtcumque aſſerere poſſes. Quid ergo cauſæ eſt cur modo Conceptionem ſanctam admittis, Immaculatam negas, niſi quia Eccleſia in officio hodierno, priori voce vtitur, non poſteriori? vtramque æquè exoſam habes; ſed in illam non audes apertè, quia in aſſylum officij Romani confugit; in hanc debacharis eo præſidio nunc deſtitutam. Neque tamen vox ſancta prorſus euaſit periculum, nam quam non audes in ſillabis attingere, in ſignificatu peruertis. Et quamuis in aſſyllo officij diuini ſit, & ad aram Conceptionis confugerit; tamen re vera doloſe, & latenter eam (aſſyllo violato) foras extrahis, dum non ſanctitatem animationis (quæ perfecta Conceptio eſt, & quam vox *Sancta* determinatè afficit) ſignificare contẽdis; ſed illam, quæ ab ipſa Conceptione, & á reliqua vita, quæ in vtero ducitur, abſtrahere videatur.

Sed hoc tuum conſilium tibi non proueniſſe manifeſtum eſt. Iiſdem enim artibus, quibus titulo Immaculatæ inſidias paras, detegeris, & proderis, imo caperis. Admittis Conceptionem 130.

Sanctam, quia ita eá appellat Eccleſia in Officio diuino; audeſque negare *Immaculatam*, quia vides ea voce Eccleſiam hodie non vti: at eadem Eccleſia vſa eſt epitheto Immaculatæ centum ferè annis in officio á tempore Sixti Quarti ad Pium Quintum: ergo eodem iure, quo ſanctam concedis, debes concedere Immaculatam, niſi tibi nõ ſit Eccleſia, quæ ſub Sixto, & reliquis Pontifici bus vſque ad Pium viguit. Hoc amplius vrgeo fateris num. præcedēti coli *in Eccleſia Catholica, & iuſta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ Conceptionem ſanctam.* Vnde id noſti? certè non aliunde, niſi quia in officio Conceptionis legis: *quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.* Itaque, te iudice, is eſt ſenſus Eccleſiæ Catholicæ, quem verba officij Eccleſiaſtici ab Eccleſia Romana inſtituti præ ſe ferunt; neceſſariumque eſt fateri, verba Catholicæ Eccleſiæ eſſe, quæ ſunt officij: at in Officio diuino ab Eccleſia Romana inſtituto, quo eadem vſa eſt à Sixto Quarto ad Pium V. legimus: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Chriſtum eius præſeruatorem adoremus Dominum:* ergo neceſſario debes fateri tunc *in Eccleſia Catholica, & iuxta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ* celebratam fuiſſe Conceptionem Immaculatam, & B. Virginis præſeruationem: ergo ſi propter authoritatem Eccleſiæ concedis Conceptionem fuiſſe ſanctam

prop-

Digitized by Google

propter eamdem debes concedere fuiſſe Immaculatam. Neque ab hoc nodo te extricabis, niſi alleras Eccleſiam Catholicam non eſſe eandem ſub Innocentio X. quæ fuit ſub Sixto Quarto, quod eſt hæreticum; aut (licet eadem ſit) mutaſſe tamen ſenſum, & mentem circa ſubiectum ſacri cultus, quod impium eſt, & abſurdum. Semperque tibi reſtabit reddenda ratio de Eccleſia, quæ ſub Sixto, & vſque ad Pium Quintum viguit; quam ſi contemnis, aut deſeris; deſertorem ego te, & contemptorem Eccleſiæ præſentis facile conuincam, cum vna ſemper ſit. Quòd ſi effugiũ quæris in voce *Catholica*, ſatis occluſimus ſupra num. 58. ſi in præcepto vniuerſali, quod non erat ante Pium; nihil tibi proderit, nam (vt alia omitamus de quibus cap. 13.) cum negare non poſsis officium illud fuiſſe Eccleſiæ Romanæ; ſolum tibi reſtat, vt dicas non eſſe eumdem ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſiæ Romanæ.

Sed iam ad diſcrimen, quod aſsignas inter has voces *Sancta*, & *Immaculata*, veniamus. Aſſeris vocem *Sancta* cum ſit terminus poſitiuus, nõ complecti omne tempus, ſed ſatis eſſe ſi pro aliquo inſtanti verificetur; vocem vero *Immaculata*, cum negationem cuiuſcumque maculæ exprimat, omne tempus ſeu omnia inſtantia comprehendere. Hoc diſcrimen in primis falſum eſt; 131.

de-

deinde nihil tibi prodeſt; denique nocet, & in caput recidit, vt tuo ipſo effugio miſerè deprehendaris. Falſum eſſe oſtendo. Nam ſi voces per ſe ſpectentur, neutra ex vi ſuæ ſignificationis vniuerſum tempus complectitur, aut excludit; ſed vtraque poteſt dici de ſubiecto, cui vel ſemper conueniat, vel aliquando. Cum enim neutra tempus aut durationem exprimat; vtraque apta eſt, vt ad omne tempus extendatur, vel ad aliquod tempus aut inſtans limitetur, quod vel ex adiuncto aliquo aduerbio, vel ex conditione ſubiecti, de quo prædicatur, dignoſcendum eſt. Exemplis rem declararemus. Cum dicimus *Deus eſt ſanctus Deus eſt Immaculatus*, vtraque vox æquè concernit æternitatem, id exigente ipſa natura diuina, quæ ipſiſsima ſanctitas eſt, & munditíes. Si dicamus *B. Maria eſt Sancta, B. Maria eſt Immaculata*, omne tempus durationis eius cõplectimur. Nũquam enim Sancta non fuit, numquam non Immaculata. At ſi dicamus *B. Petrus eſt Sanctus, B. Petrus eſt Immaculatus*, non omnem temporis differentiam ſignificamus; cnm aliquando in peccato fuerit, & maculis infectus. Neque enim vox *Immaculatus* eius ſignificationis eſt, vt non poſsit dici de ſubiecto, quod aliquando maculam habuit (vt tu perperam contendere videris.) Alioquim, cum Propheta dicit: *Beati Immaculati in vijs qui*

ambulant in lege Domini, fatēdum erit aliquos eſſe, qui nullam vnquam maculam habuerint ; quod tamen impium eſt. cum omnes (excepto Chriſto & B. Virgine) non ſolum originali macula , ſed actuali etiam, ſaltem veniali, laborauerint. Denique cum idem Propheta ita orat: *fiat cor meum Immaculatum in iuſtificationibus tuis*, ſatis oſtendit fieri poſſe, & dici Immaculatum cor, quod aliquando maculatum fuit; alioquim rem impoſsibilem & implicatoriam à Deo peteret. Liquidum ergo eſt nullum eſſe , quoad hoc , diſcrimen inter voces *Sancta*, & *Immaculata* ex vi ſuæ ſignificationis, ſed æque poſſe dici Immaculatum, quod aliquando ſanctum non fuit.

Deinde, quamuis hoc diſcrimen verum eſſet, nihil tamen tibi proficit ad rem præſentem. Sermo enim eſt de Conceptione cui has voces aptamus, cum dicimus *Conceptio eſt Sancta*, *Conceptio eſt Immaculata*. Conceptio autem ad vnicum inſtans determinata eſt , nempè primum vitæ , vt ſatis oſtendimus §. præcedenti. Quare licet vox *Sancta* poſſet verificari de Virgine, ſi in ſecundo inſtanti ſanctificaretur , quim prædicanda eſſet de eadem Virgine in primo inſtanti; vox autem *Immaculata* non poſsit prædicari in altero inſtanti, niſi in primo etiam conueniat ; tamen reſpectu Conceptionis hoc diſcrimen ceſſat , ipſa enim 132.

dc-

determinat illam indifferentiam vocis *Sancta*, reſtringitque ad primum inſtans, cui Conceptio ipſa reſpondet; vt niſi in eo ſancta ſit, nunquam ſancta ſit, quia poſt illud inſtans non eſt. Quare neceſſario Immaculata eſt, ſi ſancta eſt, cum neque maculam tunc habeat, nec antea habuerit. monſtrum ergo eſt (hoc diſcrimine vocũ adhuc admiſſo) Cõceptio Sancta, & nõ Immaculata. Sicut monſtrum etiam eſt Conceptio ſeu animatio quæ alij, quàm primo inſtanti, correſpondeat. Patet ergo te ex hoc diſcrimine minime ſatisfacere argumẽto ex verbis reſponſorij deſumpto. *Eccleſia celebrat Conteptionem Sanctam, ergo celebrat Immaculatam.* Quamtumuis enim aliás vox *Sancta*, & *Immaculata* differant; tamen de Conceptione non poteſt hæc negari, ſi illa affirmetur.

133. Hoc idem (præter ſuperius dicta) duplici argumento confirmamus. Primum eſt, Conceptio ſancta eſt Conceptio ſine peccato originali, ſed Conceptio ſine peccato originali eſt Immaculata; ergo Conceptio ſancta eſt Immaculata. Minor eſt certa. Maior oſtenditur, quia cum ſanctitate coniungi non poteſt peccatum originale: ergo Conceptio, quæ ſancta eſt, peccato originali caret. Secundum argumentum eſt Conceptio ſancta, quam colit Eccleſia, eſt Conceptio in primo inſtanti vitæ; ſed Conceptio, quæ in primo in

ſtanti

Digitized by Google

ſtanti vitæ Sancta eſt, Immaculata eſt; ergo Conceptio ſancta, quam colit Eccleſia, eſt Immaculata. Ergo quamuis vox *ſancta* ex ſe abſtrahat ab vtroque inſtanti, tamen, vt coniungitur in officio diuino cum Conceptione, determinaté concernit primum inſtans. Maior propoſitio patet, tum quia Conceptio non eſt niſi in primo inſtanti, vt ſatis oſtendimus; tum etiam quia ſi vt Conceptio Virginis dicatur ſancta, ſufficit ſanctificatio facta poſt primum inſtans vitæ; ergo conceptio Ioannis Baptiſtæ ſancta fuit, poteritque Eccleſia feſtum de eius Conceptione inſtituere, & eam ſanctam appellare, & colere, ſicut colit, & appellat Conceptionem Virginis, quod eſt abſurdum. Conſequutio patet, nam etiam Ioannes Baptiſta ſanctificatus eſt in vtero matris. Quod vero citius ſanctificata fuerit Virgo, quam ipſe, nihil refert, ſi re vera Virgo cum animata eſt, contraxit peccatum originale, ſicut ille, & aliquanto licet breuiſsimo tempore ea macula contabuit. Differentia enim ſecundum breuius, aut longius tempus accidentaria eſt. Quare ſi illa tẽporis intercapedo, quod fluxit inter animationẽ Virginis, & eius ſanctificationem, nihil obſtat, vt eius conceptio dicatur ſancta, & vt ſancta celebretur, nihil etiam obſtabit in Ioanne. Huius autem Conceptionem nemo ſanus ſanctam dixe-

rit. Euidens ergo eſt ex ſenſu Eccleſiæ coli Conceptionẽ Virginis Immaculatam, eo ipſo quôd colitur ſancta.

134. Tandem (quod tertio loco propoſuimus) diſcrimen á te aſsignatum adeò tibi nocet, vt vel inde maximè conuincaris. Quod ita oſtendo. Virginem ipſam plenis buccis dicere poſſumus, & debemus *Immaculatam*, eamque eo titulo ornare. Hinc planè deducitur iuxta tuam doctrinam eodem titulo honorandam eſſe eius Conceptionem. Nam te authore vox *Immaculata exprimit ſanctitatem per negatiua, hoc eſt per negationem cuiuſcumque maculæ, ideoque excludit maculam pro quocumque inſtanti*. Ergo ſi virgo Immaculata eſt; quæcumque macula ei neganda eſt, & pro quocumque inſtanti. Ergo macula originalis, & pro primo inſtanti vitæ. Alioquin ſi in eo inſtanti maculata fuit, Immaculata dici non debet. Hæc enim vox (te iudice) & quamcumque maculam, & pro quocumque inſtanti excludit. Vnde tandem (iuxta tuam doctrinam) apparet manifeſta contradictio in formula commentitij decreti, *quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permitatur, ſed ſolum dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis*. Nam ſi Virgo Immaculata eſt, neceſſe eſt in ſua Conceptione immaculatam eſſe; cum ea vox omnem prorſus maculam

Digitized by Google

excludat, & pro quocumque inſtanti. Quare cõtradictione ſe implicat, qui Virginem Immaculatam fatetur, & Conceptionem negat. Adde quòd amplius requiritur, vt Virgo ſit Immaculata, quam vt ſit Immaculata eius Conceptio. Hæc enim peccati originalis carentiâ, & pro vnico inſtanti, contenta eſt, cum alterius maculæ capax non ſit, neque amplius duret: at Virgini, vt ſit Immaculata, non ſatis eſt originis labe caruiſſe, ſed etiam actus; neque in aliquo duntaxat inſtanti, ſed ſemper; eiuſque puritas his veluti partibus abſoluitur. Quid ergo monſtri eſt, integrā Virgini munditiem titulo *Immaculatæ* concededere; & partem, id eſt munditiem Conceptionis, negare? an totum ſine parte ſubſiſtere poteſt? vide quam egregiè decretum defendas, qui illud in contradictionis anguſtias ſubtili illo tuo harum vocum diſcrimine concludis.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 21.

SEd etiam ſi idem eſſet Sanctum, & Immaculatum, non ſequitur: per hoc inſtans Conceptio dicitur ſancta, ergo dici poteſt Immaculata. Ratio eſt, quia vox ſancta neutri opinioni eſt alligata, & vere conue- 135.

nit Conceptioni Virginis pro eo inſtanti, quo fuit ſancta. Vox autem Immaculata eſt alterius opinionis proteſtatiua. Quod probatur ad ſatietatem ex ipſa aduerſariorum ſcriptura, & ex eorum ſupplici Libello. Vbi clariſsimè per Immaculatam Conceptionem ſententiam, quam ipſi tuentur, intelligunt, & cuius diffinitionem hiſce artibus ſaltem indirectè extorquere contendunt. Itaque vox Immaculata, cuius vſum petunt, non ſe habet indifferenter ad vtrũque inſtans, ſicut vox ſancta. Ideò ante controuerſiæ definitionem ab illa voce abſtinendum, vel certè non eſt poſitiua Eccleſiæ approbatione promenda.

§. XXI.

VOX SANCTA *CONCEPTIONI CONIVNcta, non minus eſt piæ ſententiæ proteſtatiua, quam vox* Immaculata.

136 NON contentus diſcrimine ſuperius aſsignato, aut fortaſſe (accuſante conſcientia) non ſatis illi fidens, aliud comminiſceris: ſed eiuſdem farinæ, vel potius furfuris. Cum enim nitatur eiſdem commentitijs Conceptionis inſtantibus, quibus præcedens; eiſdem fere argumentis exploditur. Quare non eſt opus noua refutatione. Nihilominus non eſt omittendũ quod nouis te retibus implicas. Aſſeris *quamuis*

idem eſſet ſanctum, & Immaculatum non ſequi: per hoc inſtans Conceptio dicitur ſancta, ergo dici poteſt Immaculata in his verbis manifeſtam inuolui contradictionem nemo non videt. Si enim idē eſt Sanctū & Immaculatū, fieri nō poteſt, vt Cōceptio quæ eſt Sancta, non ſit etiā Immaculata. Niſi corruat tota ars ſyllogiſtica, & vana ſint principia illa lumine naturali notiſsima: *Quæ ſunt idē vni tertio, ſūt idē inter ſe:* &: *quod dicitur de prædicato, dicitur de ſubiecto*, his enim innititur hic ſylogiſmus: *quidquid eſt ſanctum, eſt Immaculatū: ſed Conceptio per hoc inſtans eſt ſancta, ergo per hoc inſtans eſt Immaculata.* Maiorem propoſitionem ſupponis, minorem concedis. I nunc, & nega conſequentiam ſyllogiſmi in *Darij*, tertio videlicet modo primæ figuræ. Rideberis á pueris, qui primis labijs ſummulas deguſtarūt. Rurſum ratio, quam reddis, cur non valeat argumentum, pugnat cum tua ſuppoſitione. Si enim idem eſt ſanctum, & Immaculatum, fieri non poteſt, vt vox *Sancta* abſtrahat ab vtraque opinione, & vox *Immaculata* ſit piæ poteſtatiua. Eodem enim iure cenſeri debet vtraque vox, ſi vtraque idem ſignificat. Quare cum ſupponis, vel admittis idem eſſe Sanctum, & Immaculatum, diſcrimen deſtruis; & cum diſcrimen adſtruis, cum ſuppoſitione pugnas.

Sed iam diſcrimen ipſum examinemus. Ne- 137.

gas ſequi: *Por hoc inſtans Conceptio dicitur ſancta, ergo dici poteſt Immaculata.* Quare? *ratio eſt, quia vox ſancta neutri opinioni eſt alligata; vox autem Immaculata eſt alterius opinionis proteſtatiua.* Mirabile dictu. Olim vox *Conceptio* etiam ſine epitheto prolata in Officio diuino, erat proteſtatiua piæ ſententiæ. *Vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem equiuocationem, & melius propriam ſententiam explicandam, vtebantur voce ſanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis*, vt tu loqueris Libello primo num. 1. Nunc non ſolum *Conceptio* non eſt poteſtatiua piæ ſententiæ, ſed neque *Conceptio ſancta.* Sane vel errabant tunc Fratres Prædicatores perperam cauentes à voce Conceptionis, cum neque á Conceptione ſancta cauere deberent; vel tu erras, qui non agnoſcis has voces eſſe piæ ſententiæ proteſtatiuas. Quod ſi audes pro te ſententiā ferre, & tuos reprehendere, & damnare; non patiemur. Illi enim prudenter agnoſcebant ſatis eſſe ſub nomine Conceptionis Officium diuinū peragi, vt Immaculatam celebrari cenſendum ſit, ideò ne eam colere viderentur abſtinebant in officio ſacro, non ſolum à Conceptione cum epitheto *Sanctæ*, ſed abſolutè à Conceptione.

138. Præterea cum duo affirmes, & vocem *Sancta* neutri opinioni eſſe alligatam, & vocem *Immaculata* eſſe alterius opinionis proteſtatiuam; in hoc

ſecun-

ſecundo ſtabiliendo (quod certiſsimum eſt, & á nomine vnquam negatum) otio, & charta abuteris; pro primi vero probatione (quod tamen non ſolũ dificile, ſed prorſus eſt inintelligibile) neque verbum facis. Egregium ſanè diſputandi genus, in rebus apertis confirmandis tempus terere, in dificilibus, & obſcuris ſola affirmatione contentum eſſe. *Vox* (inquis) *Immaculata, eſt alterius opinionis proteſtatiua*. Quis dubitat? ſed tu quaſi id nos negemus, aut erubeſcamus, vel quaſi in de magnum aliquid aduerſum nos concludas; tabulas etiam, vnde probes, in iudicio producis, noſtrorũ videlicet *Scripturam, & ſupplicem Libellũ vbi* (inquis) *clariſsimè per Immaculatam Conceptionẽ, ſententiam, quam ipſi tuentur, intelligunt.* Quidni intelligamus? tu etiam, quamuis inuitus, intelligis. Cur non eãdem curã impendiſti, vt oſtenderes vocem *Sancta* neutri opinioni eſſe alligatam? cur lectori *ad ſatietatem* probas, quod nemo negat, & eundem ieiunium, & eſurientem relinquis, eius rei quã tu ſolus affirmas? nempe deſperaſti id probatum iri poſſe.

Niſi forte probatio ſit, quod ſubdis: *Et vere* 139.
conuenit (vox *ſancta*) *Conceptioni Virginis pro eo inſtanti, quo fuit ſancta.* Sed quæro abs te. Quid ſibi velit *quo fuit ſancta?* Conceptio ne, an Virgo? Si Conceptio, propoſitio vera eſt, ſed (vt loquuntur

dia-

dialectici) identica, nempè *Conceptio eſt ſancta pro eo inſtanti, quo eſt ſancta*. Hoc autem frigidum eſt, & adhuc non probat vocem *ſancta* neutri opinioni eſſe alligatam. Conceptio enim non in alio inſtanti eſt ſancta, quàm in primo vitæ, cui vnicè correſpondet; Sanctitas autem huius inſtantis proteſtatiua eſt piæ ſententiæ. Si vero loqueris de Virgine, etiam verum eſt Conceptionem eſſe ſanctam in eo inſtanti, in quo Virgo ſancta eſt, ſi ſermo ſit de primo inſtanti vitæ; ſi vero de alio poſteriori, falſum. Nam in alio non exiſtit Conceptio, atque adeò non poteſt tunc ſancta eſſe, quamuis Virgo ſancta ſit. Præterquam quod ſi ſanctificatio facta poſt primum inſtans vitæ poſſet ſanctam reddere Conceptionem; Baptiſtæ Conceptio dici poſſet ſancta, & feſto celebrari, vt ſupra num. 133. argumentabamur. Relinquitur ergo vocem *Sancta* ſi cum Conceptione coniungatur, non minus eſſe piæ ſententiæ proteſtatiuam, quàm vocem *Immaculata*.

140. Sed quid fruſtra fatigamur in refellendo commento tuo, cui obſtrepunt omnes, nõ ſolum qui Conceptionem Immaculatam defendunt, ſe etiã quotquod, vel negant, vel negare videntur? nullus enim eſt, qui eiuſmodi diſcrimen conſtituat inter epithetum Sanctæ, & Immaculatæ : Sed æquo iure de vtroque cenſent. Sanè ſectatores

Digitized by Google

tuæ ſentẽtiæ æquè negãt Conceptionẽ fuiſſe ſanctam, ac fuiſſe Immaculatam. Imò vero, ſi antiquos conſulas, frequentius negant Conceptioni epithetum ſanctæ, quam Immaculatæ, quia frequentius, illa, quam hac voce, vtuntur. Neque vllus eſt ex tuis, qui vnquam conceſſerit Conceptionem ſanctam. Putant enim (& rectè) idẽ prorſus eſſe Conceptionem ſanctam fuiſſe, & fuiſſe á peccato originali immunem. Denique apud vtriuſque ſententiæ authores controuerſia eſt de ſanctitate Conceptionis; ſanctam affirmantibus, qui negant originali peccato fœdatam; negantibus, qui affirmant. Itaque, & toti antiquitati, & tuis etiam maioribus reſiſtis. Vnus ſufficiat cõmunis magiſter Diuus Thomas, qui 3. p. q. 27. art. 2 ad ſecundum inter alia inquit: *Nam Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum, ſed in ipſa ſui Conceptione fuit ſanctus.* Vides apud Diuum Thomam idem eſſe ſanctum fuiſſe in Conceptione, & non contraxiſſe peccatum originale. Deinde in ſolutione ad 3. inquit: *Nec tamen per hoc quòd feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi quòd in ſua Cõceptione fuerit ſancta* (virgo videlicet.) Vides Cõceptioni negari epithetum ſanctæ, quia negatur immunitas ab originali. Neque quicquã refert quòd ſanctus Doctor in hoc loco non loquitur de animatione, ſed de formatione fœtus, vt ſu-

pra num. 105 animaduertimus; tum quia aduerſum te valet argumentum, qui putas de Conceptione, ſicut modo loquimur, eſſe intelligendum; tum quia quicquid ibi vox *Conceptio* ſignificet, ſatis oſtendit Diuus Thomas has voces *Conceptio ſancta* non poſſe verificari in vtraque ſententia, ſed alligatas eſſe neganti peccatum originale in Virgine, cuius tamen oppoſitum tu egregius Diui Thomæ Diſcipulus perſuadere cupis.

141. Subdis præterea nos per Immaculatam Conceptionem ſententiam quam tuemur, intelligere. Et addis: *cuius definitionem hiſce artibus ſaltem indirectè extorquere contendunt.* Bona verba quæſo. Definitiones fidei non *extorquētur*, quæ vox vim quandam ſignificat, neque *artibus*, quæ aſtuciam, & dolum; *neque indirectè*, quæ rem præter intentionem actam. Sed tu dū hæc effutire audes, nō tantúm Immaculatæ defenſoribus iniuriam irrogas, ſed ipſi etiam Sedi Apoſtolicæ, quam non obſcure innuis eam eſſe, quæ in definitionibus fidei circumueniri poſsit, aut minus conſideratè procedere. Nam ſi non poteſt, quid times *artes* defenſorum Immaculatæ? aut quid eos impoſsibilia aggredientes inducis? iam vero quæ ſunt iſtæ *artes*, quibus definitionem extorquere contendunt? an quod *clariſsimè per Immaculatam Conceptionem, ſententiam, quam ipſi tuentur, intelligunt?*

hoc

hoc enim præceſſerat. Sed vbi obſecro latet artificium? nam quòd Immaculata Conceptio ſit ſubiectum piæ ſententiæ, clariſsimum eſt, & tu etiam agnoſcis. Immaculatæ defenſores non proponunt Sedi Apoſtolicæ definiendã eſſe Immaculatam Conceptionem, quia eſt ſubiectum ſuæ ſententiæ; ſed (inter alia) quia eandem ipſa Eccleſia Romana cultu ſacro proſequitur. Itaque non ſuam ſententiam allegant, ſed Eccleſiæ factum, & approbationem. Addis denique (quaſi Deus è machina loquatur) *ante controuerſiæ definitionem à voce Immaculata abſtinendum, aut certè non eſſe poſitiuâ Eccleſiæ approbatione promendam*. In prouerbio eſt *poſt bellum auxilium*. Sero nimis abſtinentiam huius vocis conſulis, poſtquam videlicet duobus fere ſæculis eam Eccleſia Romana in Officio diuino, & in Pontificijs diplomatibus vſurpat. Quòd ſi Eccleſiæ, & Romanorum Pontificum factum reprehendendum non eſt, qui ante controuerſiæ definitionem eo epitheto condecorant Conceptionem, & poſitiuè approbant; reliquum eſt, vt conſilium tuũ ſpernamus, imò damnemus, vt Eccleſiæ vſui contrarium.

Digitized by Google

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 22.

142. 3.diſt. 3. diſp. de Cōcept. *INdulgentiarum conceſsiones obijciunt, non ſecus ac ſi illæ controuerſiam dirimerent. Argumentum decantatum, cui occurrit Guillermus Eſtius Doctor Duacenſis dicens indulgentias non eſſe conceſſas opinioni, ſed pietati. Nouimus equidem in huiuſmodi conceſsionibus titulos Eccleſiarum confraternitatumque ſupponi, non diligenter exquiri. Si quis colligeret, & in argumentum redigeret indulgentias obtentas titulo Epiſtolæ à Meſanenſibus B. Virgini Mariæ adſcriptæ, iam non eſſet inter apocripha reijcienda, ſi hæc authoritas vrgeret.*

§. XXII.

INDVLGENTIARVM CONCESSIO euidenter probat non eſſe prohibendum titulum Immaculatæ.

143. EX Indulgentijs, quas Sedes Apoſtolica nō ſemel conceſsit colentibus Conceptionē Immaculatam, duplex argumentum confici poteſt, alterum pro veritate piæ ſententiæ, alterum pro titulo Immaculatæ conſeruando.

Priori argumento vtuntur frequenter Immaculatæ defenſores, dum de hac controuerſia diſputant, cuius ſumma, & robur eſt: nam cum indulgẽtiæ concedi non poſsint pro re falſa, manifeſtum eſt hoc complexum *Immaculata Virginis Conceptio* verum eſſe, & à parte rei ita ſe habere; quandoquidem colentes Immaculatam Conceptionem Eccleſia cumulat indulgentijs. Quare magna ex hoc facto Eccleſiæ accedit authoritas, & approbatio ſententiæ eandem Immaculatam Conceptionem defendenti, vt vera cenſenda ſit. Huic argumento occurrit Eſtius loco quem refers: *Indulgentias non eſſe conceſſas opinioni, ſed pietati* (ſi tamen ita ſcripſit, quem nondum vidi) idem paulò clarius reſpondet Franciſcus Syluius Doctor etiã Duacenſis 3. p. q. 27. art. 2. *indulgentiæ* (inquit) *nõ opinioni, ſed deuotæ illius feſti celebrationi conceſſæ ſunt.* Sed mirandum eſt viris doctis eam argumenti ſoluendi rationem arriſiſſe, cum ne vmbram quidem ſolutionis habeat. Quamuis enim non opinioni præciſsè, ſed pietati indulgentiæ concedantur; nihilominus fauor iſte in ipſam opinionẽ refunditur, eamque plurimum commendat, cum idem ſit ſubiectum, ſeu obiectum circa quod, & opinio, & pietas verſantur, nempe Immaculata Conceptio.

Eſtius.

Franciſcus Syluius.

Fatemur ergo indulgentias non concedi præ- 144.

ciſsé

ciſè, & immediatè opinioni, ſed pietati aut cultui. Neque enim Pontifices hactenus indulgentijs donarunt, eos qui ſenſerint, aut defenderint Virginem conceptam fuiſſe abſque peccato originali. Neque ſi quis eam ſententiam in ſcholis defendat, aut libro etiam integro confirmet, indulgentias aliquas propterea lucratur; ſed qui Immaculatæ Conceptionis feſtum celebrauerit, qui officium recitauerit, qui ſeorſim antiphonam, & Orationem, qui Miſſæ, & Horis Canonicis interfuerit. Opinio præciſê ſpectata ad aſſēſum duntaxat intellectus pertinet, eumque ſpeculatiuum: cultus practicus eſt, & ad voluntatem ſpectat, vtpote actus Religionis. Huic, nō aſſenſui ſpeculatiuo, indulgentiæ conceduntur. Nihilominus verum eſt ex aſſenſu naſci pietatem, ideò enim voluntas afficitur erga Immaculatam Conceptionem, quia intellectus ei aſſentitur. Et quicumque ex deuotione, & affectu mouentur ad celebrandum feſtum Conceptionis, ideó mouentur, quia ſibi perſuaſum habent Virginem in ſua Conceptione fuiſſe Immaculatam, adde etiam, virtutem ipſam Religionis frequenter imperare eiuſmodi aſſenſum. Quare licèt indulgentiæ non concedantur opinioni præciſè, ſed cultui; conceduntur tamen illi ſaltem mediatè, & quatenus aſſenſus opinionis cum ipſo actu reli-

gionis coniungitur,& ad eum inclinat voluntatem,aut à Religione imperatur. Propterea veriſſimum eſt,quod ante me alij notarunt, Pontifices,dum colentibus Conceptionem Immaculatam indulgentias largiuntur, ad ipſam etiam opinionem, & intellectus aſſenſum inuitare.

Denique,quod in præſenti præcipuum eſt, ex indulgentiarum conceſsione veritas piæ ſententiæ manifeſtè confirmatur,quamuis non ipſi præcisè, ſed pietati,vel feſti celebrationi concedantur. Cum enim vtraque,ideſt opinio, & pietas, circa idem obiectum verſentur, nempe Immaculatam Conceptionem; & cultus ex Eccleſiæ inſtitutione non poſsit circa rem falſam verſari, neque venerationi rei falſæ indulgentiæ concedantur; liquido concluditur obiectum opinionis verum eſſe, quandoquidem eiuſdem cultus indulgentijs cumulatur. Has vero nō pietati vtcumque, ſed pietati erga Immaculatam Conceptionem concedi, ſatis ex dictis conſtat, Ijſdemq; argumentis fulcitur,quibus feſtum eſſe de Immaculata Conceptione oſtenditur. Sanè celebrātibus ſub nomine ſanctificationis nullas hactenus vidimus indulgentias conceſſas. Non ergo cultui ſanctificationis præcisè, ſed Immaculatæ Conceptionis conceduntur. Huic argumento 145.

pro

pro veritate piæ ſententiæ ex indulgentiarum conceſsione deſumpto, neque Eſtius ſolidè occurrit, neque mille Eſtij vnquam ſatisfacient, quantumuis clament indulgentias non opinioni, ſed pietati conceſſas.

146. Alterum argumentum, quod ex hac conceſsione robur accipit, eſt pro titulo Immaculatæ tuendo, & conſeruando. Quod ita conficitur: Ecclesia inuitat indulgentijs ad tribuendum Conceptioni titulum Immaculatæ; ergo hic titulus prohibendus non eſt. Antecedens patet, nam (vt alia omittamus) Sixtus IV. conceſsit indulgentias recitantibus officium Conceptionis, in cuius inuitatorio legimus: *Immaculatam Virginis Cõceptionem celebremus*, leguntque hodie Franciſcani, & Eccleſia Granatenſis ex Romanorum Pontificum conceſsione. Paulus etiam Quintus indulgentijs proſequutus eſt eos, qui recitauerint Antiphonã, *Hæc eſt Virga*, & orationem, *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*. Quibus locis vox *Immaculata* propriſsimè titulus eſt, etiam iuxta tuam doctrinam, quam tradis infra num. 36. non enim tribuitur in propoſitione *Conceptio eſt Immaculata*, ſed in termino complexo (vt tu loqueris) *Immaculata Conceptio*. Ergo retinendus eſt hic titulus, & minimè prohibendus. Alioquin ſi cum Pauli Quinti, & aliorum Pontificum con

ceſsio-

Digitized by Google

ceſsione ſtare poteſt hæc prohibitio; vnico actu, ſcilicet illius orationis recitatione, indulgẽtias lucrabor, & violabo præceptum, quod eſt abſurdum. Imò vero neceſſe eſt fateri, me indulgentijs inuitari, vt præceptum frangam, quod eſt abſurdiſsimum. Inuitor enim ad tribuendum titulum Immaculatæ dum dico: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*, quod cum facio, præceptum violo, quo cauetur, vt *quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis; nullo modo permittatur, ſed ſolum dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis*. Huic argumento etiam non occurrit Eſtius, neque animus fuit occurrere.

Iam vero quod de indulgentijs conceſsis ſacello B. Virginis *de Litterio* apud Meſſanẽſes obijcis (mihi ignoſce) ridiculum eſt, & a propoſito prorſus alienum. Pontifices non concedunt indulgentias venerantibus Epiſtolam á B. Virgine Meſſanenſibus ſcriptam, ſed viſitantibus capellam eiuſdem Virginis *de Litterio* nũcupatam. hunc titulum ſupponunt quidem, nec exquirũt, Atque adeò neque approbant, neque improbant. Nihil enim intererat ad indulgentias concedendas orantibus coram imagine B. Virginis, quæ ibi eſt, & quæ ritè colitur, ſiue ſcripſerit B. Virgo ad Meſſanenſes, ſiue non ſcripſerit. Quare ex hac conceſsione neque titulus Capellæ, ne- 147.

que Epiſtola ipſa commendatur. At indulgentiæ Conceptionis non conceduntur, vtcumque venerantibus Virginem; ſed Conceptionē eius Immaculatam; donanturque cultui, qui determinatè reſpicit hoc obiectum. I nunc & confer indulgentias conceſſas orantibus in ſacello *de Litterio*, cum his quibus cumulantur cultores Immaculatæ. Dic mihi, ſi quis Pontifex conceſsiſſet indulgentias recitantibus hanc orationem: *Deus qui per Epiſtolam à tua Matre ſcriptam Meſſanenſes honorare voluiſti, concede quæſumus, vt ſicut ipſa ad eos ſcripſit, ita nos in libro vitæ ſcribi concedas.* Auderes ne de veritate Epiſtolæ dubitare, aut eam inter apochripha reijcere? non rectè faceres. Cur ergo de Immaculata Conceptione dubitas, qui non ignoras indulgentias a Pontificibus conceſſas ita Deum orantibus? *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, concede quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem Filij tui præuiſa eam ab omni labe præſeruaſti, ita nos quoque mundos eius interceſsione ad te peruenire concedas.* Sanè cum tam diſsimiles cauſas habuerint indulgētiæ Meſſanenſium, & Conceptionis; perperam ab Epiſtola Meſſanenſium aduerſus titulum Immaculatæ deſumis argumentum.

Digitized by Google

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 23.

IMò, quod propius ad rem noſtram accedit, dum actu aduerſus titulum ſtellarij Immaculatæ Conceptionis Apoſtolica Sedes dignis de cauſis inſurgit, confraternitates delet, & publicum eius exercitium pœnaliter prohibet; innumeræ extorquentur indulgentiæ: ergo ſtellarij confraternitates authoritate Eccleſiæ firmantur ſimul, & abrogantur? hæc magis vrgent, vbi de expreſsè vetitis agitur. In controuerſia de Conceptione Eccleſia Mater piam fouet intentionem vtriuſque partis opinantium ſine præiudicio veritatis, & non intellectus aſſenſus, ſed voluntatis pios motus ſpiritualibus fauoribus proſequitur. 148.

§. XXIII.

STELLARII PROHIBITIO NIHIL officit titulo Immaculatæ. Eccleſia piam ſententiam magnis fauoribus proſequitur; contrariam nullis.

Solemne tibi eſt, cum ex facto aliquo argumentum ſumis, detrahere aliquid aut addere, 149.

vel certè rem obſcurè referre, ne, ſi vt geſta eſt, narretur; nihil roboris argumentum habere ipſa narratio conuincat. Hunc eſſe tibi morem ſatis ex dictis liquet, conſtabitque ex dicendis præcipuè §. 34. Idem in præſenti præſtas, cum ex prohibitione ſtellarij Immaculatæ Cōceptionis argumentaris. Rem enim, non ſine iniuria Sedis Apoſtolicæ, ita obnubilas, & diſsimulas; vt qui aliàs neſcius te legerit, planè exiſtimabit Apoſtolicam Sedem ſimul ſtellarium prohibere, & eidem ſtellario conſeruata etiam, & cognita prohibitione indulgentias concedere. Nam ſi res non ita contigit, ſed indulgentiæ per ſubreptionem extortæ ſunt, quid obſecro earum conceſſio tuam cauſam iuuat? An ex ſubreptitio indulgentiarum obtentu licet argumentari aduerſus indulgentias legitimè conceſſas? ne ergo imponas lectori, rem, vt geſta eſt, narrabimus.

150. Inſtituerant quidam confraternitates ſub titulo *ſtellarij Immaculatæ Conceptionis*. Confratres publice in Templo ſtellarium recitabant, duodecim videlicet ſalutationes Angelicas, adhibita etiam, poſt quaslibet quatuor, oratione Dominica, & in fine ſtellarij collecta quadam, ſeu oratione. Duodenarius numerus correſpondebat duodecim ſtellis, quas Ioannes in corona mulieris vidit in Apocalypſi. Hinc ſtellario, & coronæ

no-

nomen. Adierunt prætereà Pontificem (puto Vrbanum Octauum) petieruntque indulgentias ſtellario Immaculatæ Conceptionis, ſuppreſsis tamen ſilentio rei circunſtantijs. Ille audito Immaculatæ Conceptionis nomine (vt erat in eam propenſus) facilè conceſsit. Cum autem hæc reſciuiſſent ſodales Roſarij á Sancto Dominico inſtituti, rem ad Congregationem ſanctæ Romanæ Inquiſitionis deferunt, queruntur Roſarij iura violari noua hac ſalutationem Angelicam recitandi formula, confraternitates ſtellarij ſine legitima authoritate erectas fuiſſe, nouam præcandi formam ab Eccleſia nondum approbatam publicè introduci. Re ergo maturè inſpecta decretum prodijt præſente, & iubente Vrbano Octauo 19. Ianuarij 1640. in hunc modum.

Sanctiſsimus D. N. auditis votis, &c. Quaſcumque Congregationes, ſodalites, ſeu confraternitates ſub nomine ſtellarij Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ quomodolibet, & quauis authoritate erectas & fundatas in quibuſuis Eccleſijs omnino ſuppreſsit, & in poſterum erigi poſſe abſque ſanctitatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ licentia prohibuit, Indulgentias, quaſcumque eiſdem Congregationibus, ſodalitatibus, & confraternitatibus conceſſas omnino reuocauit, caſauit, & annullauit. Inſuper iuſsit eiſdem Congregationibus, ſodalitatibus & confraternitatibus intimari, ne audeant recitare, vel 151. Decretú Vrbani Octaui.

reci-

recitari facere, aut conſentire quòd recitetur in præſatis Eccleſijs, vel alibi in loco publico corona ſub titulo ſtellarij Immaculatæ Conceptionis, ſub pœnis arbitrio ſanctitatis ſuæ, & ſacræ Congregationis.

152. Cum autem hoc decretum legitimè publicatum, & ijs etiam, quorum intererat, intimatum fuiſſet; perſtiterunt adhuc in ſtellarij publica recitatione, exiſtimantes ſatis ſe obſequi decreto, ſi confraternitates ſub ſtellarij titulo non erigantur, & erectis auferatur. Quim & duodecim ſtellas coronæ Apocalypticæ ſtellario ſuo ita adaptabant, quaſi Ioanni Euangeliſtæ Immaculata Virginis Conceptio ea viſione fuerit demonſtrata. Confecerunt etiam ſuper hoc, & typis euulgarunt collectam, deinde inſtituerunt menſe Auguſto feſtum diem pro ſtellario quotannis ſolẽniter celebrando, denique adierunt Pontificem (vt videtur) Innocentium X. recens electum, & ſuppreſſo Vrbani decreto alijſque circunſtantijs indulgentias petierunt, & impetrarunt (ſemper enim Apoſtolica Sedes Immaculatæ Conceptioni facilem ſe, & benignam exhibet) ſed cum res ad Sacram Sanctæ Inquiſitionis Congregationem delata eſſet, & in ea Sanctiſsimus Innocentius omnium factus eſſet certior; Vrbani decretum confirmauit, confraternitates iterum deleuit, ſtellarij publicam recitationem prohibuit,

feſtum abſtulit, indulgentias, vtpote ſubreptitias, reuocauit nouo decreto 23. Nouēbris 1645 edito, cuius tenor eſt.

153. Decretū Innocentij X.

Ne prætextu pietatis orirentur in Eccleſia Catholica contentiones, aut fouerentur exortæ; & ne cuiuslibet relinqueretur arbitrio publicas præcandi formulas inſtituere, præſertim vero eas, quæ ſummorum Pontificum ſanctionibus aduerſari videntur; emanauit aliàs à fælicis recordationis Vrbano Octauo in generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis, ſub die 19 Ianuarij 1640. decretum tenoris infraſcripti. Inſerit decretum, quod ſupra dedimus num. 149. & eius publicationem, & intimationē, & proſequitur: *Sed cum adhuc nonnulli Apoſtolicis mandatis obtemperare neglexerint, ſtellarij prædicti coronam nedum publicè in Eccleſijs recitantes, ac recitari curantes, eo fortaſſe ſubterfugio confiſsi, quod dummodo ſub ſtellarij titulo cōfraternitates non erigantur, ſtatutas in reliquis decreti pœnas eſſent euaſuri: Verum etiam ad vlteriores inobedientiæ gradus procedentes Apocalypticam B. Ioannis viſionem mulieris duodecim ſtellarum corona redimitæ pia ſanctorum Patrum, & Doctorum meditatione, ac interpretatione Beatiſsimæ Deiparæ adaptatam, ita mediāte hoc recitandi ſtellarij adinuento mentibus fidelium inſerere curauerint, ac ſi eidem Beato Euangeliſtæ Immaculata Virginis Conceptio mirabiliter tunc fuerit demonſtrata, confecta etiam ſuper hoc, & typis euulgata colle-*

cta.

ſta. Quin imò diem feſtum ſolemnem ſtellario de menſe Auguſti, quotannis pro eorum arbitrio temerè aſsignaue rint, ac denuo indulgentias pro eadem aſſerta feſtiuitate ſubreptitiè obtinuerint.

154. *Quæ omnia, & ſingula cum nuper Santiſsimo D. N. innotuerint auditis votis, &c. opportuno cenſuit indige re remedio, ne ſub deuotionis ſpecie fraudes vlterius pro grediantur, & quæ primo aſpectu pietatem redolent, hoſtis humani generis arte per inobedientiam labefactē-tur, ſanctitas ſua præfato decreto inhærendo, illudque confirmando, hoc ſuo præſenti decreto de nouo iuſsit, ac mandauit omnibus, & ſingulis, tum ſæcularibus, tum re-gularibus perſonis, cuiuſuis gradus, ſtatus, ordinis, & in ſtituti, &c. ne in poſterum audeant publicè recitare, aut recitari mandare coronam ſtellarij prædicti in quibuſ-uis Eccleſijs, oratorijs, aut alijs locis, in quibus vtriuſ-que, vel alterius ſexus Chriſti fideles in vnum conue-niant, etiam ſi abſque vlla confraternitatis erectione id præſtare profiterentur. Sodalitates omnes, confraterni-tates, & Congregationes ſub nomine ſtellarij Immacula-tæ Conceptionis iterum omnino ſuppreſsit, indulgentias pariter titulo ſtellarij, vel feſtiuitatis eiuſdem quomodo-libet obtentas reuocauit, & annullauit. Regularibus ve ro cuiuſuis ordinis, &c.*

155. Hæc omnia placuit in medium adducere, ne-quis audiens prohibitum fuiſſe ſtellarium Im-maculatæ Conceptionis exiſtimet, aliquid ea

pro-

prohibitione derogatum ipſi Conceptioni Immaculatæ, & eius cultui ſacro, aut titulo; ſed alias fuiſſe iuſtæ prohibitionis cauſas, quæ in qualibet alia materia eandem vim haberent. Quod facilè ex ipſo decreti tenore perſpiciet lector. Ideò enim Pontifices prohibent ſtellarium, quia publicè recitabatur ſine legitima authoritate, cum ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertineat publicas præcandi formulas præſcribere. Huc attinent illa decreti verba: *Ne cuiuslibet relinqueretur arbitrio publicas præcandi formulas inſtituere.* Et quāuis ſtellarium illud ſalutationibus Angelicis, & orationibus Dominicis conſtabat, quas publicè recitare, ſi per ſe ſpectētur, prohibitum non eſt; tamen addebatur oratio quædam coronam Apocalypticam exprimens, quaſi in ea Cōceptio Immaculata fuerit demōſtrata Euangeliſtæ, vt colligitur ex illis decreti verbis *confecta etiam ſuper hoc, & typis euulgata collecta.* Nemini autem licet orationem componere, quæ in Templis, & publicè recitetur, niſi ex approbatione Eccleſiæ. Imò etiamſi collecta ſtellarium claudens eſſet oratio illa: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*, quæ nō ſemel ab Eccleſia approbata eſt; tamen complexum illud ex ea, & certo numero ſalutationis Angelicæ, & orationis Dominicæ non potuit ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ in-

ſtitui ad publicum vſum confraternitatum, quarum etiam erectio publici iuris eſt.

156. Quo circa animaduerſione eſt dignum, in vtroque decreto publicum duntaxat ſtellarij prædicti vſum prohiberi, non priuatum. Vnde facile eſt intelligere nihil in eo contineri á pietate, & vera doctrina alienum, neque propterea diſplicuiſſe Sedi Apoſtolicæ, ſed quia priuata authoritate introductum fuerit; cum eius vſus publicus, ſicut & alterius cuiuſque prædicandi formulæ, approbationem Eccleſiæ neceſſariò prærequirat. Adde, quod ex eius inſtitutione contentiones, & æmulationes foueri videbantur, præiudiciumque aliquod inferri Roſario, quæ meritó Pontifices vitanda cenſuerunt. Denique inſtitutum etiam fuit feſtum ſtellarij, cum noua officia diuina non ſint ſine facultate Sedis Apoſtolicæ introducenda.

157. Ex quibus omnibus manifeſte liquet, ex hac prohibitione nullũ poſſe deſumi argumentũ, vel aduerſus piã ſententiã, vel aduerſus cultũ Immaculatæ Conceptionis, vel deniq; aduerſus titulũ; cũ cauſæ prohibitionis hæc nõ tangant, cõmuneſq; ſint alijs etiam myſterijs. Nam eodem iure, & ob eaſdem cauſas meritò prohiberetur ſtellarium Natiuitatis, aut Aſſumptionis, ſi in ſimili forma aliquis pro libito illud componeret, aut ſub eo ti

tulo

tulo confraternitatem erigeret, & feſtum inſtitueret. Quare ſicut ex prohibitione ſtellarij Natiuitatis non liceret contra Natiuitatis ſanctitatem argumentari, ita non licet contra Immaculatæ titulum ex prohibitione ſtellarij Immaculatæ Conceptionis. Neque minus abſurdè id quiſquam elicere contenderet, quam prohibitas eſſe ſalutationem Angelicam, & orationem Dominicam, quibus ſtellarium illud conſtat.

Dices fortaſſe te ex prohibitione ſtellarij nõ elicere prohibitionem tituli Immaculatæ, ſed illud duntaxat contendere, non rectè concludi approbationem huius tituli ex indulgentijs ſub eo conceſsis. Hoc manifeſtè probari exemplo adducto, videmus enim vigente adhuc prohibitione ſtellarij, & confraternitatũ eius, indulgentias nihilominus concedi, & tamen nemo ſanus dixerit hac conceſsione firmatas eſſe, aut ſtabilitas eas confraternitates, alioquim firmarentur ſimul, & abrogarentur Eccleſiæ authoritate, quod eſt abſurdum. Hæc eſt vis argumenti. 158.

Sed ſané mirari ſatis non poſſum eiuſmodi argumentationem tibi in mentem veniſſe, ne dum placuiſſe. Nam vt vno verbo dicam, ab indulgentijs ſubreptitijs ad legitimas argumentaris; nã indulgentias ſtellarij poſt prohibitionem obten 159.

tas (à quibus ſumis argumentum) ſubreptitias fuiſſe, Innocentius ipſe teſtatur illis verbis: *Ac denuo indulgentias pro eadem aſſerta feſtiuitate ſubrepticiè obtinuerint*. Quæ autem ſubreptitiè obtinentur, non ſunt veræ indulgentiæ, ſed indulgentiarum vmbra. Quare ex earum conceſsione, ſeu potius extorſione, nullum poteſt deſumi argumentum, niſi fortè ad oſtendendam audaciam eorum qui extorſerunt. Hæc cum ita ſint, dic mihi obſecro, quid facit ad rem præſentem abrogatio ſtellarij, & indulgentiarum malè obtenta conceſsio? an putas indulgentias cultui Immaculatæ Conceptionis à Sixto Quarto, Paulo Quinto, alijſq; Romanis Pontificibus conceſſas ſubreptionis vitio laboraſſe? Id ſi forte mente cogitas (nam verbis non audebis proferre) conuincet te ipſa extrauagans Sixti Quarti *cum præexcelſa* ab alijs Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino confirmata (vt alia diplomata omittam.) Ex his indulgentijs, quas Pontifices cauſa pleniſsimè cognita legitimè conceſſerunt colentibus Immaculatam Conceptionem, argumentum deſumunt Immaculatæ defenſores pro veritate piæ ſententiæ, & titulo Immaculatæ, quem ipſa conceſsione approbari, & cõfirmari neceſſe eſt, quãdoquidem non vtcumque conceduntur pietati erga Virginem, ſed determinatè venerationi

Immaculatæ Conceptionis, vt ſupra oſtẽdimus. Quare huius argumenti eficaciam non agnoſcere, nihil aliud eſt, quam de recto Eccleſiæ iudicio dubitare. Dic mihi iterum, putas ne ex indulgentijs Roſario Dominicano conceſsis rectè inferri eiuſdem Roſarij approbationem, & confirmationem? Non negabis, vt credo. Neque ſi neges, patiemur. Omnes enim Catholici ſacratiſſimum Roſarium, & ſuſpiciunt, & frequentant. Cur ergo eandem vim approbandi non agnoſcis in indulgentijs cultui Immaculatæ conceſſis? Aut cur ex ſubreptitijs contra veras argumentaris?

Iam vero lepidiſsimum eſt, quod ſubdis: *Hæc magis vrgent, vbi de expreſſè vetitis agitur.* Quæ 160.
ſunt obſecro, expreſſè vetita, in quibus magis vrget tuum argumentum? An titulus Immaculatæ prohibitus aſſerto illo decreto ſanctæ Romanæ Inquiſitionis? Ita ſanè intelligis. Itaque te authore ſtellarium, & eius confraternitates, & feſtum non ſunt expreſſè vetita duobus decretis Vrbani, & Innocentij, atque ideò in illis non tã vrget argumẽtum, quàm in titulo Immaculatæ, maioremque vim habet aduerſus hunc titulum decretum, quod (vt demus vtcumque manaſſe à ſancta Congregatione) non eſt legitimè promulgatum, neque à Sede Apoſtolica confirmatum;

quàm

quam aduerſus ſtellarij confraternitates duo decreta eiuſdem ſanctæ Congregationis, præſentibus, & iuuentibus duobus Romanis Pontificibus edita, ritè publicata, & ſpeciatim ijs etiam, quorum intererat, intimata. Imo (ſi ſuperis placet) illud aſſertum decretum, quamuis à Sede Apoſtolica non manarit, fortius abrogat indulgentias á Romanis Pontificibus Immaculatæ Conceptioni conceſſas: quám decreta Vrbani, & Innocentij illas ſtellarij, quas Innocentius ipſe ſubreptitias fuiſſe declarat. Hæc abſurda ſi non ſequuntur ex illis tuis verbis, *hæc magis vrgent, vbi de expreſsè vetitis agitur,* quid ſibi velint ego non capio, neque tu vnquam explicabis.

161. Sed de ſtellario ſatis. Nunc ad oraculum illud, quod tanquam cõcluſionem ex prædictis elicis, veniamus: *In controuerſia de Conceptione Eccleſia Mater piam fouet intentionem vtriuſque partis opinantium ſine præiudicio veritatis; & non intellectus aſſenſus, ſed voluntatis pios motus ſpiritualibus fauoribus proſequitur.* Qui vtriuſque partis intentionem piam dicis, piam etiam dices vtramque ſententiam. Sed ego hactenus ſolam negantem in Virgine originale peccatum piæ epitheto ornari audieram. Imò per quandam antonomaſiam *pia ſententia* abſolutè negantem ſignificat. Tuam equidem impiam non dixerim, ſed neque etiam piam. Nam

(vt

(vt alia omittam) vox *pia* fauorabilem ſignificat; at tua ſententia Virgini non fauet, non ergo pia dicenda eſt. Sed eſto. Sit etiam pia intentio tuæ partis, illud non potui ſine riſu legere, quod ais, eam ab Eccleſia Matre foueri. Nam id de vtraque ſententia affirmas, quaſi Eccleſia Matris affectu vtrique ex æquo proſpiciat, vtramque in ſinu recipiat, & foueat, æquiſque fauoribus proſequatur. Sanè negatiuam ab Eccleſia foueri, & promoueri ſatis video. Eam enim liberam relinquit publicè, & priuatim, verbis, & ſcripto; ad eius aſſenſum inuitat, dum ſubiectum, cui ipſa aſſentitur, cultu ſacro proſequendum proponit; in eius honorem religioſos ordines inſtituit, ac tandem indulgentijs cumulat: at qua ratione affirmantem partem foueat, videre hactenus nõ potui. Niſi fouet Paulus Quintus, cum ei in publico ſilentiũ indicit; niſi fouet Gregorius XV. dum neque in priuatis ſermonibus, & ſcriptis eam hiſcere ſinit, aut mutire; niſi fouet idem Põtifex, dum officium ſanctificationis abrogat, quia ea vox ſectatores huius ſententiæ à cultoribus Immaculatæ vtcumque diſtinguebat; niſi fouet etiam, dum præcipit, vt omnes Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, á qua voce tuæ ſententiæ amatores (te etiam fatente) cauebant. Hæc ſi tibi fomenta videntur; Chi-

rur-

rurgorum ſectiones, & cauteria fomenta vocabis.

162. Cum vero in calce ſubdis Eccleſiam *non intellectus aſſenſus, ſed voluntatis pios motus ſpiritualibus fauoribus proſequi.* Quæro, an de vtraque ſententia loquaris, an de negante duntaxat? Si de hac loqueris, ſatis ſupra oſtendimus Eccleſiam non tantùm voluntatis pium motum, ſed intellectus etiam aſſenſum ſpiritualibus fauoribus proſequi. Pius enim motus voluntatis, quo Immaculata Conceptio religioſè colitur, ab aſſenſu intellectus erga hanc veritatem procedit, & ab eo inclinatur voluntas ad cultum. Quare qui pietati voluntatis fauet, intellectus etiam aſſenſui fauet. Si vero de tua etiam ſententia loqueris (nã id exigit contextus verborum) vbi, obſecro, ſunt ſpirituales fauores, quibus Eccleſia proſequitur tuæ opinionis aſſenſum, aut tuæ voluntatis motum, quantumuis pium? an celebrantibus Conceptionem in peccato originali factam, aut ſolam ſanctificationem à momento Conceptionis abſtrahentem aliquas vnquam indulgentias conceſsit? Quod ſi fauores appellas, quos ſupra à Paulo Quinto, & Gregorio Decimoquinto impertitos cõmemorauimus; tuis fauoribus potitor. Ego non inuideo; ſed ab eis liberet Deus meam ſententiam.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 24.

SVbditur approbatio voti quarundam Monialium ſub titulo Immaculatæ Conceptionis. Sed idem reſpondemus: approbationem ſcilicet ad vouentium pietatem referri, non ad titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantùm, non vero diſpoſitiuè. Nec inconuenit approbari religionem particularem, quæ erga piam, & probabilem opinionem deuotionem gerat. Non enim aliquid falſum approbatur, dum pius modus viuendi, non modus opinandi, comprobatur. 163.

§. XXIV.

EX INSTITVTIONE MONIALIVM Immaculatæ Conceptionis efficax argumentum pro Immaculata deſumitur.

QVas tu Moniales quaſdam per contemptum dicis, celebris religio eſt, & multis monaſterijs frequens. Ex cuius inſtituto, & approbatione quantum accreſcat firmitatis, & honoris ſententiæ de Conceptione Immaculata, planè perſpiciet, quicumque eius ſta- 164.

tuta,& regulam ab Innocentio Octauo,& Iulio Secundo confirmatã legerit. Quæ ſi vidiſſes puderet te illius accutiſsimæ diſtinctionis *recitatiuè, non diſpoſitiuè.* Sed quoniam fortaſſe eorum tibi copia non eſt, aut legendi voluptas; audi ſaltẽ tuum ſodalem virum doctiſsimum Vincentium Iuſtinianum Antiſt tuæ familiæ alumnum non pœnitendum, qui in libro de vita B. Ludouici Bertran, ſancti Dominici fauſtiſsimæ prolis cap. vltimo hæc habet à nobis latio donata (nam Hiſpanicè ſcripſit:) *Tertia conſideratio eſt, quòd iuxta Theologorum doctrinam Summus Pontifex errare non poteſt in confirmatione Religionum, confirmans videlicet aliquam, cuius præcipuum inſtitutum, aut malum ſit, aut falſum. Hoc animaduerſo ſciendum eſt, quòd egregia Dei ſamula Beatrix de Silua Luſitana poſt quandam reuelationem, in qua apparuit ei Angelorum Regina cum tunica, & ſcapulari candido, & pallio cæruleo, ſe contulit in domum noſtram S. Dominici Regij Toletani, vbi per triginta annos piam vitam duxit. Ibi duodecim monialibus eiuſdem Monaſterij conſilium ſuum aperuit, inſtituẽdi videlicet religioſum ordinem in honorem Conceptionis Immaculatæ Reginæ cæleſtis, cui deinde authoritate Innocentij Octaui initium dedit, & quem poſtea confirmauit Iulius Secundus anno* 1511. *decimoſeptimo die Septẽbris, vt ex eius diplomate liquet. Quod ſi legerent nonnulli Doctores, planè perſpicerent, quanto fauore pro*

Iuſtinianus Antiſt

ſequa-

ſequatur Sedes Apoſtolica hanc deuotionem. Certè S. Bernardus, S. Thomas, & S. Bonauentura eo contenti eſſent.

Nam poſtquam dixit Pontifex in primo capite regulæ quam monialibus præſcribit, eas qui hanc religionem ingrediuntur, id facere vt honorent Conceptionem Immaculatam Matris Dei; addit in ſecundo capite huius inſtituti profeſsionem eſſe ſingulare obſequium Reginæ cœli, præcipitque, vt vota emitant ſub hac formula. Ego N. ob amorem, & ſeruitium Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem genitricis voueo, &c. *In tertio vero capite ſtatuit, vt Moniales induant habitum, & ſcapulare album, pallium vero cœleſtis coloris, & huius præcepti cauſam reddit, vt videlicet veſte ipſa ſignificent Sanctiſsimam Dominæ noſtræ animam à ſua creatione factam fuiſſe ſingularem Filij Dei thalamum. Rurſus capite quarto ait optare ſe, vt in dies augeatur deuotio erga Conceptionem Matris Dei: adeò autem creuit hæc religio, vt anno 1587. quo monaſteriorum eius initus eſt numerus, ſupra quadraginta in Hiſpania, & nouo Orbe inuenta ſint. Et quamuis huius ordinis Moniales non profiteantur regulam ſanctæ Claræ, ſed propriam à Iulio Secundo conceſſam, ſubſunt tamen Religioni ſancti Franciſci, quoniam, vt ibi dicit Pontifex, eius Fratres in defendenda puriſsima Conceptione egregiam, & ſtrenuam operam nauarunt. Denique capite decimo vult, vt in omnibus feſtis ſimplicibus, &* 165.

Dominicis diebus, præter principaliores, recitent officium Conceptionis iuxta proprium Breuiarium. Hæc ille.

166. Ex quibus euidentiſsimè liquet in diplomate Iulij ſecundi (cui inſertæ ſunt conſtitutiones) non recitatiuè tantùm contineri titulum Immaculatæ Conceptionis, ſed diſpoſitiuè, & approbatiuè; niſi recitare eſt præſcribere formam vouendi ob ſeruitium Immaculatæ Conceptionis; præcipere, vt induant habitum album, & cæruleum ad ſignificandum animam Virginis à ſua creatione cœlo ipſo fuiſſe puriorem; optare, vt hæc deuotio creſcat, & augeatur; iubere vt toties in anno officium Immaculatæ celebretur. Hæc ſi tantùm recitat Pontifex; nihil diſponit, nihil approbat, nihil præcipit. Quod vero reſpōdes approbationem ad vouentium pietatem referri, non ad titulum vanum eſt; cum Conceptio Immaculata non tantùm ſit titulus huius religionis, ſed obiectum, quod religioſè colitur; in cuius honorem vota emituntur, in cuius ſignificationem veſtis candida, & hyacintina induitur. Itaque pietas à titulo nequit ſeparari, ſed illum neceſſariò reſpicit, tanquam id in ordine ad quod hæc ſpecialis religio conſtituitur, & ab alijs diſtinguitur. Quare non poteſt, vt ab alijs diſtincta, approbari, niſi approbetur ſubiectum,

quod

quod colit. Vnde etiam ſit approbato hoc pio modo viuendi, modum etiam opinandi, cui innititur, comprobari, cum ſine hoc modo opinandi ſubſiſtere non poſsit hic modus piè viuendi, idemque ſit obiectum huius pietatis, & huius opinionis.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 25.

MAgna vis ſit in eo, quod Summi Pontifices quomodocumque aliorum, vel pietati, vel opinioni obſecundantes titulum Immaculatæ Conceptionis in ſuis Bullis admiſſerunt, quamuis recitatiuè, non tamen illi definitiuè adhærendo. Quare ergo titulum eundem non admittet Summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo, & ita opinantium pietatem tantummodo pie fouendo? quæ totius obiectionis ſumma videtur. 167.

§. XXV.

LIBELLATOR CORRVMPIT ARGVmentum defenſorum Immaculatæ.

Capite 4. num. 34. monuimus nullum nos vi- 168.

diſſe

diſſe Libellum ſupplicem ex his, quos Immaculatæ defenſores in Vrbe obtulerunt: quare quibus argumentis vſi fuerint, aut quàm fideliter ea referas, ignoramus. Illud tamẽ, quod ad præſens argumentum attinet, affirmare audemus, te non ſatis ſincera fide illud, qualecumque fuerit, retuliſſe. Ita enim proponis, quaſi Immaculatæ defenſores fateantur Pontifices recitatiuè tantùm in ſuis Bullis titulum admiſsiſſe, & idem ab Innocentio X. præſtari optent. Sed cum exploratum ſit Pontifices in ſuis decretis titulo Immaculatæ Conceptionem ornaſſe non recitatiuè, ſed diſpoſitiuè, & approbatiuè; non potuit vllus Immaculatæ defenſor in ſuo Libello recitationem ſolam fateri. Neq; nunc ab Innocẽtio efflagitamus vt ſuis Bullis titulũ inſerat; ſed ne patiatur nobis prohiberi, vt in noſtris libris, & vbi libuerit, adijciamus. Deinde illa verba: *quãuis recitatiuè, nõ tamẽ illi definitiuè adhærendo*, tua ſunt, nõ alicuius ex noſtris; qui his artibus perſuadere cupis Põtifices quia non definiunt Immaculatam, duntaxat recitare, quaſi nihil medium ſit inter definitionem, & ſolam recitationem. Sed res longè aliter ſe habet. Fatemur Pontifices non adhærere titulo Immaculatæ definiendo; negamus tamen ſolum adhærere recitando, adhærent enim approbando, quod neque definire eſt, neque tantum recitare.

Qua-

Quare meritò dixerimus te argumenta fingere quæ ſoluas, certè noſtra corrumpere.

Nunc audi argumentum, quo fortaſſe aliquis ex noſtris vſus eſt in Vrbe, cuius tamen ſummam tu non proponis fideliter. Demus gratis (neque enim verum eſt) Pontifices in ſuis Bullis recitatiuè tantum admittere titulum Immaculatæ; hinc manifeſté ſequitur nõ eſſe nobis eius vſum prohibendum. Cum enim recitant, ſupponunt à nobis tribui; & tamen non prohibent, ergo ſaltẽ permittunt, & liberam relinquunt facultatem tribuendi. Cur ergo prohibeat Innocentius, aut ab aliquo ſinat prohiberi? Hæc eſt ſumma obiectionis noſtræ; cui, quid reſpondeas, videamus. 169.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 26.

SEd, & nos interrogando obiectionem ſoluemus antiquiora repetentes. Nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui non recitatiuè, nec dubitanter; ſed aſſertiuè, & clarè docent Beatiſsimam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Damus pro nunc Innocentij Secundi verba: Eua ſiquidem ſine culpa producta, ſed filios produxit in culpa; Virgo autem 170.

glo-

glorioſa fuit quidem in culpa producta, ſed filiũ ſine culpa produxit. *Innocentij Tertij:* Spiritus Sanctus prius in Virgine venerat, quando in vtero Matris animam eius ab originali peccato mũdauit. *Innocentij Quinti:* Beata Virgo fuit in vtero Matris ſanctificata, nõ ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipſa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxiſſet, & ſic non eguiſſet vniuerſali Chriſti Redemptione, quod non eſt dicendum, ſed piè conſiderandum eſt, quod cito poſt animationem vel ipſa die, vel hora, non tamen ipſo momento á peccato fuit per gratiam mundata, & ſanctificata; aliter fuiſſet æqualis puritatis cum Chriſto, hoc non eſt dicendum.

§. XXVI.

NVLLVS ROMANVS PONTIFEX, poſtquam Apoſtolicum culmen aſcendit, aſſeruit aut ſcripſit, B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam.

171. QVID ais, mi homo? nouem Pontifices habes *aſſertiuè, & clarè* tuam ſententiam docentes, & tres tantúm producis? Nimis oſcitanter rem tuam agis. Sed conſulebas breuitati.

uitati. Cur ſaltem nomina non expreſsiſti, ne fatigaremur quærentes? Inueniſſe tamen putamus. Neque enim alios eſſe credimus, quam eos quos Bandellus congeſsit, alijque ex tuis; videlicet Leonem primum, Gregorium Magnum, Honorium III. Bonifacium III. Innocentium II. Innocentium III. Clementem Sextum, quos ex Bandello refert Ægidius Luſitanus lib. 3. q. 4. art. 2. §. 1. & 2. Quibus adde Innocentium Primum, quem idem Bandellus adducit in ſuo officio de ſanctificatione lectione quinta, & in diſputatione ſolemni, Zoſimum denique, cuius etiã teſtimonio vſos tuæ ſententiæ defenſores teſtatur Ambroſius Catharinus lib. 2. de Conceptione. Quibus omnibus ſi addas Innocẽtium Quintum (quem tu refers) decem omnino Pontifices, non nouem duntaxat, enumerare debuiſti, in hoc non ſatis diligens.

Ægidius Luſitanus. *Bãdellus.* *Ambroſ. Catharin.*

172\. Sed bene eſt quod ferè omnes abſque vllo prorſus fundamento pro tua ſententia adducuntur. *Leonem Primum* abunde explicat Ægidius loco citato num. 88. & ſequentibus. Certe eius teſtimonio non eſt vſus Caietanus, tractatu de Conceptione, quamuis ex Bandello aliorum verba tranſcripſit, nempè quia vidit nihil propoſito deſeruire. Quin & Ferdinãdus Salazar cap. 42. ſæculo quinto quædam S. Leonis teſtimo-

Ægidius *Caietanus.* *Salazar.*

nia non inepte pro noſtra ſententia expendit. *Innocentius* deinde primus, & *Zoſimus*, nihil de B. Virgine pronuntiarunt, tantúm aduerſus Pelagium, & Cœleſtium decreuerunt omnes, qui ex Adã ſeminali propagine ducunt originem, peccati primi labem incurrere. Sed eiuſmodi vniuerſales locutiones nihil piæ ſententiæ officere, & ex Tridentino conſtat, & docuit Caietanus tractatu citato, & prima ſæcundæ. Teſtimonijs vero *Gregorij Magni* à Bandello adductis non eſſe cur quiſquam, vel mediocriter doctus, moueatur, monuit Ægidius loco citato, num. 99. tan facilẽ habent explicationem. *Honorius* quidem Tertius ſermone de Purificatione ſcribit Altiſsimum Virginem *in vtero Matris ab originali peccato mundaſſe*. Sed mundandi Verbum præſeruationi etiã conuenire docuit Diuus Thomas 3 part. quæſt. 55. art. 4. ad 1. & nos late oſtendemus in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis multis ſanctorum Patrum adductis teſtimonijs, qui etiam loquentes de Chriſto aliquando eo verbo vtuntur. *Bonifacius* Tertius propoſitionem vniuerſalem pronũciat, quam nihil inſtituto noſtro nocere manifeſtum eſt ex dictis. Cum ergo hi ſex Pontifices in locis á Bandello citatis, aut ne nominent quidem B. Virginem, vt Innocentius Primus, Zoſimus, & Bonifacius, aut nihil con-

S. Thom.

tra eam pronuncient; qua fronte auſus es affirmare nouem Romanos Pontifices, *non recitatiuè nec dubitanter, ſed aſſertiuè, & clarè docere B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam?* paulò ante tribuebam oſcitantiæ, quod ex nouem Pontificibus trium duntaxat verba produceres, aliorum nomina etiam taceres; ſed iam video non oſcitantiam fuiſſe, ſed calliditatem, ne lector videret, quam falsò iactes illud *aſſertiuè, & clarè docent*.

Nunc veniamus ad Innocentios, quos tres é duobus facis, tribuens videlicet Secundo, quæ ſunt tertij. Ridiculum ſanè. Qui nouem Pontifices habere gloriabaris, nunc tres ſaltem producere in medium non potes, niſi vnum in duos ſeces. Quo iure id facias, tu videris. Fortaſſe, quia binarius numerus in ternario comprehenditur, putaſti Innocentium Secundum in tertio contineri. Sane verba, quæ ſecũdo tribuis, tertij ſunt. Legũtur enim in ſermone eius de Aſſumptione. Innocentius verò Secundus nullos ſermones ſcripſit, vt ante me notauit Ægidius Luſitanus lib. 3. quæſt. 4. art. 2. num. 145. Certe Baronius tom. 12. & Angelus Manrique Epiſcopus Pacenſis tom. 1. Annalium Ciſtercienſium, qui ab anno 1130. huius Innocentij res geſtas latiſsimè referunt, eiuſmodi operis non meminerunt; neque Bellarminus, qui tamen Innocentios III. 173.

Ægidius Luſitanus. *Baronius* *Angelus Mãrique* *Bellarminus.*

IV. & V. inter ſcriptores Eccleſiaſticos recenſet. Falsò ergo tribuis Innocentio Secundo, quæ ſunt tertij, ſecutus videlicet Bandellum, qui nō ſemel in recēſendis teſtimonijs lectori imponit.

174. Quod vero ad Innocentium III. attinet, ſunt, qui primum eius teſtimonium *de obligatione & debito culpæ* interpretentur, vt habes apud Ægidium nuper citatum. Secundum vero nihil probat, nam quód animam Virginis dicit *mundatā ab originali peccato*, nō excludit præſeruationē, iuxta ea quæ diximus num. 172. reſtat Innocentius V. cuius teſtimoniū clarius eſt pro tua ſententia, quā uis etiam non deſint, qui eum pro noſtra referant

Salazar. teſte Ferdinando de Salazar cap. 42. ſæculo 13. Sed quidquid ille ſenſerit, manifeſtum eſt verba quæ adducis, deſumpta eſſe ex 3. ſent. diſt. 3. quæ commentaria ſcripſit ille, dum erat Petrus de Tarantaſia, non Innocentius Quintus, hoc eſt priuatus homo, & Doctor Pariſienſis, non Summus Pontifex. Et tamen tu hoc diſsimulans, rotundè inter Pontifices tibi fauentes enumeras, vt opponas illis, qui in ſummo Eccleſiæ vertice conſtituti, non adhuc vt Doctores, ſed vt Pontifices, & Apoſtolica authoritate vtentes pro Immaculata Conceptione aliquid ſtatuerunt. Idem dicimus de Innocentio Tertio, qui, vt demus contra Immaculatam ſenſiſſe in locis à te adducti

ctis,

ctis, eiuſmodi tamen ſermones ſicut & alia eiuſdem generis opera non fuiſſe ab eo ſcripta in Sũmo Pontificatu, ſed cum priuatus ageret, manifeſtum eſt. Nam cũ eſſet Cardinalis, varios ſcripſiſſe tractatus ſumma eruditione, & pietate plenus, teſtis eſt Baronius, ex cuius ſchedis deſumpſit Spondanus ſecunda parte Epitomes anno 1198. num. 5. Baronius vero ex vita eius exactiſſimè, & fideliſsimè deſcripta, accepta ex Archiuo Auenionenſi. Bzouius vero tom. 13. eodem anno num. 1. inter opera, quæ Innocentius, cum adhuc eſſet Cardinalis, elucubrauit, *Sermones* recenſet. In hac ergo controuerſia, in qua de Romanorum Pontificum decretis authoritate Apoſtolica editis agitur; fucum facis lectori, dum pro Ioanne Lothario, & Petro de Tarantaſia, Innocentium Tertium, & Quintum producis. *Baron.* *Spondanus.* *Bzouius.*

175. Idem eſto iudicium de Clemente Sexto, cuius verba refert Ægidius vbi ſupra num. 147. ex ſermone ſuper illa verba, *erunt ſigna in Sole, & Luna*, quem tamen ſcripſiſſe, cum iam eſſet Pontifex, abſque vllo prorſus fundamento affirmabitur. Adde quòd in eo loco nihil contra noſtram ſententiam docet, nam quód aſſerit Virginem in peccato originali conceptam, facilem habet explicationem, nempe nomine Conceptionis intelligit formationem fœtus, ſicut, & Bernardus

Digitized by Google

cuius authoritate vtitur. Quod vero ſubdit: *B. Virgo fuit ſub peccato originali per aliquam morulam, & ſtatim poſt fuit ſanctificata*, cum non de animatione, ſed vt ſupra de Cõceptione, hoc eſt, formatione loquatur; ſenſus eſt, dum conciperetur, ideſt, formaretur eius corpus, ſubiacuiſſe infectioni peccati, ſed pauló poſt contigiſſe animationem (ipſa videlicet die formationis, vt quibuſdam placet) & in ea ſanctificatam fuiſſe. Atque hanc eſſe eius mentem (niſi mauis mutaſſe ſententiam) inde patet, quia noſtram non ſemel alibi docuit, ideoque Ioannes de Colonia Franciſcanus, cuius *quæſtiones Magiſtrales* in Scotum habeo cuſas Baſileæ anno 1510. quæſt. 237. cum Cathalogum texeret ſelectiorum authorum noſtræ ſententiæ, tres tantúm è quolibet ſtatu, ordine, & profeſsione, eoſque præcipuos, enumerans; á Clemente Sexto orditur his verbis: *Clemens Sextus in tractatu de Annuntiatione ſuper verbo: Tota pulchra es, & ſuper verbo: Hæc eſt domus Domini.* Quare immeritò Ægidius fatetur Clementem Sextum nobis aduerſari.

Ioãnes de Colonia.

176. Hinc tandem liquet, quod in epigraphe huius § aſſeruimus, nullum ex Romanis Pontificibus, poſtquam Apoſtolicum culmen aſcendit, docuiſſe B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Quare ſi qui ſunt, qui ante Pontificatũ

id

id ſenſerint, tamen eum adepti ſententiam mutarunt, certè nullo fauore tuam proſequti ſunt, vt eius ſectatoribus exprobrat Catharinus diſputatione ad Tridentinum part. 2. & Iuſtinianus Antiſt in vita B. Ludouici Bertran, vterque Dominicanus. Sed iam videamus, qua ratione ſoluas argumentum num. 25. propoſitum. *Catharinus. Antiſt*

LIBELLVS SECVNDVS, Num. 27.

QVare ergo Sãctiſsimus D.N. Innocentius X. Innocẽtios prædeceſſores (quomodocũque locuti fuerint) laudabiliter non ſequetur? quidquid pro reſponſo afferatur, & noſtrã, & ipſorum obiectionem ſoluet. Status quæſtionis, temporum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pontificum decreta attendẽda ſunt. Hæc loquendi formulas prudenter ac prouidè moderantur, atque præſcribunt. 177.

§ XXVII.

LIBELLATOR ARGVMENTO SVO conuincitur.

Sanctiſsimum Innocentium, qui nunc clauum tenet, imitari vis Innocentios prædeſſores ſuos, 178.

ideò ex nouem Pontificibus tibi fauentibus ſolos Innocentios retuliſti. Sed mala fide, nam pro Innocentijs Ioannem Lotharium, & Petrum de Tarantaſia venditas, eoſque, cum adhuc priuati eſſent, tanquam prædeceſſores imitandos Innocentio X. proponis. Reprehendit te iam olim Pius Secundus in reuocatione eorum, quæ ante Pontificatũ (cum erat Æneas Siluius) ſcripſerat quæ incipit: *in minoribus*, & extat tom. I. Bullarij nouiſsimi pag. 294. vbi §. I. ita loquitur: *Verẽdũ eſt ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obijciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pij.* Sed age conueniamus, vt noſter Innocẽtius Innocẽtios imitetur. Innocentius Septimus confirmauit decretum Academiæ, & Epiſcopi Pariſienſis damnantium propoſitiones quaſdam Ioannis, Monteſoni aduerſus Immaculatam Virginis Conceptionem, vt refert Gaguinus in hiſtoria Francorum in Carolo Sexto, conſtatque ex tractatu contra prædictas propoſitiones, qui extat ad calcem magiſtri ſententiarum Pariſijs 1537. & Nicolai de Orbellis Venetijs 1507. nam cum Monteſonus ad Pontificem prouocaſſet, iuſſus eſt Pariſijs palinodiam canere. Imitetur ergo Innocentius Decimus Septimum, & iubeat te retractare propoſitiones vtriuſque Libelli, quibus Eccleſiam non aliud quàm ſanctificationem Virginis cele-

Gaguinus.

Digitized by Google

brare aſſeris contra decretum Sixti Quarti, eas etiam in quibus de tua ſententia diſſeris, & noſtram impugnas contra decreta Pauli Quinti, & Gregorij XV. audens etiam eam notare, quòd apocriphis definitionibus, confictis reuelationibus, ſomniatis miraculis nitatur, vt aſſeris in hoc Libello ſecundo num. 30. Sane multò dignior es, in quem animaduertat Pontifex, quam fuit Ioannes Monteſonus; hic enim quamuis temeré aſſerebat hæreſim eſſe affirmare B. Virginē non incurriſſe originale peccatum (huc enim attinent propoſitiones circa Conceptionem, quas iuſſus eſt retractare) tamen hæc piæ ſententiæ cenſura nondum erat prohibita à Sede Apoſtolica: Tu vero, quæ ſupra diximus, aſſeris, poſtquam prohibita ſunt, & tibi indictum ſilentium, adiectis etiam grauibus pœnis, quas contemnis. Imò quā tum inclines in propoſitiones Monteſoni, ſatis apparet ex dictis §. 11. *Quare ergo* (vt tuis verbis vtar) *Sanctiſsimus Innocentius X. Innocentium Septimum prædeceſſorem laudabiliter non ſequetur*, in te animaduertendo?

Deinde Innocentius Octauus confirmauit Ordinem Monialium Immaculatæ Conceptionis; eas iuſsit habitum geſtare coloribus ſuis exprimentem Conceptionis puritatem; proprium eis Breuiarium deſtinauit, & approbauit, in quo 179.

Digitized by Google

Conceptio dicitur *Immaculata, ſine labe, abſque originali, Puriſsima, Præſeruata, Sancta, Beata, Glorioſa,* alijſque elogijs ornatur. *Quare ergo Sanctiſsimus Innocentius X. Innocentium Octauum prædeceſſorem laudabiliter nonſequetur* his epithetis Conceptionē Virginis condecorando? Sanè pro duobus Innocentijs Tertio, & Quinto (nam ſecundum falſò refers) qui *quomodocumque,* id eſt ante Pontificatum, & non ſine explicatione, videntur contra Immaculatam ſenſiſſe, alios duos Innocentios adducimus, qui non vt priuati Doctores, ſed vt Pontifices, non *quomodocumque,* ſed planiſsimè Conceptioni fauent Immaculatæ; alter compeſcens Monteſonum, alter Conceptionem ipſam in Officio diuino tot honoribus cumulans. Si ergo *Innocentius Decimus, Innocentios prædeceſſores laudabiliter ſequetur,* quid obſecro laudabilius erit & Summo Pontifice dignius? vt imitetur Innocentios, qui non vt Innocentij, ſed vt priuati Doctores, quidquam ſcripſerunt; an vero eos qui, iam Innocentij, hoc eſt Pontifices, & Apoſtolica authoritate fungentes innocentiam Conceptionis commendarunt? tu iudica.

180. Sed age, maius aliquid tibi concedam. Imitetur Innocentius X. Innocentios á te adductos; nihil adhuc proficies. Innocentius Secundus nihil egit, aut ſcripſit contra Immaculatā; nihil ergo

agat Innocētius X. deinde Innocētius III. & V. ſcripſerūt quidē cōtra eā (vt explicationes omitamus) ſed cum priuati homines eſſent, & nondum Pontifices. Dic mihi obſecro, ſcripſit ne aliquid Innocentius X. contra Immaculatam Cōceptionem antequam Apoſtolicam Sedem conſcenderet? Minimé. Si ergo optas, vt hac in re Innocentios Tertium, & Quintum imitetur, impoſsibile optas. Sed ne tempus teramus, demus illos Innocentios ſcripſiſſe in Pontificatu, vel certè tuam ſententiam, quam ante Pontificatum tenuerunt, adhuc iam Pontifices retinuiſſe, & in illo ſenſu perſeueraſſe, nihilominus authoritate Apoſtolica, qua fungebantur, nunquam vſi ſunt aut pro tua ſententia, aut contra noſtram, nullis fauoribus tuam ſunt proſecuti, non prohibuerunt titulum Immaculatæ Conceptionis. Si ergo imitaturus eos eſt Innocentius X. non prohibeat titulum Immaculatæ, neque à quoquam ſinat prohiberi, quamuis ipſe priuatim tecū ſentiat, quod tamen negamus; nam & priuatus, & Pontifex multa ſuæ pietatis erga Conceptionem documenta dedit. Exempla ergo, quæ adducis, in tuum caput recidunt, cum enim contendis nō eſſe, cur *Innocentius X. Innocentios prædeceſſores laudabiliter non ſequatur*, ſatis probas non eſſe cur titulum Immaculatæ prohibeat, aut prohiberi ſinat,

Digitized by Google

quem illi nunquam prohibuerunt, aut permiſſerunt ab aliquo prohiberi.

181. Atque hinc tandem liquet, quàm inane ſit, quod addis: *Quidquid pro reſponſo afferatur, & noſtram, & ipſorum obiectionem ſoluet.* Quid ſi malè reſpondeamus, aut extra rem? An id etiam tuam obiectionem ſoluet? Infirma ſanè eſt, & futilis, quæ ſoluitur quolibet reſponſo. Sed videamus, an reſponſio noſtra noſtrum etiam ſoluat argumentũ. Aliquis ex noſtris ita argumentabatur ſupra §. 25. *Pontifices in ſuis Bullis, & decretis exprimunt titulum Immaculatæ ſaltem recitatiuè (vt id demus gratis) ſupponentes videlicet ita ab omnibus paſsim appellari Conceptionem, nec tamen prohibent: Cur ergo prohibebitur nobis eius vſus?* Tu contra obijcis: *habeo nouem Pontifices qui clarè docent Virginem in peccato originali conceptam, ex quorum numero ſunt tres Innocentij: Quare ergo eos non imitetur Innocentius X?* Hac interrogatione putas reſponderi noſtræ, & vtramque eandem ſolutionem admittere. Sed falleris vehementer. Tuæ enim reſpondemus in primis ſeptem ex illis Pontificibus nihil tibi fauere, falsòque eis tribui quòd *aſſertiuè, & clarè* contra Immaculatam pronuncient. An hoc ſoluit noſtram obiectionem? An falſum eſt in Bullis, & decretis Pontificum reperiri titulum Immaculatæ? Deinde reſpondemus duos Innocentios, & Clemẽ-

tem Sextum ſcripſiſſe ante Pontificatum. An hoc etiam ſoluit obiectionem noſtram, qui non quælibet ſcripta, ſed Pontificia diplomata, & decreta producimus? Tertio tandem reſpondemus, quidquid ſenſerint Pontifices, quos adducis, nullum tamen eorum vnquam prohibuiſſe titulum Immaculatæ. An hoc ſoluit argumentum noſtrum, qui Pontifices eo vtentes adducimus? obiectio ergo noſtra prorſus inſoluta manet, tua neque ad rem eſt, neque eget ſolutione.

Quòd vero in calce ſubdis: *Status quæſtionis,* 182.
temporum diſcretio, contentio inter fideles, poſteriora Pōtificum decreta attendenda ſunt, nō video qua ratione tuæ cauſæ prodeſſe poſsit. Hæc enim omnia pro nobis ſtant, poſteriora etiam Pontificum decreta, quæ quo recentiora ſunt, eo ſunt nobis fauorabiliora; niſi Pontificium decretum appellas illud, de quo diſceptamus, & quòd manifeſtum eſt à Sede Apoſtolica non fuiſſe approbatum. Sed de decretis poſterioribus iterum redibit ſermo §§. ſequentibus.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 28.

Habemus euidens experimentum nullatenus præter 183.

eun-

eundum. Erigitur à felicis recordationis Vrbano VIII. Religio militaris ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ inſtantibus Ducibus Mantuæ, & Niuernienſi. Quoties titulus exprimitur in Bulla incipiente imperſcrutabilis, *diligentiſsimè cauetur, vt verbum Immaculatæ iungatur Virgini, non autem Conceptioni. Et cum in aliqua impreſsione domi tunc facta titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepſiſſet, ſedulò mãdãte Papa emendatus fuit, & recollecta; vt probè intelligamus Vrbanum nolluiſſe in præſenti ſtatu quæſtionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo, non tantùm diſpoſitiuè, ſed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatem referendo; cum tamen Iulij Secundi, Leonis X. Sixti IV. non ignoraſſet exempla.*

§. XXVIII.

VRBANI OCTAVI SINGVLARIS ERGA Immaculatam Conceptionem pietas.

184. MIRABILE dictu. Si quis eſt Romanorum Pontificum, qui præ alijs fauit Immaculatæ Conceptioni, is eſt Vrbanus Octauus. Pontificatum ſuum orditus eſt ab inſtitutione militiæ Chriſtianæ ſub titulo Conceptionis, eamque quinque diplomatibus muniuit. Huius militiæ nouo exemplo fecit Eliſabethã Borbo-

niam Reginam Catholicam miſſo ad eam ſtemmate huius Religionis cum indulgentijs innumeris. Iecit fundamenta Templi Capuccinorũ in alma vrbe Conceptioni dicati primum lapidẽ collocans, atque in numiſmate *Vrbani, & Conceptionis* nomina amicè coniunxit, & poſteritati commendauit. Confratres Conceptionis Immaculatæ Conuentus Salmantini cumulauit indulgentijs. Pro celebrando feſto Conceptionis, & eius Octaua in Regio Gynezæo Matritenſi Diſcalceatarum S. Claræ mille aureos annuos perpetuò prouidit raro exemplo. Denique rariſsimo Monialibus Dominicanis oppidi de *Loeches* propè Matritum, quæ cum habitu ſancti Dominici effigiem etiam Immaculatæ Conceptionis geſtant, alios mille aureos annuæ penſionis conceſsit, & vt Romano Breuiario vtantur indulſit, & iuxta ipſum de ſanctis Ordinis Dominicani feſta celebrent. Et tamen non alterius Pontificis fortius in nos contorquet decreta Libellator, quam Vrbani; non alterius maiori confidẽtia opem, & auxiliares copias implorat. Quòd ſi miretur lector, & cauſam exquirat, perſpiciet vtique non aliam eſſe, quàm quòd Vrbanus in Bulla erectionis militiæ Chriſtianæ Conceptionem non appellat Immaculatam, cum eo epitheto ornet Virginem ipſam. Hinc in nos tam atrox

orta tempeſtas. Hinc incipiunt poſteriora decreta, antiquis contraria, quæ attendenda dicit Libellator. Itaque vnius voculæ ſilentium tam illuſtria eiuſdem Vrbani pro Immaculata Conceptione monumenta diſijcit, & euertit, & eum à prædeceſſorum ſuorum veſtigijs recedere oſtendit. O hominũ ingenia! adeò ne imperat voluntas intellectui? Adeò ne affectus, & contentio tranſuerſam agit mentem, vt in tam aperta luce album cogitet nigrum, nigrum album?

185. Sed *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Stat, ſtabitque teſtatiſsima Vrbani mens, & pietas erga Immaculatam. Id vt perſpiciat lector, nil alio opus eſt, quam vt, quæ circa Conceptionem egit Vrbanus, nobiſcum percurrat. Sed prius operæpretium erit argumentum, quod ex eius diplomate ſumit Libellator, diluere. Et quãuis ex dictis cap. 4. § 3. & 6. ſatis exploſum maneat, tamen multa ſuperſunt addenda. Dixeras (ò Libellator) num. præcedenti poſteriora Pontificum decreta *loquendi formulas moderari, atque præſcribere*, nempè vt oſtendas, quamuis antiquiores Pontifices titulum Immaculatæ tribuant Conceptioni, nunc non eſſe tribuendum, quia id poſteriora decreta præſcribunt. Huius rei *euidens* (ſi ſuperis placet) *experimentum* nobis venditas, ex erectione Militiæ Chriſtianæ ab

Digitized by Google

Vrbano VIII. vbi ille nouam loquendi formulam de Conceptione præſcribit. *Nam in ea diligentiſsimè cauetur, vt Verbum Immaculatæ iungatur Virgini, non autem Conceptioni.* Qui audit *diligentiſsimè cauetur*, putabit tertia quaque linea Conceptionis nomen in eo diplomate vſurpari, & tamen bis tantúm exprimitur in tota bulla, quanta eſt, & eſt ſatis longa. Vbi ergo eſt hæc *diligentiſsima cautio?*

At inquis, *cum in aliqua impreſsione domi tunc facta titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepſiſſet, ſedulò mandante Papa emendatus fuit & recollecta.* Huius rei fides penes te ſit. 186.
Nos & ſi non habemus, vnde falſitatis arguamus; habemus tamen, vnde tibi narranti non ſatis fidamus, quem parum fidelem non ſemel experti ſumus, vt ex ſuperioribus conſtat. Sed vt ita contigerit, tãtùm probas diſplicuiſſe Vrbano, quòd per errorem aut fraudem vox aliqua adderetur reſcripto Apoſtolico, quæcumque illa ſit. Vide quæ diximus cap. 4. num. 28. & 31. quòd autem ipſe in authographo Conceptionem non appellat Immaculatam, alias cauſas habet, quæ nihil minus probant, quam quòd propterea ab ea voce abſtinuerit, quia cenſuerit non eſſe tribuendam Conceptioni. Quare perperam ex eius ſilentio deducis, aut ipſum nouam loquendi for-

mulam præſcripſiſſe;aut eius exemplo prohibē-dum eſſe titulum Immaculatæ, quod ſequentia argumenta demonſtrant.

187. In primis quòd in eo diplomate non dicatur *Conceptio Immaculata Virginis*,ſed *Conceptio Virginis Immaculatæ*, non Vrbano adſcribendum eſt, ſed Ferdinando Mantuæ,& Carolo Niuernienſium Ducibus,Adolphoque Comiti ab Althan.Ipſi huius loquendi formulæ authores fuerunt, non Vrbanus Excogitauerant nouum Ordinem Militarem,qui appellaretur *Militia Chriſtiana Conceptionis Virginis Immaculatæ*. Inſtitutum, & titulum propoſuerunt Pontifici orantes,vt confirmaret. Approbauit ille. Itaque non fuit tituli inuentor,ſicut neque ordinis,ſed ab alijs ex cogitatos authoritate Apoſtolica muniuit.Hoc manifeſté patet ex ipſa Bulla,quæ incipit : *Imperſcrutabilis*, & extat tom.4.Bullarij nouiſsimi pag. 24. vbi initio ipſo præfatus quædam de Ordinibus Militaribus ſic loquitur Pontifex:*Quam ob rem inæſtimabili gaudio perfundimur, cum Principes viri, vel ad veteres eoſdem ordines amplificandos, vel ad nouos Apoſtolica authoritate inſtituendos,animos generosè cōuertunt.Verum præcipuè in Domino oblectamur, dum inſtitutionem vnius Militaris Religionis ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ meditantur.* Ecce Vrbanus teſtatur Principes illos viros mi-

Digitized by Google

litarem Religionem meditatos fuiſſe *ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ.* Ipſi ergo inuenerunt titulum, non Pontifex. Deinde §. *Nos igitur* poſt factam in præcedentibus precũ narrationem *huiuſmodi* (inquit) *ſupplicationibus inclinati vnam Militiam Chriſtianam nuncupandam, ſub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, &c. Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, & instituimus*: id ipſum conſtat ex tribus alijs diplomatibus tertio, quarto, & quinto. Vides ab Vrbano approbatam militiam ſub eo titulo, quem Principes illi propoſuerant.

Dices fortaſſe Duces Mantuæ, & Niuernienſium in ſupplici Libello petijſſe erectionem militiæ ſub titulo *Conceptionis Immaculatæ*, Vrbanum verò nolluiſſe ita approbare, ſed ſub titulo *Conceptionis Virginis Immaculatæ.* Sed hoc merum figmentum eſt, conuincitur enim manifeſtè, tum ex nuper expenſis, nam Pontifex teſtatur Duces illos meditatos fuiſſe militiam *ſub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ.* Ipſi ergo vocem *Immaculata* cum Virgine, non cum Cõceptione, coniunxerunt in ſupplici Libello. Tum etiam quia ita conſtat ex præfatione Pontificis, & precum narratione. Denique quia Pontifices cum preces narrant, non alijs verbis, quã quæ in ſupplici Libello continẽtur, vtuntur, ma- 188.

ximè in his, quæ pertinent ad formam petitionis, hoc enim eſt narrare preces. Quare Libello conformantur in narratione, quamuis in conceſſione nõ omnino idem, neque eiſdem verbis ſint conceſuri. Vnde cum ex diplomatibus non conſtet Duces illos alijs verbis vſos, quàm quibus Vrbanus rem proponit, & approbat, & ipſe quater aſſirmet ſe eorum precibus motum inſtituiſſe militiam ſub eo titulo, manifeſtum eſt eos petijſſe ſub titulo *Conceptionis B. Virginis Immaculatæ*, neque Vrbanum quicquam emendaſſe.

189. Nunc Libellator vide quid agas, dum ex diplomate formulam loquendi aucuparis, quæ alias, quamuis non contrarias, prorſus interdicat, & quam ſequi debeant Romani Pontifices, & vniuerſus orbis. Nempè quia Duces illi militiã á ſe excogitatam voluerunt appellari *Conceptionis Virginis Immaculatæ*, & id ab Vrbano obtinuerunt, actum eſt de titulo Immaculatæ Conceptionis; nulli iam licet Conceptionem ipſam appellare Immaculatam; Pontifices, ſi quid reſcribant circa materiam Conceptionis, cauere debent ne ei titulum *Immaculatæ* tribuant, ſed duntaxat Virgini, quamuis eorum prædeceſſores vtrique promiſcuè impertiant. Denique omnes fideles, quibus hactenus liberum fuit titulo Immaculatæ Conceptionem condecorare, hanc

etiam

etiam legem ſanctè obſeruare debent. Itaque Duces Mantuæ, & Niuernienſium legislatores ſunt generis humani, *& loquendi formulas moderantur, atque præſcribunt.*

Sed benè eſt quòd hi ipſi Duces, qui in ſupplici Libello titulum *Immaculatæ* non Conceptioni ſed Virgini tribuerunt, non alij Conceptioni, quàm Immaculatæ, dicabant militiam ſuã, vt tu etiam agnoſcis. Neque tamen putarunt ſe ſpe ſua fraudatos, quòd Vrbanus ſub titulo *Conceptionis B. Virginis Immaculatæ* militiam erexiſſet. probè enim nouerāt Militiam Sacram, non poſſe Conceptioni, niſi Immaculatæ, dicari; idque dignisſimè exprimi eo ipſo, quòd Conceptio dicatur *Virginis Immaculatæ.* Vnde tandem liquet quàm falſum ſit quod addis: *Vrbanum nolluiſſe in præſenti ſtatu quæſtionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo non tantum diſpoſitiuè, ſed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatem referendo, cum tamen Iulij II. Leonis X. Sixti IV. non ignoraſſet exempla.* In his verbis ſupponis Duces illos petijſſe militiã ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis*, Vrbanum vero abnuiſſe; adeòque cauiſſe ab hoc titulo, vt ne referendo quidem Ducum pietatem, voluerit exprimere, ideò *non tantum diſpoſitiuè, ſed nec etiam recitatiuè* eo non fuiſſe vſum. 190.

Sed hæc falſa omnino ſunt. Cum enim Duces 191.

in precibus nõ expreſsiſſent titulũ *Immaculatæ Cõceptionis*, nõ potuit Pontifex eum recitare, quid enim recitaret, quod illi nõ ſcripſerant? id nõ eſſet recitare, ſed è ſuo addere. Propter eandẽ cauſam nihil circa eiuſmodi titulũ *diſpoſitiuè* decreuit, nẽpè quia illi nõ petierunt. Neq; etiã fuit cur Iulij II. Leonis X. & Sixti IV. exẽpla, quæ nõ ignorabat, ſequeretur. In hoc enim diplomate id tantũ agebat, vt concederet iuxta ſupplicantium preces. Ideò ſub titulo *Conceptionis B. Virginis Immaculatæ*, Militiam erexit, quamuis probè nouerat potuiſſe etiam erigi ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis* prædeceſſorũ exemplo. Perperam ergo (ne dicam doloſè) exaggeras Vrbanum abſtinuiſſe á titulo Immaculatæ Conceptionis non ſolum *diſpoſitiuè*, ſed etiam *recitatiuè*, cum id non Pontifici, ſed ſupplicantium Libello, cui ſe conformauit, tribuendum ſit.

192. Sed quoniam prædictus titulus Militiæ Chriſtianæ, quamuis á Ducibus illis excogitatus, & propoſitus, tamen ab Vrbano approbatus fuit, & ſub eo inſtituta religio illa militaris; opportet nunc oſtendere ex eo Vrbani facto nihil deduci poſſe aduerſus titulum Immaculatæ Conceptionis. Et quidem res adeò certa videtur, vt meritò timeamus ne á doctis viris ſuperuacaneus cenſeatur noſter labor. Quid enim egit Vrbanus?

Con-

Digitized by Google

Conceptionem non appellauit Immaculatam. Quid inde? An propterea prohibuit? Si quia in Bulla *imperſcrutabilis* nō appellauit Immaculatā, appellanda non eſt; eodem iure Virgini ipſi is titulus non erit tribuēdus; nam in ſecunda Bulla, quæ incipit, *cum nos nuper militiam*, vbi magno Magiſtro amplam facultatem concedit, non ſolum Conceptioni, ſed Virgini etiam non tribuit eiuſmodi titulum: *Cum nos* (inquit) *nuper militiā Chriſtianam Conceptionis Deiparæ Virginis, Apoſtolica authoritate erexerimus, & inſtituerimus.* Ecce titulū etiam ordinis exprimens abſtinuit à voce *Immaculata*, neque in toto diplomate vnquam legitur. Perperam ergo ex ſilentio argumentum ſumitur.

At cum per errorem, aut dolum ea vox irrepſiſſet, iuſsit expungi. Sed id iam ſolutum num. 185. & nunc addimus meritó expunctam vocē, 193.
quæ præter Libelli tenorem, & Pontificis decretum addebatur á priuato quopiam ipſi titulo Religionis, in quo eandem vocem bis repeti ſuperfluum meritó cenſebatur, vt mox dicam. Denique quamuis daremus (quòd longiſsimé diſtat á vero, & vehementer cupit perſuadere Libellator) Vrbanum data opera abſtinuiſſe á voce *Immaculata*, quia id exigit præſens quæſtionis ſtatus ne cenſeatur definita Immaculata Conceptio,

ſi eo epitheto donetur á Romano Pontifice; tamen minimè inde ſequitur prohibendum eſſe Immaculatæ defenſoribus, ne eam ornent eiuſmodi titulo, cum illud periculum in priuatis ceſſet, in quibus nulla eſt definiendi authoritas. Vide quæ diximus capite 4. §. 6. præcipuè num. 34.

194. Sed res tandem clarius eluceſcet, ſi oſtenderimus quibus de cauſis in illo militiæ Chriſtianæ titulo Conceptio non dicatur Immaculata. Eæ autem plurimæ ſunt, & ſatis congruæ. Prima eſt, quòd cum illa militia in ipſius Conceptionis honorem, erigeretur; nil opus fuit eius immunitatem à peccato exprimere, cum res ipſa clamet non potuiſſe Religioſum Ordinem Conceptioni, niſi Immaculatæ, dicari. Vide quæ diximus cap. 4. §. 3. Secunda eſt. In titulo non ſolent epitheta exprimi, tum quia amat titulus breuitatē, tum quia honor quidam eſt, & excellentia rem ſuo nomine abſolutè proferre, quo audito laudes, & encomia intelligantur. Sic Eccleſia in Breuiarij Kalendario, & in corpore, vbi feſtorum tituli inſcribuntur, nuda nomina addijcit myſteriorum, & ſanctorum; quibus tamen in officio ipſo ſacratiſsima elogia abundè impertit. Ita enim habent tituli *In Natiuitate*, *in Epiphania*, *in Aſcenſione Domini*, *in feſto Pentecoſtes*, *in Dominica Trinitatis*;

nitatis, in feſto Corporis Chriſti, in Natiuitate, in Annũtiatione, in Aſſumptione Virginis, &c. Cum ergo *Conceptio* ſit titulus illius Militiæ, ſat fuit eam appellare *Militiam Conceptionis*, ipſa enim dedicatio, & conſecratio ſatis continet Conceptionis elogia.

Tertia ratio. Cum in Militiæ titulo Virgini tribuatur epithetum *Immaculatæ*, ſuperfluè tribueretur Conceptioni, tum quia affectata videtur oratio, quæ in paucis verbis eãdem vocem repetit, vt ſi dicas *Conceptio Immaculata Virginis Immaculatæ*; tum maximè, quia vox *Immaculata* adiecta Virgini afficit etiam Conceptionem, ſignificat enim carẽtiam cuiuſcumque maculæ, quod verum non eſt, niſi Conceptio caruerit originali. Neque hoc diſplicere poteſt Libellatori, qui eã vim ſignificandi tribuit voci *Immaculatæ*, vt vidimus §. 20. certè quoties adiungitur Virgini, omnem prorſus maculam excludit, &, ſi de Conceptione ſit ſermo, ſignanter excludit originalem. Propterea cũ tot ſint elogia, & epitheta B. Virginis, tamen, cum de eius Conceptione agitur, aut de peccato originali, vox *Immaculata*, *& Intemerata* (quæ eiuſdem ſignificationis eſt) præ alijs eligitur Virgini coniungenda. Vti fecit Sixtus Quartus in extrauaganti *cum præexcelſa*, vbi inquit: *de ipſius Immaculatæ Virginis mira Conceptione*, 195.

Sixtus Quartus.

& in vtraque extrauaganti *graue nimis: De Intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione.* Idem præſtitit Alexander Sextus in Bulla *illius qui*: & (vt alia exempla omittamus) Tridentinum decreto de peccato originali, cum declarat *non eſſe ſuæ intẽtionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariã.* non otioſé in his locis *Immaculatæ* epitheto, alijs omiſsis, Virgo condecoratur, nempé vt puritas eius in Conceptione ſignanter denotetur. Hæc ergo exempla ſequutus Vrbanus Militiam dedicat *Conceptioni B. Virginis Immaculatæ.*

Alexander VI. Conciliũ Tridentinum.

196. Sed adhuc non quieſcis, & obijcis. Cur non dicauit *Immaculatæ Conceptioni B. Virginis?* Hac enim ratione clarius exprimeretur immunitas, breuitati tituli nõ minus cõſuletur, & vitaretur vocis redundantia adiuncta duntaxat Conceptioni, non Virgini. Cum ergo in quatuor Bullis quæ ad hanc militiã pertinent, quarum initium eſt *Imperſcrutabilis, Orthodoxæ fidei, Cum nos nuper ſupplicationibus, & Aliàs ſupplicationibus*, quinquies titulum Militiæ exprimat, & ſemper Virgini adiungat epithetum Immaculatæ, nunquam Conceptioni; manifeſtum eſt id conſultò feciſſe, innuiſſeque non eſſe ei tribuendum.

197. Sed hæc obiectio ſatis ex dictis exploſa manet, nempe id egit Pontifex iuxta petentium

pre-

Digitized by Google

preces. Præterea aliunde etiam euaneſcit. Nam (& eſt quarta ratio) ſatius fuit, Virgini, quam Cõceptioni vocem *Immaculata* coniungere. Primũ, quia Virgini adiuncta exerit omnes vires ſuas, & plenitudinem puritatis ſignificat, excludens omnem maculam ſiue originalem, ſiue actualẽ: at Conceptioni tributa non ita eminet, reſtringitur enim ad maculam originis, qua tantum potuit infici Conceptio. Deinde reſpectu etiam Conceptionis nobilius ſignificat effectum, quẽ illi tribuit, coniuncta Virgini, quàm ſi Conceptioni ipſi iungatur. Indicat enim originem, & fontem, vnde Conceptioni prouenit, quòd ſit Immaculata, nempè gratiam, quæ animæ Virginis inhæret: Virgo enim non eſt Immaculata ex vi ſuæ Cõceptionis, ſed ex beneficio Dei infundẽtis illi gratiã in ipſo Conceptionis momento. Quare (vt more ſcholaſtico loquar) hæc cauſalis eſt vera: *Quia anima Virginis eſt Sãcta, & Immaculata in momento Conceptionis; Cõceptio ipſa eſt Sancta, & Immaculata,* non è contra. Ad hæc, Virgo eſt Sancta, & Immaculata intrinſecè per gratiam, & carentiam maculæ ipſi inhærentem: Conceptio vero, eſt Sancta, & Immaculata ſolum extrinſecè per denominationẽ à gratia, & puritate, quæ eſt in Virgine. Conceptio enim neque intrinſecè poteſt habere gratiam, neque culpam; ſed ſancta dici-

tur à ſanctitate animæ; maculata vero, tum ab infectione ſeminis ex debito, & quaſi radicaliter, tum formaliter á macula animæ inhærente, quæ omnia, Conceptioni ipſi extrinſeca ſunt. Nobilius ergo ſignificatur puritas Conceptionis coniungendo cum *V*irgine epithetum *Immaculatæ*, quàm ſi cum Conceptione ipſa coniũgatur. *V*nde conſultiſsimè *V*rbanus vocem *Immaculata V*irgini adiunxit, non Conceptioni.

198. Atque hæc ratio adeò efficax eſt, vt etiam ſi demus Duces illos in ſupplici libello petijſſe ab *V*rbano inſtitutionem Militiæ *ſub inuocatione Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*; ipſum vero nolluiſſe ita concedere, ſed emendaſſe titulum, & erexiſſe *ſub inuocatione Conceptionis B. Virginis Immaculatæ*; tantùm abeſt vt hinc colligatur Pontificem minus fauiſſe puritati Conceptionis, aut indicaſſe non eſſe ei tribuendum Immaculatæ epithetum; vt potius inde amplius roboretur. Non enim cõtentus fuit honorem puritatis Conceptioni impertire, ſed cauſam etiam, & fontem vnde ei is honor prouenit, quaſi digito monſtrare. *V*nde etiam fit, ſi fortè *V*rbanus (quod adeò exaggerat Libellator) vocem *Immaculata* per errorem, aut fraudem in editione diplomatis Conceptioni adiunctam iuſsit expungi, eo facto impenſius fauiſſe Conceptioni.

Digitized by Google

At, inquis, ſi res ita ſe habet; ſeruetur ergo decretum ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, quo iubetur, vt Immaculatæ titulus Virgini ipſi, non Conceptioni tribuatur; ſiquidem id præſtabilius eſt, & ſignificantius. Sed *ad populum phaleras.* Decretum prohibet apponi Conceptioni titulum Immaculatæ. Hoc autem contra ius ipſius Conceptionis eſt, quæ ſicut puritatem à termino *ad quem,* hoc eſt Virgine gratia induta participat, ita iure optimo dici poteſt, & debet Immaculata. Neque idem eſt ſignificantius exprimi puritatem Conceptionis, ſi, quando de ea, & Virgine eſt ſermo, vox *Immaculata* Virgini coniungatur; & prohibere, vt nunquam tribuatur Conceptioni. Hæc contraria ſunt, cum ea prohibitio illã præſtãtiam ſignificationis excludat; innuit enim poſſe Virginem eſſe Immaculatam, quin ea puritas redundet in Conceptionem, atque adeò Virginem non fuiſſe Immaculatam in eo momento, quo fuit Concepta. Relinquitur ergo, & titulũ Immaculatæ non eſſe inuidendum Conceptioni; & eius etiam puritatem comprobari quoties, cum de Conceptione eſt ſermo, Virgo appellatur Immaculata. Vt intelligas (Libellator) toties Vrbanum Octauum puritati Conceptionis fauiſſe, quoties Virginem, cuius Conceptioni Militiam conſecrat, appellat Immaculatam. 199.

Nunc

200. Nunc reliquum eſt, vt, quod ex verbis Vrbani oſtendimus, ex factis etiam oſtendamus. Ea autem ſunt, quæ ſupra num. 184. retulimus. Inprimis Militiam Chriſtanam dicauit Conceptioni. Quid amplius ratiocinationibus fatigamur? potuitne ſacer, & publicus cultus hac dedicatione exhiberi, niſi Conceptioni puriſsimæ & à peccato originis immuni? Sed expende circunſtantias. Militiam hanc erexit *ſub Regula ſancti Franciſci*, quod non ſemel repetit in diplomatibus. Quid commune habet ſanctus Franciſcus cum militibus? Cum militibus Conceptionis plurimum, nempè ipſam Conceptionem. Vt intelligas non alio ſenſu Conceptionem accipi ab Vrbano, cum ei militiam conſecrat, quàm quo Seraphicus ordo eam veneratur, & defendit, videlicet Puriſsimam, Præſeruatam, Immaculatã propterea que æquiſsimum eſſe, vt ſub Regula ſancti Franciſci militent, qui militant Conceptioni. Hoc fuiſſe Vrbani conſilium, ſi adhuc non credis, intelliges ex ſimili facto Iulij Secundi, qui Moniales Immaculatæ Conceptionis ſubiecit Ordini ſancti Franciſci, quamuis initio erant Ordinis Ciſtercienſis, & poſtea non ſanctæ Claræ Regulam, ſed propriam ab eodem Iulio approbatam profitentur. Redditurus enim rationem huius ſubiectionis, ad Fratrum Minorum

ſtu-

ſtudium,& vigilantiam erga puritatem Dei Genitricis recurrit: *Volumus etiam* (inquit) *quòd ex quo Fratres Minores tam indeſeſo ſtudio, & vigilantia puritatis, & innocentiæ Dei Genitricis deſenſores exiſtunt, Vicarij Generales in ſuis Vicarijs, & Prouinciales, & Cuſtodes in ſuis Prouincijs, & Cuſtodijs ſint Viſitatores huius ſanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, &c.* *Iulius II. in conſtitut. c. 4.*

Præterea eandem Vrbani mentem apertiſsimè teſtatur ſtemma Militiæ Chriſtianæ quod, vt deſcribitur cap. 2. Conſtitutionum huius Ordinis, eſt *Crux aurea notis vermiculata cærulei coloris, quæ in medio habeat ex vna parte Imaginem Conceptionis circundatam cingulo S. Franciſci; ex alia verò Imaginem S. Michaelis Archangeli. Tænia vero, ſeu faſcia, cui ex collo Crux pendebit, ſerico cæruleo, atque albo intexta erit.* Hoc ſtemma approbauit Vrbanus VIII. confirmans Conſtitutiones huius Ordinis diplomate quinto, cuius initium eſt *aliàs ſupplicationibus*, miſsitque Eliſabethæ Reginæ Catholicæ, vt mox dicemus. Nihil eſt in hoc ſtemmate, quod Immaculatam Conceptionem non clamet, habent enim ſymbola, & Hieroglyphica ſuam linguam. Imago Virginis Conceptionẽ refert; depingitur enim (vt præcipitur eodem ſecundo capite conſtitutionum) *prout myſterium Cõceptionis eius deſignãs, illam refert amictam Sole, haben-* 201.

tem Lunam ſub pedibus, & in capite coronam Stellis duodecim inſignitam. Hoc habitu repræſentari Virginem, vt in Conceptione præſeruatam, communis eſt fidelium ſenſus, & vſus. Itaque meritò in cõſtitutione illa adijcitur, *prout myſterium Conceptionis eius deſignans*, quod autem aliud eſt *myſteriũ Conceptionis*, niſi præſeruatio? deinde é regione eſt Imago S. Michaelis Archãgeli. Appoſitiſsimè vt nobiliſsimus ille ſpiritus draconis depulſor, & triumphator, exprimat mulieris victoriam cõterentis eiuſdem draconis caput, hoc eſt originalem maculam, quæ reliquorum malorum caput eſt, & origo.

202. Rurſum, depingitur etiam cingulus S. Franciſci ob rationem ſupra tactam. Sed cur circundat vndique Imaginem Conceptionis in orbẽ actus? Nempè ordo Seraphicus murus eſt ab irruptionibus Immaculatam defendens. Sed cur non imago ipſa S. Franciſci depingitur, ſed cingulum eius duntaxat? An forte funiculus ille arcet, & terret ſiniſtras de Conceptione interpretationes, flagellaturus etiam, ni procul abſcedant?

203. Denique colores albus, & cœruleus quid niſi Conceptionem Immaculatam ſignificant? de albo audi Iulium Secundum in conſtitutionibus Monialium Immaculatæ Conceptionis cap. 3.

ita loquentem: *Habitus cum ſcapulari ſint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior, Virgineæ puritatis mentis, & corporis teſtimonium prætendat.* De cœruleo ita idem Pontifex, iubens vt pallium ſit Hyacinthinum: *Propter myſticam* (inquit) *ſignificationem, videlicet, quòd glorioſæ Virginis anima à creatione ſua, tota facta fuit cæleſtis, & ſingularis Regis æterni Thalamus.* Vrbanus ergo Iulium prædeceſſorem imitatus, & ſub Regula ſancti Franciſci Militiam Conceptionis inſtituit, & album cœruleumque colorem Immaculatam exprimentes appoſuit ſtemmati, cinguloque Franciſcano muniuit, vt de ſua mente, & affectu erga Immaculatam Conceptionem nullum relinqueret dubitandi locum.

Neque his teſtimonijs cōtētus huius ſacræ Militiæ habitum, & inſigne dono miſsit Iſabellæ Borboniæ Hiſpaniarum Reginæ, Philippi Quarti Regis Catholici vxori, cum magno indulgentiarum cumulo, & hac Epiſtola, quam refert amicus noſter Ioannes Tamaio de Salazar in vita S. Epitatij Epiſcopi Placentini vbi á pag. 230. eruditam ſanè chronotaxin defenſorum Immaculatæ contexuit. 204.

Chariſsimæ in Chriſto filiæ noſtræ Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ.

CHariſsima in Chriſto filia noſtrã, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia pietate Imperatrici Angelorum Maieſtas tua Regales imperij faſces ſubmittat, iam diu famæ tibi plaudentis vox teſtatur, nuper autem nobilis viri Ducis de Alcalà declarauit oratio. Cum autem cupias tuam erga Immaculatã Deiparam Illuſtri aliquo documẽto religionem ſignificari, mittimus Maieſtati tuæ munitũ Apoſtolica benedictione habitum Militiæ Chriſtianæ, quæ ab eiuſdem Virginis Conceptione petijt ſacrum æqueſtris familiæ nomen, & auſpicium. Sic quod inſigne Catholica Regina condis in corde, idem in Regali pectore geſtabis. Videmus quàm felix ſumere poſſit in Auſtriacis Regnis incrementum noua hæc Militia, cuius vota, & inſtituta ſaluberrimos triumphos quærũt Chriſtianitatis. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem die XX. Septemb. 1625. *Pontificatus noſtri anno* 2.

205. Ex his litteris manifeſtè etiam deducitur ex mente, & ſenſu Vrbani Immaculatæ Conceptioni dicatam fuiſſe militiam. Cum enim à Duce de Alcalà didiciſſet Reginam ſummè affectam

erga

erga Immaculatam Conceptionem, cuius definitionem ipſa efflagitauerat á Sede Apoſtolica litteris, quas refert Lucas Vuadingus in legatione de Conceptione; Vrbanus Reginæ cupienti hanc pietatem ſuam aliquo documento ſignificari, mittit habitum militiæ ſacræ, vt hac ratione *inſigne quod condit in corde, geſtet in pectore.* Quid clarius? Sane niſi habitus ille ex mente, & inſtitutione Apoſtolica, Conceptionem Immaculatam exprimeret, Regina non geſtaret in pectore inſigne, quod condebat in corde, quamuis habitum illum geſtaret. Illud etiam notatu dignũ; quod ait Pontifex, Militiam hanc á Conceptione petijſſe *auſpicium*, ideſt bonum omen victoriæ hoc autem non á Conceptione peccato victa; ſed labis originalis, atque adeò dæmonis victrice peti potuit. Vide quæ diximus capite 4. §. 3.

Denique quàm ſingulari affectu Vrbanus fuerit erga Immaculatam animatus, inuſitati fauores, quibus hanc Militiam promouit, abunde docent. In primis eam nuncupari voluit *Militiam Chriſtianam*, quòd quidem quandam antonomaſiam præſefert, cum reliquæ Militiæ ſacræ, Chriſtianæ etiã ſint. Deinde Reginam in Orbe maximam, nempe Catholicam huius ordinis alumnã fecit, & (vt ita dicam) militem. Tertio conceſsit 206.

Magno Magiſtro,& ab eo delegandis, vt *quoſcunque Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cauſarũ Palatij Apoſtolici auditores, &c. In eandem Militiam recipere, admittere, ac illis habitum, & Crucem per eiuſdẽ Militiæ Milites geſtari ſolitum conferre liberè, & licitè poſsint.* Sanè hactenus non vidimus Epiſcopos poſt conſecrationem ſuſcipere habitum alicuius ordinis Militaris; Epiſcopatus enim omnes religioſos ordines excellit,& ſuperat. Denique (vt alia omittamus) concedit Militibus huius ordinis, vt poſsint frui penſionibus annuis ſuper fructibus Eccleſiarum, etiam Metropolitanarũ, Monaſteriorum, denique *quorumuis ordinum, & Militiarum regularium.* Rarò ſanè exemplo. Neque enim hactenus vidimus Milites vnius ordinis, alterius adhuc vigentis fructibus potiri. Itaque reliquas ſacras Militias Militiæ Chriſtianæ quodammodo vectigales fecit. Sed nil mirum, Militia eſt Conceptionis Marianæ.

207. Illud etiam Vrbani pietatem erga Conceptionem Immaculatam mirè demonſtrat, quod cum anno 1626. à fundamentis erigeretur in alma orbe Monaſterium Capuccinorum Conceptioni dicatum, proprijs ipſe manibus primum lapidem collocauit,& cudi iuſsit numiſmata Vrbani,& Conceptionis nominibus inſcripta. Ita refert Hyppolitus Marrachius in Pontificibus

Ma-

Marianis cap. 95. Sciebat Pontifex Capuccinos, vtpote Franciſcanos, non alteri Conceptioni, quàm Immaculatæ Templum ſuum dicare, & tamen cõmunem cum eis ſenſum teſtatum voluit ære, & lapide. Anno ſequenti 1627. ſpeciali diplomate conceſsit indulgentiam (vt vocãt) plenariam confratribus Immaculatæ Conceptionis viſitantibus in eius feſto Eccleſiam S. Franciſci Salmanticenſis, vt refert Hieronymus Rodriguez in compendio Emanuelis reſolut. 30. num. 6.

Sed illud inſigne dedit pietatis ſuæ documẽtum, quòd cum ab anno 1628. curante Philippo Tertio Rege Catholico ſolemniſsimè celebraretur feſtum Conceptionis cum octaua in Regio Matritenſi Monaſterio Diſcalceatarum ſancti Franciſci, & optaret Philippus Quartus eiuſmodi ſolemnitati de neceſſarijs ſumptibus perpetuò prouideri, Vrbanus ipſe ad eius inſtantiam mille aureos annuos penſionis liberaliter conceſsit expedito etiam diplomate die 14. Octobris anno 1633. cuius exemplar authẽticum vidi apud amicum noſtrum Ioannem Tamaium de Salazar, in quo Pontifex duas, vt vocant, Capellanias, erigit ſub titulo Conceptionis, quibus quadringentos aureos aſsignat, reliquam vero pecuniam pro apparatu, & ornatu Templi, 208.

miniſtrorum diſtributionibus, aliijſq; ad eā ſolē-nitatē neceſſarijs ſumptibus. Nō ignorabat Moniales Franciſcanas iuxta officium Nogarolicū Conceptionem celebrare, in quo ad ſatietatem *Immaculata*, & *Præſeruata* prædicatur. Ipſe Rex Philippus Quartus in ſupplici Libello patris ſui deuotionem erga *Myſterium Puriſsimæ Conceptionis* propoſuerat, ſeq; in ea deuotione, ſicut in Monarchia, parenti ſucceſsiſſe, vt ex ipſo diplomate conſtat, & ex reſcripto Regio fundationis 15. Ianuarij 1635. & tamen Conceptioni in hoc ſenſu acceptæ à Rege, in hoc ſenſu celebratæ á Monialibus, tam largiter Vrbanus pro ſolemniori celebratione prouidit.

209. Expende mecum lector hæc omnia Vrbani ſiue facta, ſiue decreta non vtcumque circa Conceptionem verſari, ſed circa Conceptionem (vt ita dicam) Franciſcanam. Militiam Conceptionis ſub Regula ſancti Franciſci, & cum eius cingulo inſtituit, in Templo Conceptionis Frāciſcano primum lapidem collocat, Confratribus Immaculatæ Conceptionis in Eccleſia ſancti Franciſci orantibus indulgentiam concedit, pro Conceptionis feſto ſolemniſsimè á Monialibus Franciſcanis celebrando pecuniam annuam largitur. Nempè, vt intelligas non ei placuiſſe Conceptionem in eo ſenſu, quo Libellator noſter

comminiſcitur,ſed iuxta mentem, ſenſum, & pietatem ordinis Seraphici, nempè Immaculatam, & à peccato originali prorſus Immunem.

Neque tamen affectum ſuum intra ordinem S.Franciſci continuit,ſed ad Dominicanum etiã extendit rariſsimo exemplo. Magnus ille vir Gaſpar Guzmanus Comes *de Oliuares*, quem in ſummo rerum faſtigio, Philippi Quarti Regis Catholici miniſtrum maximum annis proximè elapſis vidimus, cogitauerat Monaſterium Monialium á fundamẽtis erigere in oppido ſuæ ditionis *Loeches* decimoquinto lapide á Matrito orientem verſus.Propendebat animus in Ordinem S.Dominici,qui ab inclyta Guzmanorum familia duxit originem.Pelliciebat aliunde pietas erga Immaculatam Conceptionem, cui fuit addictiſsimus.Quid ageret?vt erat ad ardua quæque,& difficilia aggredienda natus,inuenit qua ratione vtrique affectui indulgeret, obtinuit enim,vt Moniales habitum ſancti Dominici induerent, & ſimul geſtarent effigiem Immaculatæ Cõceptionis ſcapulari aſſutam,atque ita hodie incedunt, Monaſterioque nomen eſt,& titulus *Conceptionis Dominicanæ*.His ergo Monialibus Dominicanis Conceptionis Immaculatæ benignum ſe,& liberalem præbuit Vrbanus, nam & 210.

expe-

expedito diplomate mille aureos annuos de Camera (vt vocant) elargitus eſt, & alio diplomate, vt de ſanctis Ordinis Dominicani iuxta Breuiarium Romanum, quo vtuntur, Officium diuinũ peragere poſsint, conceſsit. Extant diplomata in Monaſterij monumentis, vt reſcripſit mihi Maria Magdalena á Ieſu, eiuſdem Prioriſſa.

211. Hæc omnia prolixè quidem, ſed neceſſariò de Vrbano Octauo commemorauimus, vt perſpiciat lector, quàm meritò initio huius §. dixerimus Vrbanum præ alijs Pontificibus Conceptioni Immaculatæ fauiſſe, & quàm immeritò Libellator eundem Vrbanum ſibi auxiliarem adſciſcat. Sanè non dubitamus, quicumque ille fuit qui Eminentiſsimos Cardinales ſanctæ Romanæ Inquiſitionis induxit ad decretum illud (ſi tamen eorum eſt) poſuiſſe ob oculos Vrbani exẽplum, qui in diplomate *imperſcrutabilis*, & alijs ad Militiam Chriſtianam pertinentibus Virgini non Conceptioni iunxit epithetum *Immaculatæ*. Hinc videri volebat iuxta mentẽ Vrbani eſſe, ſi titulus prohiberetur Cõceptioni, quaſi ille formulã loquendi præſcripſiſſet, à qua diſcedere nõ liceret. His artibus extortũ decretum, & atrox bellum Conceptioni indictum, deſumptis armis ex ipſo Vrbani diplomate, vnde maior

Digitized by Google

Conceptioni gloria accedere ab omnibus crede batur. Hoc autem quid aliud eſt quám perſuadere velle, Vrbanum Militiam Conceptionis armaſſe in ipſam Conceptionē? Sed bené eſt, quòd, vt ſatis oſtendimus, ipſa huius militiæ inſtitutio egregium pro Immaculata Cōceptione argumẽtũ ſuppeditat, quòdq; ea, & reliqua, quæ de Vrbano attulimus claré demonſtrant ipſum inter præcipuos Immaculatæ fautores meritò eſſe numerãdũ

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 29.

HInc patet decretum, imò decreta à ſacra Congregatione ſub eodem Summo Pontifice Vrbano Octauo emanata circa titulum hunc, non eſſe aliquorum priuatum inuentum, quòd nonnulli auſi ſunt ſuſpicari; ſed ipſius Summi Pontificis rem Apoſtolico zelo expendentis mandatum. 212.

§. XXIX.

LIBELLATOR DECRETA FINGIT, & eorum approbationem.

Vnum hactenus decretum vidimus ſacræ 213.

Congregationi tributum, quod dedimus capite 3. num. 2. & de quo eſt controuerſia, vt tu agnoſcis Libello 1. num. 8. & Libello 2. num. 1. 35. & 40. nunc plura decreta *à ſacra Congregatione ſub Vrbano Octauo emanata circa titulum hunc* commemoras. Sed vbi ea ſunt? An ad hunc numerum pertinet decretum illud Vrbani, cuius in hoc Libello num. 15. meminiſti cum videlicet, *Validiſsimè* (vt ais) *conquiſitum ſuit magnorum Principum coaceruatis inſtantijs, vt & feſtum, & officium Immaculatæ Conceptionis concederetur?* Sed vt demus tunc decretum aliquod prodijſſe, certum eſt non á ſacra Inquiſitionis Congregatione, ſed ſacrorum rituum potuiſſe manare. Ad hanc enim, non ad Inquiſitionem pertinet, quòd feſta, & officia concedantur, aut negentur. Deinde, cuiuſcumque fuerit decretum illum, non verſabatur *circa titulum hunc* videlicet Immaculatæ Conceptionis, ſed circa officium Nogarolicum, quod Pontifex noluit concedere, vt à quolibet pro libito poſſet recitari. Longè autem diuerſa ſunt non concedere vſum prædicti officij, & prohibere titulum Immaculatæ Conceptionis. Sed de illo decreto ſatis §. 15.

214. Quod ergo reſtat decretum aliud, quod cum illo, de quo eſt controuerſia, coniungas, vt plurali numero *decreta* á ſacra Congregatione ſub Vr-

bano

Digitized by Google

bano emanata iactare poſsis? An fortè huc ſpectat decretum illud prohibens ſtellarium Conceptionis Immaculatæ, & eius confraternitates dequo egeras in hoc Libello num. 23? hoc quidē Congregationis ſanctæ Inquiſitionis eſt, & ſub Vrbano emanauit; ſed non *circa titulum hunc*. Neque enim idem eſt *Conceptio Immaculata*, & *Stellarium Conceptionis Immaculatæ*. Sanè confraternitates Stellarij abrogatas videmus à Sede Apoſtolica; confraternitates vero Conceptionis Immaculatæ non videmus, vigent enim toto Orbe Chriſtiano penè innumeræ. Neque Stellarij prohibitio quicquam officit titulo Immaculatæ Conceptionis, vt manifeſtè oſtendimus §. 23. cum ergo nullum aliud decretum ſit ſanctæ Inquiſitionis Romanæ ſub Vrbano Octauo circa titulum Conceptionis Immaculatæ, præter illud de quo diſceptamus, falſó iactas *decreta* plurali numero.

Sed apertiſsimè falſum eſt quod addis decreta hæc eſſe *ipſius Summi Pontificis rem Apoſtolico zelo expendentis mandatum*, cōſtat enim præcipuum decretum, de quo eſt controuerſia, neque ab Vrbano, neque ab Innocentio approbatum fuiſſe. Fingis ergo, & decreta, & eorum approbationem. Quibus autem de cauſis ſuſpectum ſit decretum de quo agimus, diximus cap. 3. num. 3. certè præ 215.

ter mentem, & conſilium ſanctæ Inquiſitionis fuiſſe euulgatum, non leuiter conijciebamus in hoc cap. 5. §. 1. num. 3. & 4.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 30.

216. *REcentiora ergo ex vtraque parte ſequenda ſunt; nam ſi vetuſta reuoluantur, plura pro Fratrum Prædicatorum, hoc eſt ſancti Thomæ ſententia, quàm pro oppoſita extabunt, quæ modo reticentur, cum de principali quæſtione non agatur. Nec nos ad apocryphas Apoſtolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.*

§. XXX.

LIBELLATORIS DE REVELATIONIBVS & miraculis Immaculatæ Conceptionis temeraria, & impia ſententia.

217. REcentiora ſequẽda eſſe dicis. Conditionẽ accipimus. Sequere ergo decreta Sixti IIII. Alexandri VI. Iulij II. Pij. V. Pauli V. hæc enim, ſi cum antiquitate conferas, recẽ

tiora

tiora ſunt. Quod ſi recentiſsima cupis, ſequere decreta Gregorij XV. & Vrbani VIII. quorum alter ſilentium ſententiæ tuæ indixit, & te compulit Conceptionem celebrare, nō ſanctificationem; alter Conceptioni, quam in officio diuino vitabas, dicauit ſacram Militiam, erexit Templum, indulgentias conceſsit, prouentus Eccleſiaſticos aſsignauit; non ſanctificationi, quæ teſſera eſt tuæ ſententiæ. Quid ſit his recentius, non video, præter decretum neque legitimè promulgatū, neque authoritate Apoſtolica munitum. Quæ ergo ſunt recentiora, quæ pro tua parte ſequenda ſunt?

Quod ſi vetuſta etiam (vt ais) *reuoluantur*, vix 318.
aliquem ex Patribus tibi fauentem inuenies; ex ſcholaſticis antiquis perpaucos, eoſque dubios, & hæſitantes, imò longè alio ſenſu, quàm qui ad præcipuam controuerſiam ſpectat, loquentes. Sententiam tuam Fratrum Prædicatorum eſſe vix admittemus, id enim ſonat vniuerſalem huius ſacræ familiæ conſenſum, cum tamen ex ea plurimi ſanctitate, & doctrina præſtantiſsimi pro Immaculata decertent, vt oſtendemus in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis. Tuam ſententiam eſſe S. Thomæ prorſus negamus, palàmq; mōſtrabimus opuſculo prædicto. interim lege Vincentium Iuſtinianum Antiſt in

vita

vita B. Ludouici Bertran extremo capite, & doctiſsimum Ioannem á Sancto Thoma 1. tom. in primam partē diſputat. 2. de doctrina diui Thomæ; neque enim ad alios te iudices, quàm Dominicanos, remittimus.

219. Sed non potui riſum cohibere, cum legi: *quæ modo reticentur, cum de principali quæſtione non agatur*. De qua obſecro, quæſtione agis, cum ſtatim quaſi œſtro percitus in definitiones, reuelationes, miracula, Bullas debacharis? An non attinet ad quæſtionem principalem, quód Baſileēſem Conuentum reſpuis, quòd Patres Græcos, & Menologium interpretaris, quòd imperitos concionatores carpis, quòd vniuerſitatum, & Doctorū multitudinem ſpernis, quòd Arianiſmi, & Anabaptiſmi vniuerſum cætum fidelium notas, quòd Salazarij, & Valentiæ ardorem reprehendis? Miſeret me tui, qui tam manifeſtè cenſuras, & pœnas Pauli V. & Gregorij XV. incurriſti, ſiquidem contra eorum decreta, non ſolum de tua ſententia *aliquo modo tractas*, ſed in noſtram apertiſsimè inueheris, inſumens in eius impugnatione quinque numeros ab hoc 30. ad 34. & tamen reticentiam tuam nobis venditas. Si cum ſiles, hæc effutis; quid ageres, ſi loquereris? Crede mihi, iſtæ Rhetorum artes, qui per figuram, quam Græci vocant *Antiphraſin*, Latini *omiſsionem*, aut *præ-*

teritionem, maximè loquuntur, dum tacere ſe di cunt; non te ſecurum reddunt ab ſtatutis pœnis.

Sed quoniã, licet tacẽs, hæc omnia profers, nos quibus nulla tacendi lex impoſita eſt, ſed licitè poſſumus, & noſtram ſententiam defendere, & tuam impugnare; ea breuiſsimé diſcutiemus. 220.

Nec nos (inquis) *ad apocryphas Apoſtolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad ſomniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.* Nempe obijcis nobis, quòd ad hæc pro noſtra ſententia tuenda recurramus. Quæ ſint Apoſtolorũ definitiones hac in re neſcimus, niſi ſermo tibi eſt de ea, quã ex libris plũbeis Granatæ inuentis multi referunt, de qua tamẽ nihil pronunciamus Sedi Apoſtolicæ obtẽperãtes, cuius decreto cautũ eſt, nequis aut eorum librorum teſtimonijs vtatur, aut de eorũ authoritate decernat, donec ipſa Apoſtolica Sedes, quid de eis ſentiendum ſit, doceat. Nos igitur decretum Eccleſiæ expectamus nihil aſſerentes; tu non expectas, qui vſurpato iudicio definitionem illam (ſeu quidquid eſt) *apocryphum* pronuncias, reus nimirum prædicti decreti, quã cumque enim cenſuram ſiue fauentem, ſiue damnantem prohibet.

Ad *confictas reuelationes, & ſomniata miracula* veniamus. Sanè dubitandum nõ eſt te quaſcumque de Immaculata Conceptione reuelationes, & 221.

miracula damnare. Tum quia indefinitè, & in vniuerſum loqueris, tum quia ſi alicuius reuelationis, aut miraculi veritatem agnoſcis, hoc ipſo cõuinceris. Nihil enim refert, vt res aliqua vera cẽſeatur, an multis reuelationibus, & miraculis cõmendata ſit (quamuis numerus plurimum iuuat) ſed ſatis eſt ſi aliqua legitima reuelatione, aut vero miraculo comprobetur. Itaque omnes reuelationes de Immaculata Conceptione *confictas* eſſe affirmas, omnia miracula *ſomniata*. Hoc temerarium eſſe, imò impium facile oſtendam.

222. Et in primis de reuelationibus. Nam (vt alias omittamus) conſtat inter reuelationes S. Birgittæ plures, eaſque expreſſas, de hoc myſterio reperiri, quas, ſicut & reliquas, ab ipſa Sanctiſsima fœmina fuiſſe ſcriptas nemo hactenus dubitauit. Nunc animaduertendum eſt aliud eſſe affirmare reuelationes fuiſſe *falſas*, aliud *confictas*. Nam qui falſas dicit, nullum crimen obijcit authori, tantùm admittit illuſionem paſſum, dum Deo tribuit, quæ ſunt, vel dæmonis, vel propriæ imaginationis. Qui vero *confictas* affirmat, authoris dolum, & fraudem notat, quòd ſciens prudenſque mẽtiatur, & pro reuelatione venditet commentum ſuum. Si ergo reuelationes S. Birgittæ *confictæ* ſunt, ipſa finxit. Quod impium eſt de Sãctiſsima fœmina aſſerere, peccaſſet enim letha-

liter,

Digitized by Google

liter,& fingens,& in fictione vſque ad vltimũ ſpiritum perſeuerans, quod cum eius ſanctitate prorſus pugnat. Impie ergo facis, dum reuelationes de Cõceptione Immaculata *cõfictas* dicis, cõplectens videlicet reuelationes S. Birgittæ. Sed neque eas, niſi temerarius, *falſas* pronunciabis, quas non ſemel Eccleſia doctiſsimorum hominum examini ſubiecit, & approbauit, vti fecit Gregorius XI. & Vrbanus Sextus qui *eas vt authenticas, & veritate plenas, & à Dei ſpiritu veraciter traditas approbauit*, vt memoriæ prodidit doctiſsimus Turrecremata Dominicanus in prologo ad eas ipſas reuelationes, qui tandẽ ex præſcripto Concilij Baſileenſis eas examinauit, & approbauit. Temeritate ergo, & impietate plenum eſt eas, aut *confictas* dicere, aut falſas.

De miraculis idem eſto iudicium, nam (vt plura omitamus, quæ grauiſsimi authores recenſent, & probant) vnum præ alijs eligimus, de cuius veritate, niſi impiè, non dubitabis, fuit enim vnum è fundamentis, quibus mota eſt Sedes Apoſtolica ad Canonizationem S. Didaci de Alcalá, vt aſſerit Doctiſsimus Franciſcus Peña ſacræ Rotæ Auditor, & eiuſdem Canonizationis aduocatus lib. 2. de vita S. Didaci cap. 73. cum enim nobilis quædam fœmina Complutenſis *horribili, & deformi paralyſi* laboraret, delata ad cor- 223. *Franciſcus Peña.*

pus S. Didaci, & coram Imagine Immaculatæ Conceptionis precata, integram ſanitatem obtinuit. Vide quid agas, ſi hoc miraculum ritè, & legitimè comprobatum, & inter motiua canonizationis recenſitum, *ſomniatum* appelles; prope enim erit, vt ipſam etiam canonizationem *ſomniatam* dicas.

224. Omitto quàmplures reuelationes, & miracula referri in officio Bernardini de Buſti, quod cum attentè legiſſet Sixtus Quartus, approbauit, & conceſsit pro libito recitandum, vt ex diplomate eidem officio præfixo conſtat. Quare quicumque Bernardino in recenſendis miraculis fidem minuunt, videant ne ſimul Sixtum Quartum præuia lectione approbantem damnent.

225. Denique quod ad Bullas *adulteratas* attinet, non ſatis video quæ illæ ſint. An adulteratas vocas duas extrauagantes Sixti Quarti *Cũ præexcelſa, & Graue nimis* corpori iuris inſertas? An Bullas Alexandri Sexti, Iulij Secundi, Pauli Quinti, & decreta huius Pontificis, & Gregorij XV? Sed ex his, & alijs teſtimonia deſumunt Immaculatæ defenſores integra fide deſcripta ex Bullarijs, & alijs editionibus. Vbi ergo ſunt Bullæ á nobis *adulteratæ*? an de illa loqueris Vrbani VIII quæ incipit *imperſcrutabilis*, in cuius impreſsione

domi

domi facta(vt tu affirmas) irrepſit per errorem, aut fraudem vox *Immaculata*? Sed nullus noſtrũ ad hanc Bullam ita vitiatam recurrit, ſed ad integram, vt edita eſt in Bullario Romano; quæ quantum nobis faueat prolixè oſtendimus §.28. crede mihi nil opus eſt nobis Bullas adulterare, quæ vt á Sede Apoſtolica proficiſcuntur, pro nobis ſtant. Solùm optamus, ne ab alijs adulterentur ſiniſtris interpretationibus, quod non eſt minus audax, & periculoſum adulterandi genus.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 31.

BAſileenſem Conuentum in hac parte meritò reſpuimus. Nec decet Romanam Sedem accipere formulam ab acephalis, qui illud ipſum decretum in odium defenſorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tulerunt, vt proteſtatur Cardinalis Turrecremata in ſumma de veritate Conceptionis ad calcem. 226.

§. XXXI.

SYNODVS BASILEENSIS IN DECRETO Conceptionis, Romanæ Eccleſiæ ſe veſtigijs inhærere putauit.

227. BAſileenſem Conuentum nos etiam reſpuimus, quàmdiu à Romana Eccleſia receſſit, atque adeò decretum illud de Conceptione, quod tempore ſchiſmatis editum eſt, nō eſſe publicæ, & legitimæ authoritatis affirmamus. Nihilominus defenſores Immaculatæ iure optimo illius Synodi teſtimonio vtuntur. Non enim eſt animus, eo quaſi ex Concilij vniuerſalis authoritate ſententiam ſuam commendare, ſed tantùm oſtendere, quantus fuerit illo æuo in vniuerſo Orbe Chriſtiano de Immaculata Virginis Conceptione conſenſus, & perſuaſio, quādo quidem tot Epiſcopi, & Doctores (in quibus plurimos fuiſſe doctiſsimos conſtat) communibus ſuffragijs pro ea decreuerunt. Ad hanc rem nihil facit, quòd tunc ſchiſmate laborarent.

228. Deinde libenter etiam admittimus, quod ais: *Nec decet Romanam Sedem accipere formulam ab acephalis.* Times ne Eccleſia Romana definiat Conceptionem Immaculatam; ideò hæc addi-

diſti

diſti, exiſtimans videlicet ab illa Synodo definitam fuiſſe; atque adeò opportere, vt Eccleſia à definitione abſtineat, ne videatur *ab acephalis formulā accipere.* Sed tibi libenter cōcedimus (quod fortaſſe non ſperaſti) Synodum Baſileenſem non definiſſe tanquam de fide Immaculatam Conceptionem. Quamuis enim ita exiſtimauerint plures ex noſtris, tamen rectius alij ſentiunt eam nō fuiſſe Synodi mentem in illo decreto, vt ex ipſo non obſcurè liquet, & notarunt Cordubenſis *Cordubẽſis.* lib. 1. quæſtionarij quæſt. 44. poſt ſextam concluſionem, Bellarminus *Bellarminus.* lib. 4. de amiſsione gratiæ cap. 15. Suarez *Suarez.* tom. 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 6. Vazquez *Vazquez* diſp. 117. cap. 14. num. 144. Ægidius *Ægidius* Luſitanus lib. 3. quæſt. 3. num. 6. Quare non eſt cur hac de cauſa Synodum reſpuas.

Imò vero ſiquis attentè expendat decretum 229. Baſileenſe, perſpiciet, cum multa in eo ſtatuerit Synodus, omnia, præter vnum duntaxat, admiſſa iam eſſe á Romana Eccleſia, & eius authoritate commendata; vt non adeò reſpuendum ſit decretum, quamuis ab illegitimo Concilio editum ſit. Rem facile oſtendemus, ſi prius lectori verba decreti ob oculos ponamus: *Nos vero* (inquit ſeſſione 36.) *diligenter inſpectis authoritatibus, & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo*

alle-

Digitized by Google

allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis, doctrinam differentẽ glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam, præueniente, & operante diuini Numinis gratia ſingulari, nunquã actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctamque & Immaculatam; tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, diffinimus, & declaramus; nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, & docere. Renouantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias ſexto Idus Decembris antiqua, & laudabili cõſuetudine celebratur, ſtatuimus, & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſijs, Monaſterijs, & Conuentibus Chriſtianæ Religionis, ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendam eſſe, cunctiſque fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ea die Miſſarum ſolemnijs centum, primis autem, vel ſecundis veſperis totidem, ſermoni verò verbi diuini de ea feſtiuitate interessentibus centum quinquaginta dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis ſibi pœnitentijs hæc ſancta Synodus elargitur.

230. Nunc ſingula diſcutiamus. Declarat primò Concilium doctrinam de Immaculata Virginis Conceptione *piam* eſſe. Hoc epitetho ornat Six

tus Quartus in extrauaganti *cum praexcelſa* (vt alia omittamus) neque hodie vllus eſt, qui negare audeat. Secundó *conſonam cultui Eccleſiaſtico.* Hoc ſatis ſuo facto declarat Eccleſia Romana, ſiquidem Cõceptionem ſolemni feſto celebrat. tertiò *fidei Chatolicæ*, quod ſatis oſtendit Tridentinum, dum declarans quid fides Catholica doceat circa transfuſsionem peccati Originalis, teſtatur ſuæ intentionis non eſſe Virginem Immaculatam in eo decreto comprehendere. Quartò *rectæ rationi*. Id latiſsimé oſtendunt Immaculatæ defenſores cõgeſtis penè innumeris rationibus. Quintò *ſacræ ſcripturæ*. Idem ex Tridentino colligitur, oſtenduntque noſtri multis teſtimonijs ex ſacra pagina. Sextò declarat Synodus eam doctrinam *ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam*, de quo poſtea erit ſermo.

Septimó addit: *nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, & docere.* Idem præſtitit Paulus Quintus, & Gregorius XV. prohibito etiam priuato colloquio. Octauò feſti ſolemnitatem Synodus inſtituit, quòd poſtea á Sixto Quarto factum videmus. Nonó vniuerſali præcepto omnes obligat; *in omnibus* (inquit) *Eccleſijs, Monaſterijs, & Conuentibus Chriſtianæ Religionis.* An non idẽ fecit Pius V. in Bulla *quod à nobis poſtulat?* Decimò 231.

de-

decernit celebrandum eſſe feſtum *ſub nomine Conceptionis.* Vides ſanctificationis vocabulum excluſum, quod etiam præſtitit Gregorius XV. iubens, vt omnes *non alio quam Conceptionis nomine vti debeãt.* Vndecimò, cum tam apertè loquatur de Conceptione Immaculata, & præſeruata, & de ea feſtum celebrandum eſſe decernat, ſatis duxit in inſtitutione huius feſti Conceptionẽ ornare epitheto *Sanctæ*, ita enim inquit: *renouantes inſtitutionem de celebranda ſancta eius Conceptione*, quo etiam epitheto Eccleſia Romana ad eundem ſenſum exprimendum, hodie in Officio diuino Cõceptionem condecorat, *quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.* Duodecimò, denique indulgentias colẽtibus hoc feſtum largitur, quas etiã à Sixto Quarto conceſſas conſtat ex extrauagãti *cum praeexcelſa.* Meritò ergo ſupra dicebamus Eccleſiam Romanam poſtea amplexã quicquid Synodus Baſileenſis in eo decreto ſtabiliuit.

232. Vnum duntaxat excipimus, quòd Conciliũ præcipit hanc doctrinam *ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam.* Quæ verba non continent Fidei definitionem, non enim iubet tenendam eſſe tanquam fidei Catholicæ veritatem, ſed *tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcripturæ*; non eſt autem de fide, quidquid fidei

Ca-

Catholicæ, & ſacræ ſcripturæ conſonat, ad hoc enim ſufficit ſi principijs fidei, & ſacræ ſcripturæ non aduerſetur. Vt autem ſit de fide, neceſſe eſt, vt aut ex diuina traditione conſtet, aut expreſsè in ſacris litteris contineatur, aut denique ab Eccleſia declaretur tanquã in illis contentum, quod tamen non declarat Synodus. In illis ergo verbis ſolùm continetur præceptum prohibens aſſenſum contrariæ ſententiæ. Itaque omnes iubentur ſentire Conceptionem Immaculatam. Hoc autem adhuc Eccleſia Romana non præcipit, ſed liberum relinquit mentis aſſenſum in vtramque partem, quamuis, quod ad affirmatiuam attinet, prohibet eum aſſenſum exterius exprimi ſcripto aut verbo, niſi à Dominicanis, & inter Dominicanos duntaxat.

Hic tamen animaduertendum eſt eôdem reſpicere decretum Synodi Baſileenſis prohibentis aſſenſum contrariæ opinionis, & Eccleſiæ Romanæ prohibentis externam huius aſſenſus manifeſtationem, nempe vt pax in Eccleſia ſeruetur & idem omnes ſentiant de Sanctitate B. Virginis. Nam eadem Synodus ante verba ſuperius adducta, decreti rationem reddens, hæc (inter alia ſcribit: *Id quoque maximè congruit, vt pax habeatur in quæſtionibus concernentibus ſanctitatem illius per quam pax diffuſſa eſt in terris*. Quod ſi quis atten 232.

tè conſideret decreta Sedis Apoſtolicæ á Sixto Quarto, ad Gregorium XV. animaduertet in eundem ſcopum collineare. Tantúm intereſt, quod Synodus Baſileēſis hanc pacem,& ſentiendi communionem præcepto obtinendam cenſuit,prohibita ſententia affirmante peccatum in Virgine: Eccleſia verò Romana mitius agendũ iudicauit,ſatiuſque eſſe duxit blandè fideles allicere ad conſenſum de Immaculata,quàm lege lata compellere. Igitur Sixtus Quartus feſtum Conceptionis inſtituit,indulgētijſque ad cultũ Immaculatæ deferendum inuitauit, atque adeò ad aſſenſum Quis crederet his artibus non fuiſſe homines ineſcandos,vt affirmatiua ſententia deſerta,negantem amplecterentur?

233 Sed cum id non prouenißet, Pius Quintus vniuerſali præcepto obligauit ad celebrandum feſtum Conceptionis eos etiam,qui vel affirmantem partem ſequebantur,vel vtebantur ſanctificationis officio,vt oſtendemus cap. 13. interdixit etiam diſputationes in popularibus concionibus,vel vbi promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet. Rurſum cũ neque id etiam ſufficeret,Paulus Quintus affirmatiuæ ſententiæ in publico ſilentium indixit. Tunc maximè ſperari potuit vltró fuiſſe deſerendam. Quis enim adhuc doctrinam amaret,quam neque pu-

Digitized by Google

blicè defendere poſſet, neque de ea diſſerere, cũ tamen contraria vbique perſonaret? Denique cũ experientia monſtraſſet, neque hoc ſilentium in publico ſatis efficax remedium fuiſſe, Gregorius XV. omnino tacere iuſsit etiam priuatim, aſſenſum duntaxat internum liberum relinquens, quamuis poſtea Dominicanis conceſsit conferẽ tiam inter ſe ipſos. Vides quibus itineribus Eccleſia Romana paulatim acceſſerit ad decretum Baſileenſe; vt omnia probauerit, præter præceptum tenendi, & amplectendi piam ſententiam.

Vide nunc an hæc agens Eccleſia Romana, *acceperit formulam ab acephalis*, nam tibi etiam hic nodus ſoluendus venit. Nobis nullum negotiũ faceſsit. Non enim eſt formulam accipere, ſi Eccleſia, quod rectum eſt, decernat; quamuis id ipſum antea, non dico ſchiſmaticis, ſed etiã ethnicis, placuerit. Illud tamen non prætermittam, eodem iure, & quidem optimo, poſſe hodie Eccleſiam, ſi velit, omnibus (tibi etiam) præcipere, vt doctrinam de Immaculata Conceptione teneãt, & amplectantur, etiam ante definitionem; nempe ex quo Eccleſia Romana publico, & ſolemni cultu proſequitur Conceptionem Immaculatam; id enim ipſa feſti inſtitutio ex natura rei poſtulabat, niſi Eccleſia iuſtis de cauſis voluiſſet in 334.

dulgere tibi, relinquens videlicet aliquid, quod libẽter agas. Sed cũ hac indulgentia adeò abutaris, vt vel inde peruertas ſenſum Eccleſiæ in feſto Conceptionis, arguens non eſſe de Immaculata, quia contrarium aſſenſum tibi liberum reliquit; timendum tibi eſt, ne tandem hunc etiam interdicat, quod iure poteſt facere, etiam ante definitionem, & tu ſatis meruiſti, vt faciat.

235. Hactenus oſtendimus, quàm ſimilia ſint decreto Baſileenſi, quæ Romana Eccleſia poſtea ſtatuit. Nunc reliquum eſt, vt oſtendamus Synodũ illam, aut eiuſdem Eccleſiæ veſtigijs inhæſiſſe, aut certè nõ omnino abs re ſe inhærere exiſtimaſſe. Nam de feſto ipſo apertè teſtatur illis verbis: *Renouantes prætereà inſtitutionem de celebranda ſancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias ſexto Idus Decembris antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur*. Porrò tunc temporis iam fuiſſe ab Eccleſia Romana inſtitutum feſtum, & Concilium videtur ſupponere, & non deſunt, qui affirment. De quo ſequenti capite erit nobis ſermo.

236. Quod vero doctrinam de Immaculata Conceptione approbat, & contrariam prohibet, non ſine exemplo Romanorum Pontificum fieri, perſuadere ſibi potuit, cum videret ante annos 36. Ioannẽ de Monteſono iubente Innocẽtio VII.

palinodiam recantaſſe nempè anno 1403. (nam 1439. decretum Synodi editum eſt) & ante annos 25. videlicet anno 1411. Alexandrum V. Piſis approbaſſe doctrinam de Immaculata Conceptione, *atque ſtatuiſſe, vt ab omnibus teneri deberet*, vt ſcribit Bernardinus de Buſti ſermone 4. de Conceptione, referens Magiſtrum Ioannem de Varzo in 3. diſt. 3. aſſerentem ab Alexandro V. *approbatam fuiſſe opinionẽ Minorum de Immaculata Virginis Conceptione.* Et quamuis hæc Alexãdri Quinti conſtitutio hodie non extet, non eſt tamen cur fides negetur Ioanni de Varzo, & Bernardino de Buſti, quorum ille approbationem factam affirmat, hic vero ita vulgò iactari. *Exiſtens* (inquit) *in Pontificatu hanc opinionem dicitur terminaſſe in ciuitate Piſarum ann. Domini* 1411. *atque ſtatuiſſe, vt ab omnibus teneri deberet.* Vbi *terminaſſe* non ſignificat definitionem fidei, ſed terminum aut finem quæſtioni impoſitum approbatione doctrinæ, & præcepto, vt ab omnibus teneatur. Hoc ergo exemplo, ſiue Pontifex ita iuſsit, ſiue id fama perlatũ eſt ad Synodum Baſileenſem, decretum ſuum illa edidit.

Bernardinus de Buſti. *Ioannes de Varzo.*

Atque hinc facile exploditur, quod ais *in odiũ defenſorum Romanæ Eccleſiæ* feciſſe. Vix enim potuit in odium defenſorum decretum edere, niſi etiam ederet in odium Romanæ Eccleſiæ, quod 237.

ta-

tamen falſum eſſe ipſa decreti verba conuincunt, in quibus, vt inſtitutionis feſti rationem reddat, exemplum Romanæ Eccleſiæ proponit. At (inquies) doctrina de Conceptione Immaculata nõ placebat his ipſis, qui defendebant authoritatẽ Eccleſiæ Romanæ, ideò Concilium, vt ob defenſionem ſuſceptam aliqua ratione eos cõtriſtaret, decretum ipſis ingratum edidit, quamuis aliàs veſtigijs Eccleſiæ Romanæ inhereret. Sed hoc eſſe figmentum quis non videat? An omnes qui defendebant Eccleſiam Romanam, doctrinã etiam de Immaculata Conceptione reſpuebant? An quotquot Virginem putabant à peccato originali immunem, Romanam Eccleſiam perſequebantur? Ita nimirum cupis intelligi. Sed mõſtro ſimile eſt tam ad amuſsim coniunctum fuiſſe ſchiſma cum ſententia pia de Conceptione Virginis, è contra veró rectum de Romanæ Sedis poteſtate iudicium cum opinione affirmante maculam Conceptionis, vt omnes qui contra Põtificem ſentirent, Conceptioni fauerent; omnes qui fauerent Pontifici, Conceptioni aduerſarentur. Nil iam reſtat, niſi vt hinc elicias ſententiã negantem, ſchiſmaticorum eſſe; affirmantem verò, eorum, qui rectè de ſuprema Sedis Apoſtolicæ poteſtate ſentiunt.

238. Sed ſicut hæc audacia, & temeritate plena

ſunt,

ſunt, ita merum figmentum eſt decretum de Cõceptione editum fuiſſe á Synodo *in odium defenſorum Eccleſiæ Romanæ*. Quantó veriſimilius eſt à deuotione, & pietate erga Virginem profectum fuiſſe, quám ab odio erga quoſdam? An etiam Patres illi contra propriam mentem, & ſenſum decernebant, tanti facientes aduerſarijs refragari? Hæc deperditiſsimis etiam hæreticis vix liceret ſuſpicari. Quare nullus dubito Cardinalẽ Ioannem de Turrecremata, quem huius rei authorem refers, id in ſuo libro de Conceptione minimè ſcripſiſſe, ſed additum fuiſſe á Bartholomeo Spina, qui id opuſculum poſt multos annos edendum curauit, vt opponeret decreto Cõcilij Tridentini. Is ſanè dum ab erroribus amanuenſium librum illum expurgare profeſſus eſt, ſuis commentis, vel potius ſpinis, infarciuit, vt meritò dixerit Ambroſius Catharinus in præfatione diſputationis ad Tridentinum directa *eum librum non tam eſſe Turrecrematæ, quàm Spinæ*.

Turrecremata.

Bartholomeus Spina.

Catharinus.

239. Denique (vt alia omittam) ipſi Turrecrematæ, quamuis Eccleſiæ Romanæ defenſori, reuelationes ſanctæ Birgittæ Synodus commiſsit examinandas, quas & ipſe approbauit. Neque hoc parum conduxit ad decretum edendum, propter inſignes de Immaculata Conceptione reuelationes in libro ſanctæ Birgittæ contentas. Cum er-

go Concilium vnius ex defenſoribus Eccleſiæ Romanæ opera vſum fuerit in re ad decretum pertinente; figmentum eſt in eorum odium e didiſſe, aut id ſcripſiſſe Turrecrematam, cuius approbatione Synodus mota eſt ad decernendum.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 32.

240. *CVm Patribus Græcis ſentimus omnino Immaculatam Conceptionem Virginis, ſed iuxta relatum Menologium, editum à Genebrardo, quod, ſi videatur, æquiuocationem oſtendit. Conceptio Virginis ponitur ibi 25. die Martij; nono verò Decembris ponitur Conceptio B. Annæ. Conceptionem ergo actiuam, qua Chriſtum Virgo concepit, quis neget Immaculatam? Sed vbi agitur de Conceptione paſſiua, qua in vtero ſanctæ Annæ Virgo fuit Concepta, Menologij authoritas, vel inutilis eſt, vel deprauata.*

Digitized by Google

§. XXXII.

PATRES GRÆCI VIRGINIS A PECCAto originali præſeruationem defendunt.

MIRVM eſt quàm facilè te expedias á Græcis Patribus vna diſtinctiuncula Conceptionis in actiuam, & paſsiuam. Loquuntur, inquis, de Conceptione actiua, qua Virgo verbum concepit, non de paſsiua, qua ipſa in vtero Annæ Concepta eſt. Hac ſolutione ſatis factum putas Græcorum teſtimonijs, quæ pro immunitate Virginis á peccato originali ab Immaculatæ defenſoribus adducuntur. Sed quàm inane hoc ſit, facile oſtenditur. In primis quam plurima ſunt, in quibus Conceptionis vocem non vſurpant, atque adeò non habet in eis locũ diſtinctio de actiua, & paſsiua; & tamen Conceptioni paſsiuæ fauent, omnimodam Virgini puritatem tribuentes, omnis labis immunitatem, & ſimilia, quæ ſalua eſſe non poſſunt, niſi in primo inſtanti ſuæ Conceptionis Immaculata fuerit. Quare quamuis daremus, quoties Conceptionē Virginis exprimunt, de actiua eſſe ſermonem; tamen reſtant plurima loca, quibus ea ſolutio nõ quadrat, & Virginea immunitas á labe originali apertè ſtabilitur. Non eſt præſentis otij ea re- 241.

ferre,& expendere,quod abunde faciunt Immaculatæ defenſores.

242. Deinde falſum eſt Græcos Patres, quoties de Conceptione loquuntur,de actiua eſſe intelligẽdos. Nam quamuis in aliquibus locis id verum ſit,quibuspropterea non rectè vtuntur aliqui ex noſtris,tamen alia ſunt in quibus manifeſtè de Conceptione paſsiua eſt ſermo vt oſtendemus libro tertio de S. Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo, & opuſculo de origine cultus,& officij Eccleſiaſtici Immaculatæ Conceptionis contra Ferdinãdum de Salazar contendentem apud antiquores Patres vocem *Conceptio* actiuè ſumi.

243. Denique ex ipſo Græcorum Menologio,iuxta cuius loquendi formulam cõtendis accipiendos eſſe patres, cum Immaculatam appellant Conceptionem Virginis, facilè conuinceris. Conceptionem enim,qua ipſa Chriſtum concepit,non appellat Menologium *Conceptionem*, neque *Conceptionem Virginis*, ſed *Annuntiationem*. Ita enim habet 25. Martij: *Annunciatio Virginis Deiparæ Dominæ noſtræ.* Atque ita legitur in editione Genebrardi, quam tu præfers, excuſſa Pariſijs 1588. & Lugduni 1592. nõ (vt falsò aſſeris) *Conceptio Virginis.* Cum autem de ea loquitur, qua Virgo ipſa concepta eſt, *Conceptionis* nomine vtitur, ita enim habet in eadem Genebrardi verſio-

ne

ne nono Decembris:*Conceptio B.Annæ Dei,& Domini auiæ*,nempe qua Virginem concepit. Si ergo *cum Patribus Græcis ſentis omnino Immaculatam Conceptionem Virginis,iuxta Menologium editum à Genebrardo*,fatearis neceſſe eſt Immaculatam dici á Græcis Patribus eam, qua concepta eſt Virgo; nam illam,qua Chriſtum concepit,non appellat Menologium *Conceptionem*,ſed *Annuntiationem*.

Adde,quòd Virginis paſsiuam Conceptionem Menologium appellat Immaculatam.Nam 244.
9. Decembris in Græco eſt vox *agnè*, quæ *puram* ſignificat,*omnis ſceleris expertem,omnino impollutam*, vt habent lexica;vel *mundam*,vt in alia verſione legit Franciſcus Biuar commentario ſecundo ad Chronicon dextri anno 308.quòd verò ea vox non reperitur in editione Genebrardi, nihil obſtat,eam enim in Græco inueniſſe teſtatur Galatinus lib.7.de arcanis cap.5.tu *deprauatum* dicis Menologium,vbi ita legitur. Cur non potius deprauatus fuerit codex Græcus, ex quo tranſtulit Genebrardus? Nam quod Ferdinandus de Salazar cap.35.num.21.argumentatur verba Græca à Galatino aducta non ſatis cohærere iuxta Granmaticæ regulas, nullius ponderis eſt. *Galatin.* *Salazar.*

Sed age,eſto incorruptus fuerit codex Genebrardi,non illico neceſſariò ſequitur corruptum fuiſſe Galatini codicem. Imò vtrumque inte- 245.

grum eſſe facilè oſtendam, quin inde quicquam contra nos ſequatur. Sunt enim duo Græcorum Menologia, alterum eſt Kalendarium, in quo feſta ipſa nudè, & breuiter recenſentur, & eiuſmodi eſt Menologium, cuius codicem Græcum nactus eſt Genebrardus, quod propterea Kalendarium ipſe appellat; alterum eſt, quod nos appellamus *Martyrologium*, vbi, licet ſtrictim, ſanctorum geſta recenſentur. In Kalendarijs autem nuda nomina ſine epitheto mos eſt apponere, ideó in Græco Genebrardi codice ab eſt vox *agnè*; in Martyrologijs verò ſolent titulis exornari, ideó adiecta eſt in codice Galatini. At inquies, in Menologio edito ab Enrico Caniſio, quod Martyrologium eſt, ea vox deſideratur. Sed quid inde? in Menologio, quod vidit Galatinus habetur. Vnde probas huic illud eſſe præferendum? Sane Menologium, quod edidit Caniſius, multis mendis ſcatet, vt nos oſtendimus lib. 1. de S. Iacobo.

246. Sed quid fruſtra fatigamur? Eccleſia Græca Conceptionem paſsiuam Virginis celebrat, idque ex Menologio conſtat, neque tu negas. Sanctam ergo putat Conteptionem illam. Neque comminiſci poteris eo nomine ſanctificationem duntaxat ſignificari, neque enim Cõceptio, qua Anna concepit, ſanctificatio eſt, ſed opus naturæ: quare, cum eam Græci coluerint, beneficio

gra-

gratiæ ſanctam, & Immaculatam exiſtimaſſe dubitandum non eſt.

Quod ſi obijcias etiam à Græcis cultam Conceptionem Ioannis Baptiſtæ, nam in eodem Menologio 23. Septembris legitur: *Conceptio Ioannis Baptiſtæ*, quæ tamen ſancta non fuit. Nihilominus Græci eam colebant, vel potius celebrabant miraculum ſanatæ ſterilitatis, vel anunciationē prolis habendæ ab Angelo Zachariæ factam. Eodem ergo ſenſu celebrabant Conceptionem B. Annæ, quæ ſterilis etiam fuit, & ſimiliter Angelus B. Ioachimo prolem promiſsit, vt legitur in hiſtoria antiqua Diuo Hieronymo tributa, ſignificatque pictura multis locis frequens Ioachimi, & Annæ occurrentium ad Portam Auream. Hæc fortaſſe meditabaris cum ſcripſiſti Menologij authoritatem, *vel inutilem eſſe, vel deprauatam*; inutilem, quia in hoc ſenſu nihil probat pro Conceptione Immaculata Virginis, ſicut neque pro Conceptione Ioannis; *deprauatam* vero, vbi legitur vox *pura*, aut *munda*. 247.

Sed certè dubitandum non eſt Græcos coluiſſe Conceptionem Virginis, vt Immaculatam, & Præſeruatam, id quod apertè conſtat ex Leone Imperatore oratione *de Incarnatione* cuius aliā *de Conceptione* refert Baronius in notis ad Martyrologium. Neque quidquam officit quòd Bapti- 248.

ſtæ etiam Conceptionem coluerint prædicto ſenſu, quia longè aliam eſſe rationem de Conceptione B. Virginis manifeſtum eſt, tum ex diuerſitate perſonarum, tum quia in Græco Menologio (vt ſupra vidimus) Conceptio Virginis dicitur *pura* ſeu *impolluta*; Ioannis verò tantùm *Conceptio*. Neque hoc diſcrimen diſplicere poteſt libellatori, qui idem debet admittere in Eccleſia Romana, hæc enim olim coluit Conceptionem Ioannis, vt patet ex peruetuſto Romano Martyrologio, quod e tenebris eruit Roſvueidus, vbi 24. Septembris legitur *Conceptio Ioannis Baptiſtæ*. Conſtat autem non fuiſſe cultam vt ſanctam, & à peccato originali immunem, imò verò ſolùm celebratum eſſe miraculum, aut anuntiationem Zachariæ factam, aut etiam deſtinationem Ioannis ad munus præcurſoris. Similes autẽ explicationes in Conceptione Virginis non admittit libellator (quamuis ab antiquis excogitatas) ſed fatetur coli ſanctitatem Conceptionis, neque negare poſſet, cum Eccleſia Romana eam appellet *Sanctam*.

Roſvueidus.

249. Atque hinc tandem perſpiciet quàm euidẽs ſit Romanam Eccleſiam hodie colere Conceptionem Virginis, vt Immaculatam, & præſeruatam nam cũ olim (forte Græcos imitata) coluiſſet Coceptionem Ioannis, tamen abolendum

cen-

cenſuit eiuſmodi feſtum (hodie enim abeſt à Romano Martyrologio, & Kalendario) nempe ne putaretur celebrare ſanctitatem Ioannis in Conceptione: & eam, vt á peccato immunē; id enim præſefert feſtum Conceptionis ſimpliciter acceptum, & nihilominus feſtum Conceptionis Baptiſtæ propterea abrogans, feſtum Conceptionis Virginis inſtituit, planè oſtendens huius immunitatem celebrari, quod de Ioanne nefas erat intelligi; ſimul etiam manifeſtè explodens commentum de ſanctificatione à tempore abſtrahēte, nam ſi hanc ſolam in Virgine nomine Conceptionis intelligeret, non erat cur feſtum Ioannis aboleret, quandoquidem ipſe etiam in vtero ſanctificatus fuit, atque adeò iure optimo poterat ſanctificationis eius feſtum inſtitui etiam ſub nomine Conceptionis, ſi ea vox ſolam ſanctificationem in officio Eccleſiaſtico ſignificat..

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 33.

IMperiti concionatores diſcant hæc populis licenter obtrudere, ſed frequenter in ſancto Officio temeritatis pœnas luunt. De viris doctis iudicium ferant 250.

alij. Non ideò eorum conciones approbantur, quia non ex preſsè damnantur.

§. XXXIII.

LIBELLATOR INIVRIAM IRROGAT concionatoribus, & parum ſibi conſtat.

251. DVM inter concionatores Immaculatæ Cõceptionis viros doctos agnoſcis, non videtur tibi ſuccenſendum, quòd alios *imperitos* appelles. Neque enim quotquot de Immaculata Conceptione, aut de alijs myſterijs, concionantur, peritiſsimi ſunt. Vtinam eſſent. Sed in hac tua modeſtia latet ingens in omnes iniuria. Facultatem facis imperitis concionatoribus vt *hæc* populis obtrudere diſcant. quæ? nempe reuelationes, miracula, Pontificum diplomata, Synodum Baſileenſem, Græcos Patres, Menologium, hæc enim præceſſerant. At hæc non imperiti tantùm concionatores, ſed doctiſsimi viri, non in concionibus duntaxat, ſed in libris lucernam olentibus, accuratiſsimè expendunt, & populo, doctiſque etiam, proponunt. Si ergo his teſtimonijs vti imperitia eſt, licentia eſt, temeritas eſt; omnes concionatores imperiti ſunt, licentes ſunt, temerarij ſunt; illi etiam, quos tu doctos

appel-

appellas. Hoc ſi non eſt atrox iniuria in omnes Immaculatæ defenſores, imò piæ ſententiæ cenſura, & damnatio; quid ſit ego non video.

Quod vero addis eiuſmodi concionatores pœnas luere in ſancto Officio, & quidem *frequenter*; hactenus non audiuimus. Sanè ſi qui ſunt qui pœnas luerint; non dubitamus nō propterea punitos, quia reuelationes ab Eccleſia approbatas, legitima miracula, Pontificum diplomata, Baſileenſem Synodum, Græcos Patres, Menologium in medium produxerint; ſed ob alia, quæ nihil conducunt ad defenſionem Immaculatæ. Neque nunc libet examinare, an aliqui ex aduerſarijs pœnas etiam luerint apud ſanctam Inquiſitionem ob liberiorem piæ ſententiæ cenſuram, ne videamur par referre. Neq; negamus aliquos concionatores aliquando miſcuiſſe bilem ſuam defenſioni Immaculatæ, licet atrociter prouocati. Vtinam modeſtius egiſſent, & patienter tuliſſent conuitia. Virgo enim modeſtiſsima, neque eget, neque delectatur immodeſtis defenſionibus. Illud tamen non dubitamus minus in hac parte peccatum fuiſſe à defenſoribus Immaculatæ, quàm ab aduerſarijs. Vide quæ diximus cap. 4. §. 2. 252.

Denique de concionibus doctorum virorum ſubdis: *Non ideo eorum conciones approbantur, quia* 253.

non expreſsè damnantur. Loqueris (ni malè conijcio) de concionibus, quæ in ſacello Pontificio fiunt in die Cóceptionis, vt facilè intelligitur ex his, quæ ſcribis in hoc Libello 2. num. 39. nempe aliquis ex noſtris in Libello, cui reſpondes, argumentum confecerat ex concionibus, quæ ibi fiunt. Nam cum præſente, & audiente Pontifice toties Conceptio titulo Immaculatæ ornetur impunè, immeritò prohiberi decreto facilè intelligitur. Huic argumento occurris non ideò conciones approbari, quia non expreſsè damnentur. Sed de hoc commodius agemus infra §. 38. Nunc ſolutionem tuam tibi opponimus. Nam ſi non ideò conciones approbantur, quia non expreſsè damnantur; ergo titulus Immaculatæ, quamuis non expreſsè damnetur, non ideò approbatur: quid ergo contendis, & toties repetis opportuiſſe decreto prohiberi, quia aliàs approbatus cenſebitur ab Eccleſia? Vides inconſtantiam tuæ diſputationis, imó pugnantiam?

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 34.

254. *Vniuerſitatum, Doctorum, aliorumque opinantium*

obij-

obijcitur multitudo; ſed vota ponderanda ſunt, non numeranda. Nec populorum conſenſus diffinitiones fidei facit, vel cogere poteſt, vt fiant. Ariana hæreſis fere in omnes inualuit, & teſte ſancto Hieronymo ingemiſcens totus Orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt. Sub Pontifice B. Stephano tota fere Eccleſia, duobus tantùm, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus, in Anabaptiſmum abijt. Quia tamen nõ adfuit Summi Pontificis conſenſus, in quo infalibilitatis priuilegium reſidet, Eccleſia non errauit. Nihilominus mirum eſt, quò in huius quæſtionis ardorem ducti fuerint Patres Salazar, & Valentia alias expendendi, vna cũ ijs, quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur, præſentis enim inſpectionis non ſunt. Baroni. ad ann. 359. n. 42 & 49.

§ XXXIV.

LIBELLATOR FALSO, ET TEMERE hæreſis notam inurit Eccleſiæ ſub Stephano primo, & Liberio; & etiam ſi verè, extra rem.

EGREGIVM ſanè eſt, quòd nobis texentibus Cathalogum vniuerſitatum, & Doctorum, qui in Conceptionis Immaculatæ verba iurarunt, opponis *vota ponderanda eſſe, non numeranda*. Itaq; in tua ſtatera nullius ponderis ſunt celeberrimæ Academiæ Pariſienſis, Salmanticen- 255.

ſis, Complutẽſis, & aliæ quàm plurimæ, quæ nullum ad honores admittunt, niſi conceptis verbis iurauerit defenſurum ſe Immaculatam Virginis Conceptionem. Harum multitudo ſi tibi tantũ numerus eſt, certè non poteris huic numero aliũ numerum opponere, etiam minorem, imò neq; monadem; nulla enim eſt in toto Orbe Chriſtiano Academia, etiam Dominicana, quæ pro laureis ſuſcipiendis requirat iuramentum defendẽdi peccatum originale in Virgine. De Doctoribus vero, ſi hoc nomine Patres intelligis, vix vnum inuenies tibi fauentem; ſi Scholaſticos, præcipui pro nobis ſtant, Diuus Thomas, Albertus Magnus, S. Bonauentura, Alenſis, Scotus, de quibus illud ſaltem certum eſt ad noſtra tandem caſtra tranſiſſe. Vbi ergo eſt pondus pro tua ſententia, quod noſtræ multitudini opponas?

256. Denique (vt te benignè interpretemur, quamuis fortaſſe violenta eſt interpretatio) ſi cum aſſeris *vota ponderanda eſſe, non numeranda*, non ſpernis noſtrorum authoritatem, ſed tantùm contendis non ſatis eſſe eos pro nobis referre, ſed expendẽda eſſe teſtimonia, vtrum noſtræ cauſæ faueant; rectè dicis. Sed vide an Academiæ ponderatione egeant, quæ ſolemniter iurant Conceptionẽ Immaculatam. Patrum, & Doctorum teſtimo-

Digitized by Google

nia quædam tam aperta ſunt, vt non ſit opus ponderatione, reliqua ſatis à viris doctis expenduntur. Itaque, & vota ponderamus, & numeramus. Nam quod ais non eſſe numeranda, ſi abſolute accipiatur, doctrinam continet parum tutam, & iuri, atque Eccleſiaſticæ conſuetudini contrariam; nam in concilijs, & vbicumque plures ad deliberandum concurrunt, maior pars attenditur.

Subdis, *nec populorum conſenſus definitiones fidei facit, vel cogere poteſt, vt fiant.* Quorſum hæc? Non eſt nobis quæſtio de fidei definitione, ſed de titulo Immaculatæ, quem vniuerſus fere fidelium cætus Conceptioni tribuit. Sed tu, vt inuidiam concites, frequenter inculcas fidei definitionem, cuius etiam aſſertionem per ſummam calumniã tribuis defenſoribus Immaculatæ, cum planiſsimè fateantur, & moneant populum Conceptionem Immaculatam nondum eſſe definitã. Illud tamen non dubitamus, quamuis populorum conſenſus definitiones fidei non faciat, vel cogere poſsit vt fiant; tamen ad has ipſas definitiones faciendas multum ponderis habere, nempe cum populus, & vniuerſi ordines cõſpirant, hoc enim arguit communem Eccleſiæ ſenſum. Hoc autem hodie contingit in doctrina de Immaculata Cõceptione; non enim duntaxat vulgus fidelium, 257.

ſed Epiſcopi etiam, Religioſi ordines, Clerus, ſæculares Principes, Academiæ, ciuitates, Regna integra, denique vterque ſexus, cuiuſcunque ætatis, ita Immaculatam Conceptionem amplectuntur, vt vix aliquis reperiatur, qui diſſentiat.

258. Et quamuis vulgo receptũ ſit ab hac vniuerſali comprehenſione excipiendam eſſe familiam Dominicanam, ego tamen ex doctiſsimis huius ordinis, qui noſtro ſæculo viuunt, vix excipiam aliquem, non ſolum quia video iam á multis annis præſtantiores nobiſcum militare; ſed quia quotidiana experientia docet, quos nobis aduerſarios putabamus, cum ſeſe offert occaſio, animum Immaculatæ propenſum oſtendere, non ſine vulgi admiratione. Tacent multi quidem, nec difficile eſſet cauſas aperire ſilentij; ſed in corde habere Immaculatam, mihi perſuaſum habeo. Sané in vniuerſa Gallia ab antiquis temporibus omnes Immaculatam celebrant, in Hiſpania frequẽtiſsima fuit ea ſolemnitas, hodieque in aliquibus huius familiæ cœnobijs magno apparatu doctiſque ac perſpicuis de hoc myſterio ad populum concionibus pié ſimul ac magnificè colitur. Itaque vix aliquid, aut certé parum ab eſſe videtur, vt omnes omnino fideles, atque adeò vniuerſam Eccleſiam in hunc ſenſum conſpiraſſe affir-

mare poſsimus. Hæc cum ita ſint, quis dubitet, quamuis fidelium conſenſus definitiones fidei non faciat; tamen, ſi Sedi Apoſtolicæ aliquando placeat cōtrouerſiam dirimere, magni ponderis apud eam futurum hunc fidelium conſenſum vt pro ſententia pia decernat?

Vt hoc argumentum enerues, opponis cum, hoc vniuerſali conſenſu compati poſſe falſitatē. 259.
Idque duobus exemplis confirmas. Primum, nā vt teſtatur S. Hieronymus aduerſus Luciferianos *ingemiſcens totus Orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt*, nempe ſub liberio Pontifice, cum in Ariminenſi Synodo (vt ſcribit idem Hieronymus) *Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt*. Tunc aſſeris Arianā hæreſim ferè in omnes inualuiſſe. Secundum exēplum eſt cum *ſub Pontifice B. Stephano tota ferè Eccleſia, duobus tantum, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus in Anabatiſmum abijt.* *S. Hieronymus.*

Mirari ſatis non poſſum, quò te deduxerit ardens animi contentio, vt neque Eccleſiæ ipſi parcas, quin Arianæ hæreſis, & Anabaptiſmi nota inuras, *totum* videlicet *orbem, totam fere Eccleſiam*, hoc eſt exceptis tribus Epiſcopis totam. Tanti ne tibi eſt Virginem in peccato fuiſſe Conceptam, vt ad tuendam hanc ſententiam ipſa etiam Eccleſia, quæ ſub Stephano ante mille & quadringentos annos, & ſub Liberio ante mille & 260.

trecentos vixit, non ſit ſatis á te ſecura, imó grauiſsimam hæreſis notam patiatur? Quid enim ſibi vult *quia tamen non adfuit Summi Pontificis conſenſus, Eccleſia non errauit*, niſi quód omnes præter Pontificem errarunt? adeò non potes nos debellare, niſi etiam Eccleſiam antiquam facias Arianam, & Anabaptiſtam?

261. Sed quàm falsò hæc effutias, quilibet, vel mediocriter in Eccleſiaſtica hiſtoria verſatus, facilè perſpiciet. Et vt ab Eccleſia ſub Liberio faciamus initium, tu ipſe potuiſti diſcere ex ipſis verbis S. Hieronymi, quibus abuteris. Nam ſi *ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt*; Ergo re ipſa non erat Arianus. Quid enim miraretur ſe eſſe, quod non niſi ſponte eſſe poterat? An Lutherani mirantur ſe eſſe Lutheranos, aut Caluiniſtæ Caluiniſtas? Res ita ſe habet. Probauerunt Patres Concilij Ariminenſis formulam fidei á Valente Ariano propoſitam, in qua Chriſtus dicebatur Deus, Dei filius, ante ſæcula ex Patre genitus, Patri ſimilis, non eſſe creaturam, vt ſunt cæteræ creaturæ, de Deo Patre eſſe, & ante omne tempus. Quæ omnia refert Hieronymus prædicto loco. Hæc formula Catholicis placuit, quia in ea videbantur Ariani ab errore ſuo recedere, quamuis ſilebatur vox *ſubſtantia*, & *conſubſtantialis* in Nicæna Synodo ſtabilita. Soluto

Concilio iactabat poſtea Valens ſe nihil Arianæ doctrinæ contrarium admiſsiſſe, non enim negauerat filium eſſe creaturam, ſed eſſe, *vt ſunt cæteræ creaturæ*, nempe quia præſtantiſsima creatura eſt. Circumuenti quidem ſunt Catholici in eo concilio hæreticorum dolis, & vafricie, & in eo culpari meritò poſſunt, quòd in ea formula paſſi ſunt non exprimi vocem *conſubſtantialis*, de qua præcipua lis erat; non tamen propterea aut in hæreſim inciderunt, aut Ariani cenſendi ſunt, nihil enim in his quæ approbarunt, continetur, quod non ſit Catholicæ fidei conſonum, ſi rectè intelligatur. Quare ingentem iniuriam, & punitione dignam eis irrogas, cum ais *Ariana hæreſis ferè in omnes inualuit.*

Neque omittendum eſt quòd auſus fueris Baronij locum margini adſcribere, nempe ann. 359. num. 42. & 49. cum Cardinalis egregiè Patres Concilij Ariminenſis defendat, & tuam calumniam explodat. Nam cum numero illo 42. Hieronymi verba retuliſſet, ſubdit ſtatim num. 43. *Num, quia Valens in hæreticum ſenſum verba illa detorſit, fiet, vt quadringenti Epiſcopi in optimam potioremque ſignificationem eam ſententiam interpretati, euaſerint hæretici ex Catholicis? Abſit: cum præſertim noſcatur, quòd explicatio illa Valentis fuerit ſubdola potius cauillatio, quàm quæ poſſet ex regula illa fidei* 262.

interpretatio germana deduci. Pergit, & oſtendit Valentis illam de creatura interpretationem minimè coherere cum alijs ſententijs eiuſdem formulæ, quam ipſe profeſſus fuerat, planéque inconſtantem, & ſibi contrarium fuiſſe.

263. Deinde num. 44. *cæterum* (inquit) *ſicut indignũ eſt tot Patres dicta ex cauſa aſpergere quauis leui macula hæreſis; ita nihilominus reprehenſione minimè caruerunt, quòd paſſi ſint ſilentio ſepeliri nomen* ſubſtantiæ, *& vocem illam* conſubſtantialitatis *in Nicæno Concilio ſtabilitam, tanquam oſtentum, & ſcandalum inferentem, omitti.* Hæc fuit Patrum culpa, non hæreſis. Rurſus poſt pauca explicat verba Hieronymi, quæ tu perperã intelligis, vt totum Orbem Arianum facias. *Quod igitur ait S. Hieronymus* Orbem ingemuiſſe, ſeque Arianum eſſe miratum; *haud ſic accipiendum eſt, vt quam adeò deteſtati erant, atque hactenus abominarentur, Arianam hæreſim crederent ſe inuitos dolenteſque eſſe complexos, cum tamen non niſi volens quis effici poſsit hæreticus: ſed quòd in noua fidei regula,* conſubſtantialitatis *nomine prætermiſſo, atque* ſubſtantiæ *pariter ablegato, patefacto eam ob cauſam Arianis aditu ad inuadendam Catholicam fidẽ, ijdem viſi eſſent Nicænæ fidei proditores.*

264. Sed illud mirari ſatis non poſſum, quòd auſus fueris in margine citare num. 49. cũ ibi hæc ſcribat Baronius: *Quod rurſum pertinet ad Ariminen*

ſe Concilium;illud accuratius animaduertendum eſt, ab alijs damnatum vt impium, ab alijs verò commendatũ atque probatum vt Orthodoxum, quòd illius conſiderandi diuerſa fuerit ratio diuerſorum. Rei tamen veritate perſpecta non niſi Catholicum,& ſumma laude dignum idem AriminenſeConcilium meruit appellari,in quo Arianæ fidei profeſsio Firmij edita, & Arimini in Concilio recitata,omnium Patrumſententia fuit exploſſa, & Nicæna confeſsio cunctorum ſuffragijs ſtabilita; ac demum ei aduerſantes,cùm Ariani omnes, tum denique, qui præſto erant, Vrſacius, Valens,ac ſocij omnium ſententia anathemate condemnati: qnibus omnibus abſolutis,quorum cauſa vocati erant,Concilium pariter perfectum eſt.Hæc ſcribit Baronius;& tamen audes locum citare,vt probes *Arianam hæreſin ferè in omnes inualuiſſe*.non te pudet?

Nunc ad Anabaptiſmum veniamus,quem toti fere Eccleſiæ tribuis,*duobus tantùm, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus*. Hîc vel maximé temeritas tua elucet,qui ſine vllo authore, imo contra omnium ſcriptorum teſtimonia, tam atrocem iniuriam irrogas Catholicis Epiſcopis, cæteriſque fidelibus,atque adeò Eccleſiæ Catholicæ,tres ad ſummum Epiſcopos excipiens.Nam vnde id noſti? Vbi legiſti? Quem authorem ſequeris? Cur non eum in margine notaſti,ſicut Baronium, cũ de Arianiſmo agebas? ſane ſi tres tantum Epiſ- 265.

copi cum B. Stephano Papa reſtiterunt, non erat ab ſcriptoribus ſilentio prætereundum; æternam enim laudem merebantur, vt pote quorum humeris orthodoxæ fidei ædificium ſtetiſſet, ne penitus laberetur. Quare ſcriptores Catholici, ſicut propterea B. Stephanum miris laudibus efferunt, hos etiam duos, vel tres Epiſcopos nominarent, & laudarent. Imò aduerſarij, ſiue, qui tēpore Stephani Anabaptiſmum defendebant, ſiue qui tempore Hieronymi, & Auguſtini eundem errorem tuebantur, hæretici etiam Nouatiani, Luciferiani, Donatiſtæ, id non omiſiſſent; multum enim conducebat, ſi oſtenderent, vniuerſam Eccleſiam Stephano tantúm, & duobus, vel tribus Epiſcopis exceptis ſecum ſenſiſſe. At ſi totam antiquitatem excutias, nihil eiuſmodi inuenies. Scripſerunt hac de re S. Cyprianus, Firmilianus, Dioniſius Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, S. Baſilius, Vincentius Lirinenſis, S. Hieronymus, S. Auguſtinus omnium accurratiſsime, Nicephorus, quorũ omnium ſcripta, & teſtimonia diligenter (vt ſolet) euoluit, & cōgeſſit Baronius anno 258. & tamen de hoc Epiſcoporum ternario altum ſilentium.

266. *Vincẽtius Lirinẽſis* Imò Vincentius Lirinenſis, & S. Auguſtinus apertiſsimè commentum tuum explodunt, ille enim aduerſus hæreſes cap. 9. ita ſcribit: *Cum ergo*

vndi-

vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauerſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur: tunc Beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris, reſtitit. Audis *cunctos* reclamaſſe, *omnes quaqua vorſum Sacerdotes*, denique cum Stephano *cæteros collegas ſuos*. Quod ſane de omnibus Occidentalibus Epiſcopis intelligendum eſt. Auguſtinus verò lib. 3. contra Creſconium cap. 1. teſtatur ex Orientalibus *quinquaginta* tantùm, ex Africanis *ſeptuaginta, vel aliquantò plures* (ſeptuaginta, & vnum enumerat Cyprianus Epiſt. 73.) errorem amplexos *contra tot* (inquit) *millia Epiſcoporum: quibus hic error in toto Orbe diſplicuit.* Quin, & ibidem docet multos in Africa Epiſcopos Cypriani ſententiam non fuiſſe ſequutos, vt neque de Africanis quidem verum eſſe poſsit, quod ais: *Duobus tantùm, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus.* Itaque in Oriente plurimi, in Meridie (hoc eſt Africa) multi, in Occidente, id eſt Italia, Hiſpania, Gallijs (& ſi qui erant in alijs Prouincijs Epiſcopi) omnes veritatem Catholicam amplectebantur. Qua ergo fronte audes affirmare *totam ferè Eccleſiam duobus tantùm, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus in Anabatiſmum abijſſe?* Cuilibet priuato notam hæreſis immerenti inurere, graue crimen eſt; *toti ferè Eccleſiæ*, quantum erit?

S. Auguſtin.

Sed

267. Sed illud tandem animaduerſione dignum eſt, te his exemplis, quamuis vera eſſent, nihil cauſæ tuæ proſpicere, ſed ea omnino eſſe extra rem, quam cupis perſuadere; vt vel inde maiori reprehenſione dignus ſis, quòd tam gratis (vt ita dicam) & ſine vllo tuo commodo tam grauem iniuriam irroges Eccleſiæ, quæ ſub Liberio, & Stephano viguit. Itaque, quod ad præſens attinet, non ſolum in te fides Eccleſiaſticæ hiſtoriæ deſideratur, pietas in Eccleſiam, & reuerentia in Epiſcopos; ſed etiam in diſſerendo cohærentia, & acoluthia. Hoc facile oſtenditur. Demus tibi omnes Patres Concilij Ariminẽſis (de his enim loquitur Hieronymus) in Arianam hæreſim lapſos fuiſſe, quod tamen eſt falſiſsimum. Quid inde? An propterea de vniuerſo Orbe Chriſtiano idem dicendum eſt? Minimè. Nã præter illos Epiſcopos, erãt in Eccleſia multi Sacerdotes, ac Religioſi, deinde ingens fidelium populus optimè in fide Nicena inſtructus, qui veritatem Catholicam amplectebantur.

268. Accedit; quód Concilium illud non fuit vniuerſale, nam eodem tempore aliud celebratur Seleuciæ in Oriente. Impetrauerant enim Ariani ab Imperatore Conſtantio impiæ ſectæ propugnatore, vt quamuis indictum erat vniuerſale Concilium, diuideretur in duo. Cauſas huius

con-

conſilij detegit S. Athanaſius *de Synodis*, neque tamen in Seleucienſi defuerunt Epiſcopi fidei Catholicæ propugnatores, interfuit enim S. Hilarius Pictauienſis, & Epiſcopi ex Egypto, qui cum ipſo pro Nicæna fide egregiè pugnarunt, quorum ipſe Hilarius meminit ſcribens ad Conſtantium; non ergo erat tota Eccleſia Concilium illud Ariminēſe, neque Seleucienſe, neque vtrũque; cum enim in vnum non conuenerint, non cōpetit eis Eccleſiæ repreſentatio, quæ Conciliorum vniuerſalium propria eſt. Imò etiam ſi competeret, adhuc non erant tota Eccleſia, non enim idem eſt Eccleſiam repreſentare, & eſſe. Quare licet illa Concilia prorſus, & omnino erraſſent, non inde ſequitur vniuerſum cætum fidelium erraſſe, cum ſi numerum attendas, exigua pars erat vtrumque Concilium. *S. Athanaſius.*

Atque hinc iam elucet longum diſcrimen exempli á te adducti, & argumenti ineficacia. Nos veritatem Immaculatæ Conceptionis probamus ex conſenſu totius Eccleſiæ hodiernæ, non Epiſcoporum tantúm, ſed omnium ordinũ & populorum, paucis tantúm exceptis, qui tamen ſilere iubentur, & de quibus non ſatis conſtat, an adhuc in ſententia contraria perſiſtant. Tu hunc conſenſum circa rem falſam verſari poſſe contendis, probaſque exemplo Epiſcoporum 269.

qui tempore Liberij in hæreſim Arianam incide runt. Nulla eſt ſimilitudo, nam præter illos, longè maior numerus fidelium reſtabat, qui in eum errorem lapſi non ſunt. Itaque error non fuit vniuerſalis, & omnium ordinum, ſicut modò eſt cõſenſus de Immaculata. Atque idem etiam reſpõdemus exemplo de Anabaptiſmo ſub S. Stephano; nam vt demus omnes Epiſcopos erraſſe tribus tantum exceptis (quod tamen falſiſsimum eſt) reſtabat reliquorum fidelium cœtus, in quibus potuit veritas fidei illibata permanere. Exẽpla ergo quæ adducis, etiamſi admittantur, nihil probant, neque ſunt ad rem, cum longè diſcrepent á præſenti ſtatu conſenſus circa Immaculatam.

270. Sed præcipuum, & euidens diſcrimẽ eſt, quòd hodierna perſuaſsio de Immaculata Conceptione non eſt vtcumque fere omnium fidelium cuiuſcumque ſtatus, neque ita vniuerſi corporis Eccleſiæ, vt independens ſit á capite; ſed potius inde accipit vigorem. Sentiunt enim fideles Immaculatam Conceptionem non ſolùm vidente, & permittente Sede Apoſtolica, ſed etiam citra definitionem approbante, imò ad eum aſſenſum inuitante. Adeò, vt, quod hæc pietas tam latè creuerit, vt vniuerſam penè Eccleſiam peruaſerit, Sedi Apoſtolicæ tribuendum ſit. Alliciũtur

enim

enim fideles ad hanc de Immaculata perſuaſsionem, cum vident feſtum de ea ab Eccleſia inſtitutum, indulgentias colentibus conceſſas, Religioſos ordines Conceptioni dicatos, contrariæ ſententiæ ſilentium impoſitum, ſuam eximijs fauoribus promotam. Nihil ſimile eſt in Arianiſmo, & Anabaptiſmo, ſed potius omnia contraria. Qui enim in eos errores labebantur, ab Eccleſia Romana palam diſcedebant reſiſtentibus, & prohibentibus Summis Pontificibus. Quare licet vera eſſent exempla quæ adducis, & vniuerſa Eccleſia excepto Stephano in Anabaptiſmum incidiſſet, & excepto Liberio in Arianiſmum (quod tamen impium eſt aſſerere, non enim poteſt tota Eccleſia etiam excepto Pontifice deficere in fide alioquim non daretur Eccleſia, Pontifex enim nō eſt Eccleſia, ſed caput, atque adeò ſi reliquus cœtus deficeret, daretur caput ſine corpore) tamen ex illo vniuerſali errore non ſequeretur, aſſenſum hodiernum de Immaculata Conceptione poſſe eſſe falſum quantumuis ſit vniuerſalis; quia coniunctus eſt cum approbatione Sedis Apoſtolicæ, quæ quamuis non definierit, proponit tamen fidelibus Immaculatam tanquam cultu, & veneratione dignam, in quo errare non poteſt.

Vnde tandem fit cauſam quam reddis, cur to- 271.

ta fere Eccleſia Ariana fuerit,& Anabaptiſta,nó ſolum tibi non prodeſſe, ſed palam conuincere. Si enim tunc abſoluté Eccleſia non errauit, *quia non adſuit Summi Pontificis conſenſus,in quo infallibillitatis priuilegium reſidet*, manifeſté concluditur nunc non eſſe periculum erroris in communi perſuaſione Conceptionis Immaculatæ, quia adeſt conſenſus Pontificis, non quidem decernentis de fide,ſed approbantis,& cultui publico, & ſacro proponentis Immaculatam Conceptionem, in quo ipſe ob infalibillitatis priuilegium errare non poteſt. Quare exempla,quæ adducis, non ſolum ſunt extra rem, ſed tibi nocent.

272. Quod in calce miraris ardorem Valentiæ, & Salazarij in his,quæ ſcribunt circa probabilitatem,& qualitatem vtriuſque ſententiæ,miror ſané quòd eos præcipué nomines,cũ alij ſint multo ardentiores,quibus illi collati, tepidi videri poſſunt. Si non credis, lege Ægidium Luſitanũ lib.3.quæſt.6 toto articulo primo. Laurentium de Aponte in cap.1.Sapientiæ num.4.digreſsione 2.Franciſcum á S.Ioſep.Sueſſa diſputatione ad Paulum Quintum,Vuadingum de legatione, vt alios omittam:nos de probabilitate nonnulla diximus in hoc cap.§.2.& de certitudine §. 17. num.85.& 93.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 35.

A*Gitur præciſè de titulo Immaculatæ nō Conceptioni ſed Virgini annectendo ex decreto Sacræ Congregationis ad menten Gregorij XV. & Vrbani Octaui. Quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur: ſi licet ſcribere, & typis mandare propoſitionem hanc,* B. Virgo fuit immunis à culpa originali, *quare non licet ſcribere hæc verba* Conceptio Immaculata? *vel ſenſus eſt idem, vel non; aſsignetur ergo, in quo differunt; ſin minus, decretum reuocetur.* 273.

Si præciſè agitur de titulo Immaculatæ; quorſum ea quæ à num. 30. ad 34. de tua ſententia, & contra noſtram diſſeruiſti? an tantùm, vt ſilentium tibi indictum rumperes, & Apoſtolicas prohibitiones frangeres? Sed quod ais aſſertum decretum eſſe iuxta mentem Gregorij XV. & ſupra cap. 4. §. 5. & in hoc cap. 5. §. 4. 5. 6. & 14. exploſsimus, & cap. 10. & 11. latiſsimè conuincemus. Non autem eſſe iuxta mentem Vrbani VIII. ſatis oſtendimus in hoc capite, præcipuè §. 28. denique quod ais: *Sin minus, decretum reuocetur,* quaſi is ſit noſtri argumenti ſcopus; ſcias nobis non eſſe curæ decreti reuocationem, neque 274.

Digitized by Google

enim ea indiget decretum nondum legitimé promulgatum, neque à ſacra Congregatione iuſſum publicari, tantúm contendimus coercendã eſſe eorum audaciam, qui contra mentem ſanctæ Inquiſitionis, illud mãdant executioni, populoſque fallunt. Vide quæ diximus §, 1. huius capitis.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 36.

275. *SEd reſpondemus hæc duo differre in modo ſignificãdi. Propoſitio enim, quæ affirmat, vel negat, indicat ſenſum, vel opinionem priuatã proferentis; terminus verò complexus, præſertim verò epithetum ſeu attributum, importat Principis, vel Vniuerſitatis approbatiuum conſenſum, vt cum dicimus* magnus Dux, *aliud concipitur, quàm ſi dicatur:* hic Dux eſt magnus; *vel Suarez eſt magnus doctor, aliud ſonat vox* magnus, *quam vbi dicitur* Albertus Magnus. *Enũciatio indicat ſenſum enuntiantis, ſimplex prolatio illius termini* Magnus *indicat communem, & approbatum conſenſum, habet ratione modi ſignificandi energiam quãdam, & eſt antonomaticè dictum. Ita ſi liberè ſcribatur* Conceptio Immaculata, *facile cenſeri poteſt ex communi, imò ex Eccleſiaſtico conſenſu ſtatui veritatem*

illius partis controuerſiæ, quod ante definitionem omnino fugiendum eſt. Hoc autem in propoſitione non contingit, vt dictum eſt, quia refertur ad priuatam ſcribentis ſententiam, ideò rationabiliter vnum admittitur, & aliud prohibetur.

§. XXXV.

DISCRIMEN, QVOD COMMINISCITVR Libellator inter propoſitionem, & terminum complexum, ficticium eſt, & ipſi nihil prodeſt.

VT Reſpondeas argumento numeri præcedentis, quod á propoſitione ad terminum complexum procedit, nouam inueniſti regulam grammaticis, Rhetoribus, & ſummuliſtis hactenus inauditam. Propoſitio, inquis, opinionem priuatam proferentis indicat, terminus verò complexus Principis, vel Vniuerſitatis approbationem. Meræ nugæ. Nam & propoſitio, & terminus complexus æqué apta ſunt, vt vel priuatā opinionem, vel publicam approbationem indicent, neque quo ad hoc aliquod eſt diſcrimē, ſed vel ex perſonis, quæ loquuntur, vel ex ſubiecta materia dignoſcendum eſt. Nam ſi Princeps in reſcripto, aut lege loquatur, ad publicam appro- 276.

bationem pertinebit,ſiue affirmet aliquid, ſiue rem aliquam epitheto ornet: Si verò priuatus ſit,qui loquitur aut ſcribit,ex ſubiecta materia, & alijs ſermonis circunſtantijs facilè intelligitur an priuatum ſuum ſenſum duntaxat exprimat, an communem,& ab omnibus receptũ,vel ex authoritate Principis,vel ex omnium perſuaſione. Et vterque ſenſus,vel priuatus,vel publicus poteſt á priuato exprimi ſiue in propoſitione, ſiue in termino complexo.

277. Hoc patet in ipſis exẽplis quæ tu adducis. Idẽ enim eſt ſiue dicã *Magnus Dux*, ſiue *hic eſt magnus Dux*, vel *hic Dux eſt Magnus*, ſi de eodem loquar nempe de Gundiſaluo Fernandez de Cordoua, qui ob res fortiter in bello geſtas magni Ducis cognomen communi calculo meruit, vnde per quandam antonomaſiam cum Hiſpani dicimus *El Gran Capitan*,de Gundiſaluo intelligimus, & idem faciunt Itali. Huic ergo ſiue in propoſitione,ſiue in termino complexo magni epithetum tribuatur,communis omnium conſenſus, non priuatus tantúm exprimitur. Nam cum dico *hic eſt Magnus Dux*,ſenſus eſt; hic Gundiſaluus eſt, qui omnium conſenſu magnus Dux appellatur. *Hic Dux eſt magnus*,ideſt hic Dux eſt ille,qui magnus ab omnibus vocitatur. Quodſi de alio loquar,qui nondum eum honorem communi con-

ſen-

ſenſu meruit, priuatam meam opinionem indicabo, ſiue eum in propoſitione eo epitheto ornem *N. eſt Dux Magnus*, ſiue in termino complexo *Magnus Dux N.*

Idem patet in Alberto, & Soario, quod eſt ſecundum exemplum á te adductum. Nam cum 278.
dico *Albertus Magnus*, cõmunem conſenſum ſignifico, non præciſsè quia vtor termino complexo, ſed quia is titulus ei omnium conſenſu tribuitur, quem etiam exprimo in propoſitione *Albertus eſt Magnus*, ſenſus enim eſt Albertus eſt, qui omnium calculo magni cognomen meretur. De *Suarez* vero ſiue dicam in termino complexo *Magnus Doctor Suarez*, ſiue in propoſitione *Suarez eſt Magnus Doctor*, priuatum meum ſenſum exprimo, quia non dum ille eo epitheto communibus ſuffragijs honoratur, quamuis ſatis meretur.

Vanum ergo eſt diſcrimen, quod aſsignas inter terminum complexum, & propoſitionem, 279.
quod attinet ad publicum, vel priuatum ſenſum exprimendum. Quare ſi Conceptio Virginis Immaculata publicam habet approbationem Principis, vel Vniuerſitatis, perinde poteſt hæc ſignificari, ſiue in termino complexo, ſiue in propoſitione; ſi verò non habet, priuatam duntaxat proferentis opinionem, & mentem indicat, ſiue

dicat *Conceptio Immaculata* , ſiue *Conceptio eſt Immaculata.*

280. Eſt quidem aliquid diſcriminis inter epithetum ſimpliciter coniunctum cum ſubſtantiuo in termino complexo,& affirmatum in propoſitione, in qua ſubſtantiuum ſit ex parte ſubiecti, & epithetum ex parte prædicati: nempe quòd in propoſitione ſolum indicatur rem ita ſe habere, in termino verò complexo ſupponitur ita eſſe. Quare in termino complexo quandam habet energiam, vt tu dicis. Quamquam neque hoc ſemper verum eſt, nam aliquando præſtat propoſitio complexioni terminorum, quod ex circunſtantijs dignoſcendum eſt. Cum enim complexio non ſit aſſertio, ſed ad primam intellectus operationem pertineat, quæ apprehenſio dicitur, ſæpè ſæpius minus habet roboris, quám propoſitio. Poteſtque contingere, vt qui complexionẽ facit, neget terminorum vnionem, vt ſi dicas: *Conceptio Immaculata non eſt admittenda* ecce ex parte ſubiecti coniunxiſti Conceptioni epithetum Immaculatæ, & tamen negas ei eſſe tribuendum. Illud etiam futile eſt, epithetum in termino complexo *antonomaticè* dici. Antonomaſia enim non eſt niſi cum epithetum ſolitariè profertur, vt cũ dicimus Apoſtolus, Philoſophus, Abulenſis, de Paulo, Ariſtotele, & Alphonſo de Madrigal

intelligimus. at ſi dicas Apoſtolus Paulus, &c. nulla eſt antonomaſia, quare perperam eam agnoſcis in termino complexo, *Conceptio Immaculata*.

Sed quidquid ſit de hoc, & de diſcrimine inter terminum complexum, & propoſitionem ex modo ſignificandi, illud manifeſtum eſt nullum eſſe diſcrimen, quod attinet ad communem, vel priuatum ſenſum exprimendum. Sanè nihil frequentius apud Rhetores, Poetas, Hiſtoricos, alioſque ſcriptores, quam vt pro libito nominibus proprijs, vel appellatiuis alia coniungant, terminunque complexum (vt tu dicis) componant, & hæc adiūcta nomina appellantur epitheta, nam, vt Phauorinus in lexico definit, epithetum eſt *nomen proprijs appellatiuiſque additum, laudē aut dedecus ſignificans*, & tamen nemo ſanæ mentis dixerit, quoties authores eiuſmodi epitheta tribuunt, approbationem Principis, aut Vniuerſitatis indicari, ſed potius priuatam proferentium opinionem, & mentem, quæ multoties falſa eſt. 281.

Phauorinus.

Neque tamen ſilentio omittendum Duri, quòd nimis nobis indulges, benigniuſque decretum, quod defendis, interpretaris; dum per illud nobis licere fateris hanc propoſitionem *Conceptio eſt Immaculata*, ſolumque prohiberi terminum 282.

complexum *Conceptio Immaculata.* Nam in decreto prohibetur ne Conceptioni tribuatur titulus Immaculatæ; at qui profert illam propoſitionē, tribuit; coniungit enim cum Conceptione titulum, verbum enim ſubſtantiuum *eſt*, ſignificat vnionem prædicati cum ſubiecto, ideoque á dialecticis *copula* appellatur. Quid ergo eſt, quòd vim infers decreto, diſtinguiſque terminum cō plexū, & propoſitionē, de quibus in eo nulla eſt mentio, ſed abſoluta prohibitio? An quòd deſperaſti defendi poſſe de propoſitione? Ita ſanè. Nam hanc prohibere, quid aliud eſſet quam piæ ſententiæ contra Pontificum decreta ſilentium prorſus imponere? Ideò ne decreti pugnantia apertè deprehenderetur, illud interpretaris. Sed mihi crede, non minus repugnat Pontificum ſanctionibus terminum complexum, quam propoſitionem prohibere.

283. Sed præterea aliam cauſam huius diſcriminis inuenio, nempe quando non potes conſequi, vt piæ ſententiæ ſilentium imponatur, neque prohibeantur libri, qui Conceptionem Virginis Immaculatam fuiſſe adſtruunt; illud ſaltem optas, vt in fronte Immaculatam non præferant (exiguum ſanè ſolatium) & cum frequenti vſu receptum ſit, libris titulos apponere permodum termini complexi nempe *de Immaculata Con*

ceptione, ſatis tibi viſſum fuit, ſi in eiuſmodi formulam loquendi machinas dirigeres. Atque hoc eſſe conſilium tuum conſtat ex his, quæ ſcribis infra num. 38. vbi aſsignans aliam rationem decreti, *ad vitandas rudium, & ſimplicium contentiones*, addis: *permittuntur quidem impreſsiones propoſitionis negatiuæ; ſed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur, nam licet eſſet idem vtriuſque ſenſus, alia tamen eſt ratio tituli; quem & rudes omnes intelligunt, præſertim in librorum titulis oculis omnium peruijs.*

De huius rationis eficacia ſuo loco agemus. Nunc illud contendimus, vel decretum nō ſatis huic malo occurriſſe, vel te illud malè interpretari. Quid enim ſi libris, in quibus Conceptio Immaculata defenditur, non apponatur titulus per terminum complexum *de Immaculata Conceptione*, ſed enunciatiué, & per propoſitionem, *quòd Virginis Conceptio fuerit Immaculata*, vel, *Virginis Conceptionem Immaculatam fuiſſe?* Nam aſſertiuè titulos libris adijcere magnorum authorum eſt. Philo Iudæus ita ſuos inſcripſit: *Quòd deterius potiori inſidiari ſoleat: quòd Deus ſit immutabilis: mercedem meritricis non recipiẽdam* Similiter Plutarchus *non eſſe Academiam à Platone profectam: quomodo ſequis citra inuidiam laudare poſsit*. Denique S. Chriſoſtomus, *quomodo primus homo omni prælatus ſit creaturæ: quòd mors non timenda, ſed peccatum: quòd Chri-* 284.

Philo.

Plutarchus.

S. Chriſoſtomus.

ſtus ſit Deus. Suntque alia iunumera exempla tum iu his, tum in alijs authoribus. Si ergo aliquis librum ederet hoc titulo: *quòd Conceptio B. Virginis ſuit Immaculata*, quid ageres? Aſſereres ne prohibendum eſſe titulum? At non eſt terminus complexus, ſed propoſitio; hæc autem per te, & decretum licet. Quòd ſi prohibendus non eſt, an hunc minus intelligunt rudes, minuſque eſt omnium oculis peruius, quàm ille *de Conceptione Immaculata*? Solum reſtat, vt aſſeras in illo nullum eſſe periculum etiam rudibus, in hoc eſſe; quod quidem omnes, etiam rudes, cachinis excipient.

285. Sed, vt de his nugis loquendi finem faciamus, quamuis diſcrimen inter terminum complexũ, & propoſitionem à te aſsignatum admitteremus, & verum eſſet epithetum in termino complexo tributum indicare *Principis, vel Vniuerſitatis approbatiuum conſenſum*, adhuc nihil obtines; nã titulus *Immaculatæ Conceptionis*, approbatus eſt à Principe hoc eſt Summis Pontificibus, & ab Vniuerſitate, hoc eſt Concilio Tridentino, & etiam ab vniuerſo ferè fidelium cætu, qui rectè dici poteſt vniuerſitas. An non eſt approbare titulum, feſtum de Immaculata Conceptione inſtituere, indulgentias concedere, Religioſos ordines inſtituere, in Officio diuino *Immaculatæ* titu-

lo Conceptionem ornare? Hæc tamen præſtitere Pontifices; approbarunt ergo titulum citra definitionem. Imò (ſi fas eſt dicere) quoad hanc Principis approbationem excedit terminus cõplexus *Immaculata Conceptio* propoſitionem *Conceptio eſt Immaculata*. Pontifices enim hactenus nõ conceſſerunt indulgentias his, qui affirmauerint Conceptionem fuiſſe Immaculatam, ſed his qui Conceptionem Immaculatam coluerint, & eius feſtum celebrauerint. Itaque feſtum non eſt (vt ita dicam) de propoſitione, ſed de termino complexo. Quare ſi propoſitio prohibenda non eſt, multo minus terminus complexus.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 37.

DIſcrimen hòc ratione ſuadetur, nam termini ſunt principia ſermonum; in principijs autem omnes conueniunt, quæ ergo proferuntur per modum termini, videntur omnem controuerſiam excludere. Itaque abſolutè Conceptio Immaculata vniuerſalem acceptionẽ ſignificaret, vel ſupponeret Conceptionis in primo inſtanti Immaculatæ. Ita autem omnes ſentire nedum falſum eſt, ſed ex ſingulis Pontificum decretis liberum eſt aliter opinari. 278.

Te-

Tædet pudetque has tricas extricare, & lectoris otio abuti. Termini dicuntur principia ſermonum, quia partes ſunt, ex quibus ſermones conſtant. Longè alia acceptio eſt, & terminis minimè conueniens, cum dicimus in principijs omnes conuenire, ſignificamus enim veritates euidentes, & indemõſtrabiles, quæ terminis non ſignificantur, ſed enuntiationibus, *vt totum eſt maius ſua parte*, itaque terminis hæc ratio principij nequit cóuenire. Accedit quod ſi de terminis complexis ſermo ſit, tantum abeſt, vt in eis omnes conueniant, vt potius omnes ferè ſcholaſticæ quæſtiones, & opinionum varietas circa terminos complexos verſentur, an videlicet hoc prædicatum conueniat huic ſubiecto, ex quibus terminus complexus reſultat, vt *ſubſiſtentia abſoluta, ſubſtantia creata ſupernaturalis, prædeterminatio Phyſica*. Imo neque in terminis ſimplicibus omnes conueniunt, ſolet enim eſſe non leuis controuerſia, circa ſimplicis termini ſignificationem, & circa naturam rei, quæ illo ſignificatur. Sed quid opus eſt verbis? *Conceptio Immaculata* eſt terminus complexus. An omnes in eo conueniunt? Tu iudica, qui non ſolum de hoc complexo á nobis diſſentis, ſed vocem etiam ſimplicem *Conceptio* contra communem omnium ſenſum interpretaris. Quare noua hæc ratio, qua diſcri-

nem

men ſuadere conatis, putidum ſophiſma eſt.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 38.

IMò dato, & non conceſſo, quòd non differant propoſitio, & titulus quoad ſenſum, adhuc tamen locus eſt illam permittendi, hūc verò prohibendi, quod euidenter probamus. Differunt idiomate tantùm, non ſenſu hæ duæ propoſitiones: B. Virgo non contraxit maculam originalem: la B. Vergine non ha contratto la macchia originale; *ex decreto tamen Pij V. prima propoſitio ſcribi, poteſt, non autem ſecunda. Verba Pij ſunt hæc:* Nemo de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſsitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat. *Sola ergo idiomatis differentia ſufficit, vt Pontifex ex duabus idem omnino ſonantibus propoſitionibus alteram permittat, alterā vetet ad vitandas rudiū, & ſimpliciū contentiones. Ita ad eundem finē permittuntur quidē impreſsiones, propoſitionis negatiuæ; ſed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet eſſet idē vtriuſque ſenſus, alia tamē eſt ratio tituli, quem & rudes omnes intelligunt, præſertim in librorum titulis omnium oculis peruijs, qui facilè ex eorum approbatione, & impreſione controuerſiam deciſam putabunt, & verè decipientur.* 288.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

PIVS QVINTVS NON PROHIBET affirmationem de Immaculata Conceptione ſermone vulgari, ſed ſcholaſticam diſputationem.

289. CVR ſolam propoſitionis ſcriptionem prohibitam dicis à Pio Quinto,& non etiam quamcumque vocalem prolationem? Nā ſi decretum eius inſpiciatur,quidquid non licet ſcribere aut dictare vulgari ſermone, non licet verbis etiam proferre,aut loqui coram populo. Cur ergo tam benignè nobiſcum agis, vt calamum tantúm prohibeas,non linguam? Nempe vidiſti euidentiam tui argumenti peſſum ire, ſi de propoſitione verbis tantúm prolata loquereris. Obſtreperent enim tibi vel pueri, & promiſcuæ ætatis vulgus,quibus poſt decretum etiam Pij Quinti licet,& licuit(nullo vetante)Conceptionem Immaculatam affirmare, & ad rauim vſque per vias,& plateas magna vocis contentione,compoſitis etiam cantinelis, frequentiſsimo concurſu,longo ordine proceſsionis Chriſtiano ritu diſpoſitæ in clamare.Quod ſub Paulo Quinto,& Gregorio XV.vidit Hiſpania,nec dubita

mus

mus in Italia factum. Obſtreperent etiam concionatores, qui in die Conceptionis ad ſacietatem affirmant eam fuiſſe Immaculatam, etiam in ſacello Pontificio. Quod ſi hoc prohibitum fuiſſe decreto Pij non audes aſſerere, idem etiam de propoſitione ſcripta agnoſcere debuiſti, cuius eadem eſt ratio. Neque ad te conuincendum alio opus eſt quam lectione decreti, quòd tu, quandoquidem eius verba profers, legiſti, & intellexiſti, clariſsimum enim eſt; ſed mala fide truncaſti, vt fucum faceres lectori.

Pius ergo non prohibet propoſitionem affirmantem Conceptionem fuiſſe Immaculatam ſiue verbis, ſiue ſcripto vulgari ſermone, ſed diſputationem ſcholaſticam *aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando*: audi verba decreti: *Statuimus, & ordinamus, quatenus nemo cuiuſcumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſiæ alterutra parte diſputare rationibus, vel doctorũ authoritate aſſerendo propriã ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando: vel de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſsitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat*. Vides non prohiberi ſimplicem de Immaculata Conceptione propoſitionem, aut affir- 289.

mationem verbo, aut ſcripto, vllo ſermone, etiã vulgari; ſed diſputationem duntaxat ſcholaſticam vulgari lingua initam, ſiue in concionibus coram populo, ſiue vbicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, ſiue ſcribendo, ſiue dictando, vt alij ſcribant.

290. Imò ex ipſo decreto manifeſtè liquet non prohiberi vulgari etiam ſermone piam ſententiam rationibus, aut ſcripturæ, & Doctorum authoritatibus confirmare, dum tamen contraria non refellatur, aut impugnetur. Nam ſi hoc non fiat, non eſt diſputatio, ſed declamatio, aut elogium. Diſputatio enim vtrumque complectitur & propriæ partis confirmationem, & aduerſariæ impugnationem, vt docet Caietanus 2.2.quæſt. 10.art.7. ideò ſignanter addit Pius: *Et contrariã refellendo, aut impugnando*. Hoc etiam conſtat ex verbis quæ attuliſti, licet truncatis, quibus prohibetur *de hac ipſa quaſtione* ſcribere, aut dictare, *quaſtio*, enim non alteram duntaxat opinionem continet, ſed vtramque, & vtriuſque diſcuſionẽ, altera videlicet ſtabilita, altera exploſa. Hunc eſſe ſenſum decreti, & ipſa verba apertiſsimè docent, & frequens vſus commendat; nam in cõcionibus Immaculata Conceptio rationibus, & authoritatibus ſtabilitur impunè, multique

Caietanus.

edun-

eduntur libri vulgari ſermone, in quibus id abũde præſtatur. Denique ita cenſuit Tribunal ſanctæ Inquiſitionis, nam cum delatus eſſet quidã concionator, quòd multis argumentis confirmaſſet Immaculatam Conceptionem pro concione; imò docuiſſet viam contraria argumenta ſoluendi, illis tamen non commemoratis, ſed ſilentio prætermiſsis; nihilominus ab Inquiſitoribus liber abire iuſſus eſt, vtpote qui nihil egiſſet contra decretum Pij Quinti. Ita refert Paulus Comitolus lib. 6. reſponſionum moralium quæſt. 40. *Comitolus.*

291. Sed fortaſſe argumentaris, quocumque ſenſu accipiendum ſit Pij decretum, tamen ex ipſo liquet non licere vulgari ſermone proferre, aut ſcribere, id ipſum, quod Latinè licet, quamuis idem prorſus ſit ſenſus Latini, & vulgaris ſermonis. Ergo ſimili ratione quamuis idem ſenſus ſit termini complexi *Conceptio Immaculata*, & propoſitionis *Conceptio eſt Immaculata*, poteſt meritò prohiberi terminus, nõ prohibita propoſitone. Sed facilis eſt ſolutio. Si vulgari ſermone refellatur ſententia negans Conceptionem Immaculatam, locus datur rixis, & contentionibus, imò conuitijs, vulguſque ignarum audiens, vel legens ſcãdalizatur: At ſiue Conceptio Immaculata in termino complexo exprimatur, ſiue in propoſi-

tione nullum periculum eſt, neque ſcandali, aut erroris occaſio, ideo eodem iure cenſeri debent terminus, & propoſitio.

292. Nam quòd ais aliam eſſe rationem tituli, *quẽ & rudes omnes intelligunt, præſertim in librorum titulis oculis omnium peruijs, qui facile ex eorum approbatione, & impreſsione controuerſiam deciſam putabunt, & verè decipientur*, ridiculum eſt, & vanum. Nam ſi periculum eſt, quòd in fronte libri Immaculata Conceptio exprimatur, quid intereſt an termino complexo, an propoſitione inſigniatur liber? Nam & propoſitio in fronte libri adiecta, omnium oculis eſt perula; deciſam ergo putabunt rudes, qui in fronte legerint tituli honore gaudentem; & tamen hanc, te iudice, non cõprehendit decretum. Deinde ſi ex approbatione periculum naſcitur, an ſolus libri titulus approbatur, non etiam liber ipſe? Cum ergo in corpore toties repetatur propoſitio, deciſam putabunt rudes. Præterea, vt demus ſola approbatione tituli complexi non veró propoſitionis rudes decipiendos, prohibeatur titulus, aut terminus complexus vulgari ſermone; Latiné autem, aut Græcè cur? An rudes etiã Græcè, & Latiné ſciũt? An titulis decipi poſſunt, qui legere neſciunt?

293. Rurſum nulli ſunt adeó hæbetes ac rudes, etiam ij, quibus contigit

Digitized by Google

Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci,
qui putent ſola tituli, aut libri approbatione, & impreſsione rem tanquam ad fidem pertinentē commendari, cum cotidie legant, aut, ſi legere neſciunt, audiant libros, permiſſu etiam ſuperiorum editos, mille mendacijs, & figmentis onuſtos. At inquis, ſubiecta materia eos falli non ſinit; de Conceptione verò Immaculata, putabūt definitam. Sed iam oſtendimus cap. 4. §. 2. num. 14. nihil eſſe, rudiſsimis etiam, notius, quàm Immaculatam Conceptionem nondum eſſe ab Eccleſia definitam.

Denique titulus etiam in termino complexo libris præfixus tantùm abeſt, vt rem certā eſſe, aut communi conſenſu approbatam indicet; vt neque etiam priuatam opinionem ſcribentis ſatis arguat. Nam adhuc eo titulo præfixo, liberū eſt diſſentire. Exemplis patet. Si quis libros, aut tractatus edat cum his inſcriptionibus, *de ſubſiſtentia abſoluta: de ſubſtantia creata ſupernaturali: de physica prædeterminatione*, an illico iudicandum eſt eos ita ſentire? falsò id fiet. Solent enim, qui ſuis diſputationibus eiuſmodi titulos præfigunt, mordicus in eis defendere, neque in Deo dari ſubſiſtentiam abſolutam, neque poſsibilem eſſe ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, neque Deum phyſicè prædeterminare ad actus liberos. Itaque ad- 294.

men-

mentem authoris etiam in titulo libri aperiendam præſtat propoſitio, quàm terminus complexus. I nunc, & finge, aut titulum per modum termini complexi Principis, aut Vniuerſitatis approbationem indicare (vt aiebas num. 36.) aut periculum eſſe ne ita rudes intelligant, quos tu curioſos facis ad euoluẽdos libros, & quærendos titulos; rudes verò ad legendum in ijſdem libris ſententiam authoris, & tituli explicationem.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 39.

295. *ANimaduertendum etiam obiter, quòd quæ imprimuntur, requirunt ſuperiorum approbationem; itaque res impreſſa non nihil ponderis, & authoritatis ex imprimendi facultate ſibi comparat, præſertim in Vrbe, vbi Magiſter ſacri Palatij eſt immediatus miniſter Summi Pontificis; extra Vrbem Inquiſitores ſunt Apoſtolicæ Sedis delegati. Quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de fide, ſed ita roborant, vt ex Apoſtolicæ Sedis authoritate publici iuris facta cenſeãtur. Nec ignari tantũ, ſed etiam viri docti in hac materia paulò feruẽtiores, quid argumenti non ſumerent ex Romana impreſſione, ſi ex his, quæ concionatores in ſa-*

cello Pontificio loquuntur, ſibi ipſis non leuiter blandiuntur?

§. XXXVII.

FACVLTAS IMPRESSIONIS FACTA à ſuperioribus, præter impunitatem cudendi, & diſtrahendi, nil aliud confert priuatorum libris, quam præſumptionem non prohibitæ doctrinæ.

AB Authoritate, quæ libris accreſcit ex facultate imprimendi, maximè in Vrbe, & á Magiſtro ſacri Palatij facta, argumentũ (licet obiter) ſumis, vt oſtendas meritò prohiberi impreſsionem tituli Immaculatæ Conceptionis. Adeòque exaggeras hoc authoritatis põdus, vt liber qui eiuſmodi approbationem obtinet, ſybillinis folijs præferendus eſſe videatur. Ridiculum ſané, cum exploratum ſit facultatem imprimendi eo tendere, vt liber cudi poſsit impune, & publicé vendi ſine vllis pœnis; approbationem verò, quæ facultatem præcedit, ſolum conciliare priuatorum libris opinionem, & præſumptionem ſanæ doctrinæ, hoc eſt nihil continentis Religioni aut honeſtis moribus contrarium. Hoc enim tantúm eſt, quod in libris exigi 296.

tur

tur, vt approbentur, & prodire in publicum permittantur. Quamuis non nũquam viri docti, quibus ſuperiores committunt examinandos, in authorum elogia diffluant pro eorum merito, aut fortaſſe etiam blandientes.

297. Dixi imprimendi facultate, & approbatione ſolum conciliari *præſumptionem* doctrinæ non veritæ, neque enim conciliatur certitudo. Id quod experientia ipſa docet, videmus enim quaſi ſcopa indiguerint complures libri, etiam cum facultate ſuperiorum editi, e quibus, ſalua eorum authoritate, multa euertit Tribunal ſanctæ Inquiſitionis. Cum enim ſuperiores ipſi, etiam Magiſter ſacri Palatij, frequenter non percurrant libros edendos, ſed alicui viro docto committant examinandos, iſque aut non integros legat, aut (quod humanum eſt) non ſatis omnia animaduertat; plerumque contingit nonnulla ab alijs poſtea deprehendi, quæ attentiori examini ſubiecta, delenda, aut corrigenda meritó iudicatur. Quare priuatus liber etiam cum legitima facultate editus id tantúm iuris habet, vt ſanæ doctrinæ præſumatur, dum contrarium non deprehenditur. Et hoc ſané eſt quantum eſt ex vi approbationis, & facultatis á ſuperioribus factæ, vt communiter ſolet fieri.

398. Atque hinc facile intelligitur valde exiguam

Digitized by Google

eſſe authoritatem, quæ libro comparatur, ex ſola ſuperioris approbatione, & imprimendi facultate. Neque ab hac excandeſcit librorum prætium, & emendi cupiditas; ſed á fama, & nomine authoris, qui enim ſapiunt, nõ ſunt in primis ſoliciti de approbatione, & edẽdi permiſſu, quo vident libros etiam infimæ notæ gaudere, ſed de authoris, & materiæ præſtantia, ne pecuniam, & otium ſuum malè impendant.

Hæc cum ita ſint, quid, obſecro, ad rem facit, 299.
quòd liber in Vrbe cudatur, aut á Magiſtro ſacri Palatij concedatur imprimendi facultas? an propterea extra aleam, & queſtionẽ eſt, quiquid in libro aſſeritur? At, inquis, Magiſter eſt immediatus miniſter Summi Pontificis, & Inquiſitores extra Vrbem ſunt Apoſtolicæ Sedis delegati; ideò quæ imprimenda concedunt, *ita roborant, vt ex Apoſtolicæ Sedis authoritate publici iuris facta cenſeantur*. Hæc quò tendant, ſatis intelligimus. Nempe Magiſter ſacri Palatij Dominicanus eſt, & Inquiſitores in Italia Dominicani ſunt. Ideò eorum authoritatem præfers alijs ſuperioribus, quibus per reliquum Orbem Chriſtianum munus, & poteſtas approbãdi libros incumbit, vt ſi fortè obtineri non poſsit, vt hi cudi non ſinant titulum Immaculatæ Conceptionis, ſed potius approbent; nulla ex hac approbatione authori-

Digitized by Google

tas titulo accedat,ſimulque ratio reddatur, cur alijs ſuperioribus approbantibus libros, Magiſter,& Inquiſitores prohibeant,& prohibere debeant,ne videlicet authoritate Apoſtolica publici iuris titulus hic factus eſſe videatur.

300 Sed,mihi crede,hæc nullius momenti ſunt.In primis quòd approbationem Magiſtri ſacri Palatij aliorum approbationibus præfers, non rectè facis.Fateor quidem præferendam eſſe approbationibus *officialium* Diœceſis (ita enim appellant Vicarios generales Epiſcoporum) nam hi facultatem ab Epiſcopis habent; Magiſter vero & Inquiſitores immediatè à Sede Apoſtolica. At ſi de Epiſcopis ipſis loquamur,qui frequenter per ſe ipſos libros approbant, & imprimendi facultatem concedunt,non video cur eorum approbatio minoris ponderis habenda ſit, quàm Magiſtri ſacri Palatij,& Inquiſitorum. Epiſcopi enim iuriſdictionem habent,vel immediatè à Chriſto,licet cum ſubordinatione ad Romanum Pontificem,vel(quod probabilius iudico)ab ipſo Pontifice Romano.Itaque eorum poteſtas nō eſt minus immediatè à Sede Apoſtolica, quam Magiſtri,& Inquiſitorum;& aliunde, cum ordinaria ſit,cæteris paribus præſtat delegatæ.Immeritò ergo horum approbationem præfers Epiſcopali,dum ais *præſertim,&c.*Ego facultatem hu-

ius libri imprimēdi obtinui immediate ab Eminentiſsimo Domino D. Baltaſare de Sandoual S.R.E. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, & Hiſpaniarum Primati; neque minus authoritatis, & ponderis meo operi inde acceſiſſe exiſtimo, quàm ſi a Magiſtro ſacri Palatij approbaretur, niſi hunc præferendum putas Cardinali S. R. E. & Hiſpaniarum Primati. Non diffiteor ſpeciali quodam honore gaudere librum, qui Romæ imprimitur, ſed non præciſſè quia à Magiſtro ſacri Palatij approbatur, hic enim honor aliás compenſari poteſt; ſed quia Romæ editur, ideſt in ea Vrbe, in qua præſidet Eccleſiæ caput Summus Pontifex, qui fulgore ſuo errores exterminat. Itaque meritò cenſeri debet Religione Romanus, liber, qui patria Romanus eſt.

Sed quidquid ſit de authoritate, & præſtantia Magiſtri ſacri Palatij, & Inquiſitorum, illud expendendum eſt, quod ais, quæ imprimenda cōcedunt, ita eos roborare, *vt ex Apoſtolicæ Sedis authoritate publici iuris facta cenſeantur*. Quid ſibi vult *publici iuris*? An quæ approbat Magiſter ſacri Palatij concedens imprimendi facultatem, non iā ſunt priuati ſcriptoris opiniones, ſed res certæ, & ab omnibus tenendæ, tanquam Principis approbatione ſtabilitæ? Si id ex approbatione ſequitur, ergo ſi Romanus quiſpiam fabulas, quas 301.

vocant *nouellas*, ingenioſè componat ſoluto ſermone, aut comædias verſu delectandis animis citra honeſti iacturam opportunas, & eas cudendi, & publicandi facultatem faciat ſacri Palatij Magiſter (cur enim neget?) non iam erunt ingenioſa priuati commenta, ſed ſolidæ veritates publici iuris, imo *Apoſtolicæ Sedis authoritate, & approbatiuo Principis conſenſu* (vt aiebas num. 36.) firmatæ. Quod ſi nō ſequitur, agnoſce priuatorum libros quamuis à Magiſtro ſacri Palatij approbatos, non plus ponderis, & authoritatis habere, quàm quæ rebus in eo contentis competit, vt ſi probabiles tantùm ſint, probabilitatis gradum ex approbatione non excedant. Neque *Apoſtolica authoritate publici iuris factæ* dici debent abſolutè, & ſimpliciter; id enim ſonat decretum Sedis Apoſtocæ immediatè aliquid ſuis verbis ſtatuentis, non qualemcumque Inferiorum approbationem, quā uis à Sede Apoſtolica, poteſtatem acceperint.

302. Ex his facile intelliges non eſſe cur timeas ne ignari (ne dum viri docti) aliquid argumenti ſumant *ex Romana impreſſione* tituli Immaculatæ Conceptionis. Mihi crede, non egemus argumētis ab authoritate Magiſtri ſacri Palatij approbantis hunc titulum, qui Romanam ipſam Eccleſiam Summoſque Pontifices habemus tam ſerio

tam-

tam peſpicuè eum commendantes in officio diuino, in diplomatibus, alijſque conceſsionibus, itaque ſuperuacaneum eſſet è riuulo Magiſtri ſacri Palatij aquam ſitire, qui potamus è fonte. Neque video quid argumenti, *ex Romana impreſſione* deſumi poſsit, quod ad rem aliquid faciat, aut propter quod Magiſter ſacri Palatij abſtinere debeat ab approbatione tituli Immaculatæ, ne aut ignari, aut docti *paulo feruentiores*, eius authoritate abutantur. Quid enim argumētari poſſunt, ſi approbet? An definitam eſſe Conceptionem Immaculatam? Sed qui id non eliciunt ex approbatione Sedis Apoſtolicæ, minimè tibuēt miniſtro, quē non ignorant nō eſſe tantæ authoritatis, vt de fide poſsit decernere; quod tu, quaſi rē magnam præſtes, fateris, dum inquis; *non definiūt quidem de fide.* Opportuna ſanè monitio, & valde neceſſaria, ne quis erret. An contendent Magiſtri approbationem indicare *Principis, aut Vniuerſitatis approbatiuum conſenſum?* Sed id ſatis exploſsimus.

Vnum reſtat quod timeas, ne videlicet, ſi Magiſter ſacri Palatij titulum Immaculatæ Conceptionis approbet, inde argumententur eum piam ſententiam amplecti. Sed nullum periculum eſt. Neque enim quiſquam eſt tam hæbes, & rudis, qui ignoret, ſuperiorem, quamuis appro- 303.

bet.

bet librum,non propterea authoris opinionem, & ſententiam ſequi. Alioquim ſi Romæ cuderẽtur Scoti opera, facultate nimirum facta à Magiſtro ſacri Palatij, repente Scotiſta prodiret ex Thomiſta. Quid ergo argumenti ſumerent Immaculatæ defenſores *ex impreſsione Romana*, cuius vitandi gratia opporteat, vt Magiſter ſacri Palatij facultatem non faciat imprimendi titulum Immaculatæ Conceptionis?

304. Illud tamen non omittam, ſi ſacri Palatij Magiſter, qui nũc eo munere fungitur, Immaculatã Conceptionem aſſereret, nihil acturum à ſuo ordine, & munere alienũ, aut inſolens; domi enim habet, vnde diſcat, maiorumque ſuorum veſtigia premeret. Magiſtri fuerunt ſacri Palatij S. Dominicus, B. Albertus Magnus, Arnoldus de Bellouiſſu, S. Vincentius Ferrer, Sancius Porta, Matheus de Fenario, Thomas Spina, Thomas Mãrique, Bartholomeus de Miranda; quos tamen fuiſſe Immaculatæ Conceptionis defenſores memoriæ proditum eſt, & oſtendemus in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Cõceptionis. Ex quibus Sancius ipſe Porta Doctiſsimus Hiſpanus Magiſterio ſacri Palatij donatus eſt ob elegantem concionem in ſacello Pontificio habitam, *Marc. Anton. Palau.* in qua Virginis præſeruationem aſſeruit, vt teſtatur Marcus Antonius Palau Decanus Eccleſiæ

Cathe-

Cathedralis Oriolanæ in defenſione Dominicana cap. 4. vbi etiam verba concionis adducit.

Nunc cauſam examinemus, qua moueris ad exiſtimandum defenſores Immaculatæ *ex impreſſione Romana* argumentum deſumpturos: *quid* (inquis) *argumenti non ſumerent ex Romana impreſsione, ſi ex his, quæ concionatores in ſacello Pontificio loquuntur, ſibi ipſis non leuiter blandiuntur?* Minus tibi videtur approbationis, & authoritatis habere titulus Immaculatæ publicè aſſertus pro concione in ſacello Pontificio, quám in impreſsione facta permiſſu Magiſtri ſacri Palatij. Itaque vteris argumento, quod vocant *à minori ad maius*: ſi ex his (inquis) quæ concionatores in ſacello Pontificio proferunt, ſibi blandiuntur, & argumentum deſumunt; quid agerent ex impreſsione Romana? Sed mihi crede, ex Impreſsione tituli Immaculatæ permiſſu Magiſtri ſacri Palatij facta nullum curamus deſumere argumentum; quamuis multas poſſemus Romæ factas impreſſiones in medium producere: at ex concionibus in ſacello Pontificio pro Immaculata habitis libenter argumentum promimus, quod, & ſi tibi blandimentum videatur, re vera durisſimum telum eſt in te contortum. Longè maior approbatio accreſcit titulo Immaculatæ ex concionibus 305.

in ſacello, maximé cum adeſt Pontifex, vt plerumque ſolet; quam ex eiuſdem impreſsione in Vrbe, approbante etiam ſacri Palatij Magiſtro. Vis ſcire quantúm præſtét illa approbatio huic? Quantùm Pontifex Magiſtro præſtat. Audit plerumq; in ſacello ſuo conciones in die Conceptionis, videt à concionatore Immaculam aſſeri, teſtimonijs Sacræ Scripturæ confirmari; & tamē neque reprehendit, neque poſtea monet concionatorem, ſed libenter audit, & aliquando laudat. Hoc non eſt approbare? ſanè quæ fiunt corā Principe, uidente ipſo, & permittente certiſsimi iuris eſt ab eo approbari, & rata haberi; adeò, vt ſi quid contra legem fiat, diſpenſare ab ipſo videatur. I nunc, & præfer approbationem libri, approbationi concionis.

306. Expende adhuc alia diſcrimina. Liber plerumque non legitur á Magiſtro, ſed alij traditur examinandus; concio à Pontifice auditur attentè, nec aliquid eius illum præterit. Deinde liber in Officina cuditur; concio in ſacello Pontificio habetur, itaque á loco ipſo commendatur. Nam ſi librum *non nihil ponderis, & authoritatis* ſibi comparare meritò dicis, quòd cudatur *in Vrbe*; quid dices de concione, quæ non vtcumque *in Vrbe*, ſed in ipſo (vt ita dicam) *Vrbis* corde, ideſt ſacello Pontificio, habetur? Rurſum concio res

eſt

eſt ſacratior priuati hominis libro, eſt enim diui ni Verbi publica explanatio, & populi inſtru-ctio, exigit ſacrum Ordinem, vt ritè fiat; numeratur inter munia Eccleſiaſtica, & ſacris ipſis myſterijs, & Miſſæ inſeritur, denique eſt actus publicus; quæ omnia libro non conueniunt, quamuis de ipſa concionis materia differat. Vnde maius piaculum eſt, ſi in concione aliquid minus rectè adducatur, quàm ſi in libro; & maius periculum, ſi indebitè approbetur, quám ſi liber. Vides quantúm excellat concio in ſacello Pontificio facta librum permiſſu Magiſtri ſacri Palatij editum; nam quamtúm præſtat Pontifex Magiſtro, ſacellum Pontificium Vrbi, concionandi munus, ſcribendi officio; tantúm præſtat concionis approbatio, libri approbationi. Vt tandem intelligas nihil nos egere approbatione Magiſtri ſacri Palatij, qui Pontificiam habemus in ſacello. Neque tamen hanc multum vrgemus, ſuperuacaneum enim eſt á Pontifice aliorum verba audiente approbationem tituli Immaculatæ Conceptionis emendicare, cum habeamus multos Pontifices ſuis verbis loquentes, & Immaculatam Conceptionem commendantes.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 40.

307. *SI in hac materia decretum ſacræ Congregationis ad Magni Principis inſtantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia, quam in reliquis conſimilibus decretis exigit eadem ſacra Congregatio, fortaſſe minuetur; hoc enim exemplo improbuſquiſque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.*

308. Times Principum inſtantias, & preces; time potius noſtræ cauſæ iuſticiam, time tot Sedis Apoſtolicæ decreta, quibus firmiſsimé titulus Immaculatæ ſtabilitur, & quæ euertere cupis hoc nouo. Neque timeas obedientiam decretis ſacræ Congregationis debitam hoc exemplo minuendam; quæ potius amplius firmabitur, ſi probus, vel improbus quiſque intelligat non placere ſacræ Congregationi nomine ſuo circumferri decreta, que ipſa non iuſsit promulgari.

LIBELLVS SECVNDVS,

Num. 41.

309. *Et ſi titulus vniuerſaliter interdictus poſtmodum in iudi-*

iudicio contradictorio concederetur; iam tubis inflatis victoriam principalem canerent ij, qui vel inuito ſummo Eccleſiæ Præſide victores eſſe contendunt.

Qui ſunt ij, qui vel inuito ſummo Eccleſiæ Præſide victores eſſe contendunt? qui, cum à ducentis feré annis maximis ſummi Eccleſiæ Præſidis fauoribus fruantur, nunc dolent cõtra eiuſdem decreta iuribus ſuis ſpoliari; an potius ij, qui quamuis vident á Sede Apoſtolica feſtum Immaculatæ Conceptionis inſtitutum, indulgentias conceſſas, ſacros ordines erectos, ſententiæ ſuæ ſilentium impoſitum; nihilominus perſiſtunt, & rupto ſilentio decretum iactant, quo ipſi victores euadant? Hi ſané, non illi, vel inuito ſummo Eccleſiæ Præſide vincere contendunt. 310.
Quod veró attinet ad *victoriam principalem* videlicet definitionis, Immaculatæ defenſores, qui eam non cecinerunt, cum ab Eccleſia inſtitutum eſt feſtum Immaculatæ Conceptionis, neque cũ erecti ſunt ordines in eius honorem, neque cum impoſitum eſt aduerſarijs ſilentium; (quantumuis per ſummam calumniam cõtrarium affirmes) non vtique nunc eam canent, quamuis declaretur decretum nondum promulgatum non eſſe executioni mandandum. Hoc enim ſi fiat, nihil creſcit Immaculata Conceptio, ſed tantúm in

ſuis antiquis iuribus ſeruatur, vnde non eſt noua cauſa canendi victoriam principalem.

LIBELLVS SECVNDVS.

Num. 42.

311. *DEmum hoc humillimè ſubijcimus in re tam graui ſola dubitatio ſufficere poteſt, vt nihil vlterius innouetur, maximè cum nihil præter deciſionem agendum ſuperſit.*

312. Ita ſanè exiſtimabamus, nihil iam ſupereſſe præter deciſsionem, nam eò iam deuenerat Immaculata Conceptio decretis, & fauoribus Sedis Apoſtolicæ; vt nullus iam reliquus videretur, quo eam promouere poſſet, niſi quòd vt rem fide tenēdam decerneret; ſed tu aliquid aliud ſupereſſe cupis, vt his artibus definitionem retardes, noſque in propulſanda iniuria occupatos, à definitione efflagitanda diuertas. Ideò titulum Immaculatæ prohitum eſſe contendis, & decretum nondum editum, in vulgus ſpargis, quaſi executioni paratum. Et cum hæc facias, *humillimè* ſubijcis, *vt nihil vlterius innouetur*, hoc eſt non curetur vulnus inflictū immerenti, relinquatur populus in ſcādalo, & triſticia ex aſſerto decreto

obtru-

obtrudaturque pro lege vniuerſali, quod ſacra Congregatio fidelibus intimandum non cenſuit.

Quod verò ais in re tam graui ſolam dubitationem ſufficere; vbi eſt, obſecro, dubitatio? An dubitandum eſt Conceptioni titulum Immaculatæ adſtrui ſummorum Pontificum decretis? an dubium eſt, & non potius res manifeſta decretũ, quo niteris, non eſſe à ſacra Congregatione promulgatum, nedum confirmatum à Sede Apoſtolica? Vbi ergo eſt dubitatio? Sed eſto ſit, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Cum ergo Conceptio Virginis in antiqua, & immemoriali poſſeſsione ſit tituli Immaculatæ, conſeruanda in eo eſt. Deinde *in dubio tutior pars eſt eligenda*. Quæ autem eſt tutior? Quæ nititur ſuppoſititio decreto, aut certé non promulgato; an potius ea, quam tot Ponticum ſanctiones, Officium diuinum, fidelium conſenſus, antiquiſsima demum poſſeſsio commendat? Sed de tuis Libellis, & eorum elencho ſatis; fortaſſe etiam nimis. 313.

ECCLESIA ROMANA SVB Sixto Quarto non ſolum approbauit, & conceſſit officium Conceptionis Immaculatæ; ſed etiam in ſuos ritus admiſſit obligans eos, ad quos attinebat vſſus Romani Breuiarij.

CAPVT VI.

1. ERit fortaſſe, cui ſatis reiectus videatur vterque Libellus ex his, quæ hactenus diximus; ſed reſtant nihilominus præcipua quædam controuerſiæ capita accuratius expendenda, quæ non potuerunt pro dignitate in elenchis tractari breuitatis cauſa, quamuis ipſi adhuc longiores, quàm cupiebamus, euaſerunt. Initium autem faciemus ab inſtitutione feſti, & officij Conceptionis, & relatione in faſtos Romanæ Eccleſiæ. Nec otioſa eſt quæſtio, Libellator enim ita loquitur non ſemel de hoc feſto, & officio, vt videatur ſentire Eccleſiã Romanã ſub Sixto IV. illud non celebraſſe; ſed permiſiſſe tantùm, aut ad ſummum conceſiſſe volentibus celebrare. Vt facile colligitur ex his quæ ſcribit Libel. 1. n. 5. & Libel. 2. num. 3. & 16. vbi officium Conceptionis à Sixto Quarto approbatum æquiparat

offi-

officio ſanctificationis á Iulio Tertio, & alijs Pontificibus (vt ipſe vult) conceſſo, & ſatis innuit ex officio Sixti nullum poſſe de ſenſu Romanæ Eccleſiæ deſumi argumentum, ſicut neque ex officio ſanctificationis, nempe quia neutro Eccleſia ipſa Romana vtebatur, ſed tantúm, aut permiſſerat, aut conceſſerat priuatim vti volentibus. Hoc autem prorſus eſſe á veritate alienum tetigimus cap. 5. §. 3. & 16. & in hoc capite monſtrabimus oſtendentes Eccleſiam Romanã à tempore Sixti Quarti non ſolum permiſiſſe, aut conceſiſſe officium Conceptionis, ſed etiam celebraſſe, & ſuo Breuiario, & Miſſali inſeruiſſe, quod nunquam præſtitit officio ſanctificationis.

De tempore quo cœpit feſtum Conceptionis celebrari in Eccleſia Dei diſceptant fere omnes qui de Conceptione ſcripſerunt. Sunt qui velint ab ipſiſmet Apoſtolis introductum, ſunt qui negent. Quos ego facile in concordiam vocarem adhibita hac diſtinctione: aut ſermonem eſſe de officio Eccleſiaſtico Conceptionis, aut de veneratione huius myſterij, & publico aliquo eius cultu, & Apoſtolos quidem non inſtituiſſe officium, quod publicè in die Conceptionis in Eccleſia recitaretur (id enim multis poſt Apoſtolos ſæculis contigit) docuiſſe tamen fideles Ma- 2.

rianæ Conceptionis immunitatem, ſuaſiſſeque, vt eius diem fauſtum, & lætum agerēt, & aliquo publico cultu proſequerentur. Id certè docuit Hiſpanos ſanctus Iacobus Apoſtolus, vt nos nō infirmis fundamentis oſtendimus libro tertio de excellentijs ſancti Iacobi, quas ſex libris comprehēſas præ manibus habemus, iā iam (ſi Deus dederit) prelo mandandis. Sed nunc de officio Eccleſiaſtico Conceptionis agimus, quod multis poſt Apoſtolos ſæculis inſtitutum non dubitamus.

3\. Sunt qui primum apud Græcos cæpiſſe contendant, ſunt qui apud Latinos. Non eſt præſentis otij rem examinare. Putamus in Vngaria, & Italia poſt annum octogeſsimum, in Grecia circa nongenteſsimū, in Anglia, & Gallia poſt milleſsimum cæpiſſe; neque tamen in his prouincijs habuiſſe initium, ſed in Hiſpania anno 667. idque authore ſancto Ildefonſo Archiepiſcopo Toletano, qui primus omnium compoſuit, & inſtituit officium Conceptionis, atque in ſua Eccleſia Toletana ſolemniter decantari fecit octauo die Decembris anni prædicti. Itaque in illo Auguſtiſsimo Templo Toletano, quod poſt paucos dies Beatiſsima ipſa Virgo ſua corporali præſentia conſecrauit, cæpit hæc ſolemnitas, primumque Conceptio Immaculata modulatis

vocibus perſonuit. Et quidem ſanctum Ildefonſum huius feſti fuiſſe inſtitutorem, authores habeo Trithemium de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Bernardinum de Buſti in officio à Sixto Quarto approbato ſecũda dia infra octauam lectione 4. Pelbertũ de Themesvuar lib. 4. ſtellarij part. 1. art. 3. (quamquam in Bernardino perperam ſcribitur *Gundiſaluus* pro *Ildefonſus*, & in eodem atq; in Pelberto *Toloſanus*, pro *Toletanus* facili errore, quas voces corrigendas eſſe res ipſa clamat) Lilium Giraldum dialogo quinto de poetis, Calzolaius in hiſtoria monaſtica, quam Italico ſermone conſcripſit jornada 4. (vbi refert Raimundum, vt ipſe dicit, antiquiſsimum, & Chronicõ Abbatiæ Florentinæ) Creſpecium Doctorem Pariſienſem in ſumma Catholicæ fidei, verbo *Immaculata Cõceptio*, Iodocum Clictoueum libro de Conceptione, & Franciſcum Portocarrero de vita ſancti Ildefonſi cap. 19. Sed de his plura nos prædicto loco, quæ non intereſt hic inſerere, cũ e re noſtra ſolum ſit noſſe quo tempore Eccleſia Romana cæpit hoc feſtum celebrare.

Trithem. *Buſti.* *Pelbert.* *Giraldus* *Cazolaius.* *Creſpec.* *Clictoueus.* *Portocarrero.*

Res eſt non admodum expedita neque ab alijs ſatis diſcuſſa. Et vt omitamus tẽpora ſancti Bernardi, imo & ſancti Thomæ, & ſancti Bonauenturæ, in quibus certum eſt hoc feſtum nondum fuiſſe ab Eccleſia Romana admiſſum; idipſum 4.

Ægid. Roman. dicendum videtur de ætate Ægidij Romani, qui viuebat anno 1290. huic enim cum obijceretur ex Anſelmo: *Non puto amatorem eſſe Virginis, qui reſpuit celebrare eius Conceptionem* reſpondiſſe traditur. *Romana Eccleſia ſupponitur vera amatrix Beatæ Virginis, quæ tamen hanc celebritatem non celebrat.* *Sobrinus.* Ita refert Alfonſus Sobrinus Carmelita in tractatu de Conceptione cap. 9. *Bachon.* Idem etiam extendere licet ad tempora Ioannis de Bachone, nobilis è Carmelitana familia Theologi, qui obijſſe dicitur anno 1346. is enim in 4. diſt. 2. quæſt. 4. art. 3. ſcribit ab antiquis temporibus in Romana Curia hoc feſtum præſentibus Cardinalibus in Carmelitarum Cœnobio celebratum fuiſſe: *Et hoc* (inquit) *publica, & diuturna conſuetudine. Et hæc durauerunt tempore multorum Romanorum Pontificum vſque in præſens tempus, & conſtat quod tăquam diuturnam, & notoriam ſolemnizationem bene nouerant.* Quibus verbis dum ex præſentia Cardinalium, & tolerantia Romanorum Pontificum commendat hoc feſtũ, ſatis innuit tunc non fuiſſe ab ipſa Romana Eccleſia celebratum. Simili argumento conſtat non fuiſſe inſtitutum anno 1424. quo viuebat Capreolus inſignis Diui *Capreolus.* Thomæ Diſcipulus, is enim obijcientibus authoritatem Anſelmi idem reſpondit, quod ſupra de Ægidio Romano memorauimus, vt refert

Sobrinus. Denique Cardinalis Turrecremata, qui obijt anno 1468. affirmat ſuo tempore non celebrari hoc feſtum ab Eccleſia Romana, idque reſpondet argumento quod ex feſto deſumitur lib. de Conceptione part. 9. cap. 10. additque, quamuis in Romana Curia ab aliquibus etiam Cardinalibus celebraretur, non tamen coram Pontifice, & Collegio Cardinalium. Ex his manifeſtum videtur Romanam Eccleſiam ante tempora Sixti Quarti, qui creatus eſt anno 1471. nō celebraſſe feſtum Conceptionis. *Turrecremata.*

5\. *Iacobus de Valentia.* Sed contrarium videtur colligi ex hiſtoria, quam narrat Iacobus de Valentia in expoſitione Cātici *Magnificat*, nam cum filius quidam Soldani Armeniæ Auenionem veniſſet anno 1322. & in die Conceptionis officio, & concioni interfuiſſet (vt in alijs etiam ſolemnitatibus ſolebat) concionator multis argumentis conatus eſt oſtēdere Virginem cōtraxiſſe culpā originalem, *quibus verbis auditis in tantum fuit ſcandalizatus ille filius Regis Armeniæ, quòd ſurrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ, & Cardinalibus, quòd mirabatur de ipſis, qui erant capita Chriſtianæ Religionis, vt talia tolerarent audire de Virgine Maria, &c.* ex quibus ſatis liquet tunc temporis iam ab Eccleſia Romana inſtitutum feſtum Conceptionis, quandoquidem in ſacello Pontificio, & adſtante Papa age-

Conciliũ Baſil. batur. Conſonat Conciliũ Baſileẽſe poſt centũ, & amplius annos, nam ſeſsione 36. habita anno 1439. Ita loquitur: *Renouantes præterea inſtitutionẽ de celebranda ſanƈta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias ſexto idus Decembris antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur.* Quibus verbis non ſolum aſſerit hoc feſtum in Eccleſia Romana celebrari, ſed ex *antiqua conſuetudine.* Neque alicuius momenti eſt ſi quis dicat Concilium, cum hoc aſſeruit, illegitimum fuiſſe, atq; ideò fidem ei non eſſe adhibendam; cum enim hoc aſſertum de feſto ab Eccleſia Romana celebrato ad hiſtoriam pertineat, & (vt aiunt) ad faƈtum, non ad doƈtrinam; non eſt cur fidem non mereatur, neque veriſimile eſt illos patres, aut in re tam aperta falſos fuiſſe, aut ſcienter mentitos.

6. *Ægidius Luſitan.* Ægidius de præſentatione lib. 3. de Conceptione quæſt. 6. art. 1. §. 4. num. 21. planè ſentit Concilium his verbis affirmare Eccleſiam Romanam ex antiqua conſuetudine hoc feſtum celebraſſe; ſed nodum non ſoluit, qui ex authoritate Capreoli, & Turrecrematæ naſcitur, quorum alter viuebat quindecim annis ante decretum illud Concilij, alter Concilio interfuit, & poſt decretum ſcripſit. Tantis viris fidem non adhibere religio eſt; rurſum Concilio detrahere, in

iu-

iurium. Ego ſanè non video quid poſsit in medium afferri, quo in concordiam vocētur, niſi eo tempore nondum Eccleſiam Romanam inſeruiſſe ſuo Miſſali, & Breuiario officium Conceptionis, ideó verum eſſe non celebrari ab Eccleſia Romana; indulſiſſe tamen, vt qui vellent, pro libito recitarent, idque frequenter factum etiam Romæ annuente Pontifice, quod etiam teſtatur Ioannes de Bachone; atque hoc eſſe quod ait Concilium *per Romanam Eccleſiam* antiqua conſuetudine celebrari, non enim dixit *à Romana Eccleſia*. Atque in hunc ſenſum interpretari licet hiſtoriam illam de filio Soldani Armeniæ, neque enim ſatis conſtat concionem illam in ſacello Pontificio habitam fuiſſe, potuit enim Pontifex intereſſe officio in Eccleſia Cathedrali. Rurſum hæc præſentia non arguit feſtum Eccleſiæ Romanæ, ſed Auinionenſis, neque Romani Pontificis inſtitutionem, ſed permiſsionem aut conceſsionem priuatis Eccleſijs factam. Quod ſi hæc alicui non placent, afferat ipſe meliora. Nos rem in medio relinquimus alijs diſcutiendam. Id enim vnum ſat eſt inſtituto noſtro, ſi oſtenderimus á tempore ſaltem Sixti Quarti Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis, adiecto videlicet ſpeciali officio Miſſali, & Breuiario Romano.

Et

7. Et, vt ab ipſo Sixto Quarto faciamus initiũ, alicui fortaſſe videbitur nõ ſatis liquere ex eius extrauaganti *cum præexcelſa* edita anno 1476. ibi enim nullum verbum eſt, quod præceptum ſonet, ſed dumtaxat permiſsionem, & conceſsionem, adiectis etiam indulgentijs, quas lucrentur qui iuxta officium, & Miſſam Nogarolis feſtum celebrauerint, aut Miſſæ, & Horis Canonicis interfuerint. Hoc autem non ſatis eſt, vt affirmemus Eccleſiam Romanam ex decreto huius Põtificis celebraſſe feſtũ Conceptionis; aliud enim eſt Eccleſiam Romanã celebrare feſtũ aliquod, aliud permitere, & concedere, aut etiam approbare, vt ab alijs celebretur. Primum requirit præceptum apponendi feſtum in Kalendario Romano, & inſerendi Miſſam, & officium Miſſali, & Breuiario, vt omnes qui iuſta ritum Romanum celebrant, illo vtantur; Poſterius vero ſolum arguit liberam facultatem factam vti volentibus, aut illis, quibus ſpeciatim conceditur.

8. Sed nihilominus nullus dubito ſatis ex hac extrauaganti colligi ex præſcripto Sixti Eccleſiam Romanam celebraſſe feſtum Conceptionis. Id peruidebit quiſquis attentè legerit diploma. Tria enim præſtat Pontifex, primò ſupponit ſe approbaſſe officium Leonardi Nogarolis, ſecundó inſtituiſſe Miſſam, & officium, tertiò conceſ-

ſis indulgentijs hortatur, & (vt ipſe loquitur) *inuitat* Vniuerſos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, vt pro ſuo quiſque munere, aut Miſſam, & officium celebrent, aut interſint celebrationi. Approbatio licitam facit recitationem, indulgentiarum conceſsio ad eam inuitat, inſtitutio vero Miſſæ, & officij aliquid amplius præ ſe fert, nempe collocationem in Kalendario, & libris ſacris, quibus Romana Eccleſia in Officio diuino vtitur. Non enim idem eſt approbare officium, & inſtituere; approbat ſæpe ſæpius Romana Eccleſia officia aliquorum ſanctorum, conceditque, aut Religioſis ordinibus, aut aliquibus Eccleſijs vt ea celebrent; non tamen propterea inſtituit, quandiu in Kalendarium Romanum non admittit. Nunc verba Sixti audiamus: *Statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſq; ſexus, qui Miſſam, & officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ iuxta piam, deuotam, & laudabilē ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarij noſtri* (ecce approbat officiū) *& quæ deſuper à nobis emanauit Miſſæ, & officij huiuſmodi inſtitutionem* (ecce inſtituit) *in die feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eandem prorſus indulgentiam, & peccatorū remiſsionē conſequantur, &c.* *Sixtus Quartus.*

cum.

cum ergo Pontifex non ſolum commendet, & laudet officium Cõceptionis, hoc eſt approbet; ſed etiam affirmet à Sede Apoſtolica emanaſſe eius inſtitutionem; manifeſtum videtur Eccleſiã Romanam ſub hoc Pontifice non ſolum approbaſſe eiuſmodi officium, & alijs conceſsiſſe, ſed etiam ſuo Kalendario, Miſſali, & Breuiario inſertum celebraſſe.

9. Idipſum confirmare licet, ex diſcrimine inter officium Leonardi de Nogarolis, & Bernardini de Buſti. Vtrumque approbauit idem Pontifex Sixtus, vtrumque conceſsit recitare volẽtibus, vtrique impertiuit eaſdem indulgentias; non tamen de vtroque teſtatur á ſe emanaſſe eius inſtitutionem. Id quidem affirmat de officio Nogarolis, vt ex verbis allatis conſtat, de officio autem Bernardini minimè. Ita enim loquitur in diplomate, quo illud approbauit, & extat in Mariali eiuſdem Bernardini ſermone 9. de Conceptione: *Dilecto filio Bernardino de Buſti de Mediolano Ordinis Minorum de Obſeruantia, Sixtus Papa Quartus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dilecte filij, libenter ad ea concedenda inducimur, quæ deuotionis reſpiciunt incrementum. Tuis igitur in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt officium Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis per te compilatum, & ordinatum, tu & omnes, qui id voluerint pro deuotione ſua dicere, & recitare,*

Sixtus Quartus.

libe-

liberè, & licitè poſſitis ac valeatis, ſeu poſsint, aut valeant, Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annullo Piſcatoris die 4. Octobris 1480. *Pontificatus noſtri anno decimo*: Vides Pontificem approbare officium Bernardini, & concedere, vt quilibet poſsit libere illud recitare, abſtinere tamẽ à verbo *inſtitutionis*, quo vtitur in extrauaganti *cum præexcelſa*, vt intelligas officium de quo in ea eſt ſermo non ſolum approbatum fuiſſe, & priuatis perſonis, aut Eccleſijs conceſſum; ſed etiam ab ipſa Romana admiſum, atque adeò Romanam Eccleſiam iubente Sixto celebraſſe feſtum Conceptionis.

Sed iam euidenter idem oſtendamus ex duplici alia eiuſdem Sixti conſtitutione. Prima eſt quæ incipit *Graueminis* expedita anno 1481. vbi detonaturus Pontifex in quoſdam concionatores, qui ſententiam de Immaculata Conceptione hæreſis nota inurebant, ita orditur: *Sanè, ſicut accepimus, nonnulli diuerſorum ordinum profeſſores ad prædicandum Verbum Dei in diuerſis ciuitatibus, & locis, partibus Lombardiæ deputati, & non ignari quòd ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Glorioſæ Mariæ Conceptione feſtum celebrat, & ſpe-* 10.

*ciale ac proprium officium ordinauit;in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenus non erubuerunt,&c.*eiſdem penè verbis idem repetit Sixtus in extrauaganti eiuſdem etiam initij *graue nimis* edita anno 1483. quæ eſt inter communes de reliquijs,& veneratione ſanctorum: *ſanè* (inquit) *cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolemniter celebret,& ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit;nonnulli,vt accepimus diuerſorum Ordinũ Prædicatores,&c.*Ecce Pontifex non ſemel affirmat ſanctam Romanam Eccleſiam celebrare feſtum Conceptionis,& ſpeciale ac proprium officium ordinaſſe.Quare falluntur,quicumque exiſtimant feſtum Conceptionis in Eccleſia Romana,aut cæpiſſe tantùm á reformatione Breuiarij ſub Pio Quinto,aut certè non fuiſſe ab ea celebratum ſub Sixto Quarto, ſed tantúm permiſſum,& conceſſum vti volentibus; Etenim tempore Sixti Eccleſiam Romanam celebraſſe hoc feſtum,& quidem *publicè*,& *ſolemniter* ex teſtimonio eiuſdem Pontificis apertiſsimum eſt. Hanc autem celebritatem continuatam eſſe ad noſtra vſque tempora nemini eſt dubium, conſtabitq; amplius ex dicendis.

11. Ex his tribus conſtitutionibus Sixti ſatis liquet aliam antiquiorem eiuſdem Pontificis de-

ſide-

Digitized by Google

ſiderari,qua ſpeciale officium Conceptionis approbauerit, inſtituerit, iuſſeritque in Eccleſia Romana celebrari,atque adeò Miſſali eius, & Breuiario inſeri.Hæc enim in prædictis conſtitutionibus nõ fiunt denuo, ſed facta ſupponuntur. Id facilè admittet,qui verba expenderit;nam in vtraque conſtitutione *graue nimis* aſſerit Pontifex Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis,ſpecialeque ac proprium ſuper hoc officium ordinaſſe, atque inde indignatur aduerſus illos cõcionatores, quòd cum hæc nouerint, nihilominus non vereantur feſtum celebrantibus, & piam ſententiam tenentibus oblatrare, itaque ante expeditionem harum conſtitutionũ ordinatum erat officium,& ab Eccleſia Romana celebrabatur.Idem etiam liquet ex prima conſtitutione *cũ præexcelſa* vbi idẽ refert vt iã executioni mandatum illis verbis: *Et quæ deſuper à nobis emanauit Miſſæ, & officij huiuſmodi inſtitutionem.* Emanauerat ergo,antequam hæc conſtitutio in lucem prodiret.Quare neceſſe eſt affirmare aliã antiquiorem deſiderari,niſi quis dicat non ſcripto ſed viuæ vocis oraculo Pontificem approbaſſe,& ordinaſſe officium,iuſiſſeque vt in Eccleſia Romana celebraretur, quod poſtea diplomatibus confirmauit.Sané officium Nogarolis, & eius vſum antiquiorem eſſe quám conſtitutio,

cum præexcelſa inde eſt manifeſtum, quod ante annos ſeptem vtebatur iam eodem officio Eccleſia Compoſtellana, extat enim in eius Breuiario excuſſo anno 1469. cum tamen conſtitutio illa edita fuerit anno 1476. imò officium illud ab anno 1463. cæpiſſe frequentari affirmat ex probatis authoribus amicus noſter Ioannes Tamayo de Salazar (à ſecretis Illuſtriſsimi Domini D. Didaci Arce & Reinoſo, Epiſcopi Placentini, & Inquiſitoris Generalis) in vita ſancti Epitacii pag. 313.

12. Quinque ergo præſtitit Sixtus Quartus circa feſtum, & officium Conceptionis. Primò approbauit ordinatum à Leonardo de Nogarolis. Secundò illud inſtituit, hoc eſt iuſsit, vt ab Eccleſia Romana celebraretur, atque adeò vt collocaretur in Kalendario, Breuiario, & Miſſali Romano. Tertiò edidit extrauagantem *cum præexcelſa* in qua recitantibus illud officium, & eius celebrationi adſtantibus indulgentias eaſdem impertiuit, quas olim Vrbanus Quartus, & alij Romani Pontifices pro feſto Corporis Chriſti conceſſerant. Quartò expediuit priorem conſtitutionem *graue nimis* ad compeſcendos concionatores, qui notam hæreſis inurebant defenſoribus Immaculatæ Conceptionis, affirmabantque Romanam Eccleſiam ſolam ſpiritualem Con-

ceptio-

ceptionem,ſeu ſanctificationem Virginis celebrare. Denique in lucem edidit poſteriorem, vbi inſuper damnat aſſerentes peccare eos qui credunt Virginem ab originali præſeruatam,aut feſtum Conceptionis celebrant, aut interſunt concionibus.

Ex dictis iam liquet Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis inſtituente, & iubente Sixto Quarto. Neque tamen propterea putandum eſt hunc Pontificem præcepiſſe,vt in vniuerſali Eccleſia celebraretur,quod tamen non ſemel affirmat Ægidius á preſentatione loco citato,præcipuè num. 22. vbi citat vtramque extrauagantem *de reliquijs, & veneratione ſanctorum*, & ante ipſum idē docuerat Luzerus diſcurſu 1. cap. 5 ſed vterque fallitur. Nullum enim eſt verbum in conſtitutionibus Sixtianis, vnde colligi poſsit præceptum pro tota Eccleſia, ſed tantùm pro Romana. Nam in vtraque conſtitutione *graue nimis* ſolùm dicit Pontifex Eccleſiam Romanam celebrare feſtum Conceptionis,hoc autem non eſt præcipere,vt omnes celebrent. In extrauaganti verò *cum præexcelſa* obſcurius adhuc loquitur,ait enim emanaſſe á Sede Apoſtolica inſtitutionem Miſſæ,& officij (Nogarolis videlicet,de hoc enim loquitur) licet autem hæc verba aliquid maius,quàm permiſsionem, & con-

13.

Ægid. Luſitan.

Luzerus.

ceſsio-

ceſsionem præ ſe ferant, vt num. 8. expendebamus; nempe inſertionem officij in Breuiario, & Miſſali Romano, atque etiam præceptum, vt in Romana Eccleſia celebretur, vt mox oſtendemus: non tamen inde licet colligere iuſsionem pro Eccleſia vniuerſali. Tunc enim temporis nōdum præceperat Sedes Apoſtolica, vt omnes Eccleſiæ Miſſali, & Breuiario Romano vterentur, quod ſub Pio V. factum eſt; ſed vnaquaque Diœceſsis proprium Breuiarium habebat, & pro libito Epiſcoporum feſta, & officia inſtituebantur. Quare quamuis Eccleſia Romana officium aliquod inſtitueret, & ſuo Breuiario adijceret; non illico omnes Eccleſiæ tenebantur amplecti, niſi id ſpecialiter, & expreſsè iuberetur. Conſtat autem in conſtitutionibus Sixtianis eiuſmodi iuſsionem expreſſam non haberi.

14. Imò vero ex conſtitutione *cum præexcelſa* potius conuincitur Pontificem nihil de eiuſmodi præcepto cogitaſſe, cum enim agnoſceret ex ſola inſtitutione in Eccleſia Romana non teneri cæteras, vt illa ferebant tempora; ſed vnamquamq; ſua ſibi feſta, & officia cudere permitente Sede Apoſtolica; curauit eo diplomate indulgentijs, & gratijs omnes inuitare ad illius officij recitationem, quas præcepto ligare nollebat. Hoc manifeſte liquet ex verbis Sixti, quorum ſumma

eſt

eſt:*Cum præexcelſa meritorum inſignia quibus Regina Cœlorum,&c.Quaſi Stella matutina perrutilat deuotæ conſiderationis indagine perſcrutamur , &c. Dignum, quin potius debitum reputamus vniuerſos Chriſti fideles vt omnipotenti Deo,&c.De ipſius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias,& laudes referant,& inſtituta propterea in Eccleſia Dei Miſſas, & alia Officia diuina dicant,& illis interſint,indulgentijs ,& peccatorum remiſsionibus inuitare,&c.*ecce inuitat ad officij celebrationem; inuitare autem non eſt præcipere. Pergit,& ijs qui deuotè celebrauerint, aut interfuerint,indulgētiam concedit. Quare non eſt vnde affirmare poſsimus Sixtum præcepiſſe,vt in vniuerſali Eccleſia feſtum Conceptionis iuxta ordinationem Nogarolis celebraretur.

Sed quamuis id non præceperit vniuerſis Ec- 15.
cleſijs,vt volebat Ægidius;non tamen affirmandum eſt ſolum permiſiſſe, aut conceſiſſe priuatim recitare volentibus,vt perperam credi vult Libellator noſter. Etenim in conſtitutionibus Sixtianis præceptum contineri,non quidem vniuerſale,ſed ſpeciale reſpectu Eccleſiæ, & Diœceſis Romanæ, & eorum, qui Breuiario Romano vtebantur, ambigendum non eſt. Id ſatis perſuadet quód non ſemel teſtatur Pontifex Eccleſiam Romanam hoc feſtum celebrare,id enim neceſſariò poſtulat inſertionem feſti

in Kalendario Romano, & Miſſæ, atque oficij in Miſſali, & Breuiario, quæ ſine iuſſu Pontificis fieri non potuit, factam autem fuiſſe ex Breuiarijs antiquis Romani ritus cap. 8. oſtendemus. Rurſum quoties in Breuiario etiam Eccleſiæ priuatæ, aut ordinis religioſi, officium aliquod apponitur; tenentur illud celebrare omnes, qui illius Diœceſis, aut ordinis ſunt. Quare cum teſtimonio Sixti Quarti conſtet Eccleſiam Romanam, cum ipſe rerum potiebatur, celebraſſe feſtũ Conceptionis à Leonardo ordinatum, perſpicuum eſt eos, qui Romæ degebant, & ad Diœceſim Romanam ſpectabant, aut Breuiario Romano vtebantur, ſub præcepto obligatos fuiſſe eiuſmodi officium recitare, atque eo ſenſu verum eſt Sixtum Quartum præcepiſſe, vt celebraretur officium Conceptionis. Quod ante me docuit vir ille magnus, Dominicanæ familiæ decus, & meæ patriæ (Beatiæ videlicet) ornamentum Alfonſus Chacon lib. 2. de vitis, & geſtis ſummorũ Pontificum in Sixto Quarto pag. 981. vbi inter ſolemnitates, quas hic Pontifex veteribus adiũxit, *& in Eccleſia celebrari iuſsit*, enumerat feſtum Conceptionis. Vt vel à ſuæ familiæ alumno non pœnitendo diſcat libellator noſter officium Conceptionis non modo conceſſum, ſed ab Eccleſia Romana admiſſum, & celebratum

Alfonſus Chacon.

fuiſſe,

fuiſſe, quod de officio ſanctificationis numquam ipſe probabit. Sed de hoc iterum capite 13.

ECCLESIA ROMANA IN feſto Conceptionis non ſolam Virginis ſanctificationem veneratur, ſed eius naturalem Conceptionem, qua anima vnita eſt corpori. Concilium Tridentinum duplicem Sixti Quarti extrauagantem eodem initio Graue nimis *agnouit, & confirmauit.*

CAPVT VII.

EX dictis firmiſsimum depromitur argumẽtum pro tuendo titulo Immaculatæ Conceptionis: Eccleſia Romana celebrat feſtũ Conceptionis B. Virginis; ergo hæc Conceptio Sancta eſt, & Immaculata: neque enim Romana Eccleſia ſacro, & ſolemni cultu proſequitur niſi rem ſanctam, vt docet D. Thomas, & admittit Libellator. Sed vt eſt propoſiti tenax humanum ingenium, mirum eſt quot explicationes excogitauerint aduerſarij, vt argumenti vim eludant, & feſti ſolemnitatem euacuent. Illud mirabilius 1.

quanta confidentia has eaſdem expoſitiones ab antiquis ſcholaſticis mutuentur, eorumque authoritate munitos ſe velint, cum tamem conſtet antiquos non aliam ob cauſam eas excogitaſſe, quàm quòd viderent ab Eccleſia Romana non celebrari feſtum Conceptionis, atque ideò, ne damnarent eos, qui ſine authoritate Romanæ Eccleſiæ illam colebant, eorum factum, & mentẽ benignè interpretabantur. Quòd ſi poſt Sixtum Quartum ſcripſiſſent, & vidiſſent Romanam Eccleſiam Marianæ Conceptioni cultum exhibentem; proculdubio rem planè amplecterentur, abſtinerentque ab illis expoſitionibus, in quas reuerentia in Sedem Apoſtolicam, & erga proximos amor, & modeſtia eos induxerant.

2. Quare longè diuerſa cauſa eſt eorum, qui ante Sixtum, & qui poſt Sixtũ ſcripſere; illorũ laudãdũ eſt ſtudiũ in eiuſmodi explicationibus adhibẽdis feſto Cõceptionis, quod à priuatis Eccleſijs tunc agebatur. Hoc enim præſtabãt ne Eccleſias, alioquim venerabiles, apertè damnarent, quòd in re tan graui præoccupaſſent iudicium, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ. Ideò conabantur benigna interpretatione ad ſenſum trahere nihil noui inducentem, vt quòd eo feſto colatur ſanctificatio Virginis in vtero omnibus indubitata, vel quòd grates Deo agantur ob iacta

fundamenta appropinquantis reparationis humanæ, quæ ea Conceptione iam illuceſcebat, vel quód is dies lætus habeatur, & feſtus, quo concepta eſt fœmina Dei genitrix mox futura, & ſi quæ ſunt his ſimilia à veteribus excogitata: at qui ſcripſerunt poſt Sixtum Quartum, & viderunt ab Eccleſia Romana ipſam Conceptionem Virginis ſolemniter coli, excuſandi non ſunt; certé laudem merentur nullam, ſi eiuſmodi interpretationibus adhuc inhæreāt, cum eos deſtituat honeſta illa cauſa, quæ antiquos mouebat, nempè reuerētia erga Sedem Apoſtolicam, quæ feſtum Conceptionis non inſtituerat, & modeſtia erga eas Eccleſias, quæ eiuſdem ſedis iudicium anteuertiſſe videbantur. Satius illis fuiſſet & conſultius Romanæ Eccleſiæ piam de Immaculata Conceptione ſententiam feſto ipſo iam commendanti faſces ſubmittere, & planè amplecti, quod tam planè ipſa profitetur; quam reuocatis ab òrco antiquorum interpretationibus, quas ipſi pro ſedandis contentionibus piè excogitauerant; contentiones alere, & Romanæ, atque adeó Catholicæ Eccleſiæ litem circa mentem ſuam mouere iis ipſis rationibus, quibus veteres ob reuerentiam Romanæ priuatas Eccleſias excuſare, & lites ſopire curabant. 3.

Hinc factum eſt, vt cum ante Sixtum Quar-

tum licuerit Theologis ſcholaſticis de feſto Conceptionis, vt cuique libebat ſentire, & aut reprehendere illud celebrantes, aut ſenſum, & mentem eorum interpretari, variaſque explicationes comminiſci, quàm Sedes Apoſtolica decreto aliquo id prohiberet; tamen poſtquam Ecclefia Romana hoc feſtum amplexa eſt, cum nihilominus auderent aliqui ad antiqua commenta redire, curauerunt illico Summi Pontifices hanc opinandi licentiam coercere, cœpitque Sixtus ipſe Quartus duplici illa extrauaganti *graue nimis*. Et cum adhuc circa earum mentem, & vim nonnulli auderent opinari, Alexander Sextus poſt triginta ferè annos edidit motum propriũ qui incipit *illius qui*, vbi cum inſeruiſſet Sixti extrauagantem *graue nimis*, pergit ipſe his verbis: *Cum autem, ſicut non ſine animi moleſtia accepimus, nonnulli diuerſorum ordinum religioſi effectum litterarum prædictarum forſam ignorantes, aut illas temerarijs auſibus contemnentes, in ſermonibus, & prædicationibus ad populum, & aliàs publicè per diuerſas ciuitates, & terras varias opiniones circa contenta in ipſis eiſdem litteris contra earum tenorem in medium proponere, & quidam vnum, alij vero reliquum affirmare non erubeſcant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & ſcandala non modica generantur: Nos, &c. authoritate Apoſtolica tenore præſentium dicernimus, & decla-*

ra-

ramus præinſertas litteras ac omnia, & ſingula in eis cō-tenta perpetuis futuris temporibus donec per Sedem Apoſtolicam aliter deciſum, & ordinatum fuerit, inuiolabiliter obſeruari debere. Quibus verbis planè prohibet Pontifex illas *varias opiniones circa contenta in litteris Sixti contra earum tenorem.* Cum autem in litteris Sixti, & earum tenore contineatur Romanā Eccleſiam celebrare Conceptionem ipſam Virginis á peccato liberam (vt euidenter poſtea mōſtrabimus) manifeſtum eſt Alexandrum damnare omnes illas explicationes quibus aduerſarij nituntur oſtendere Romanam Eccleſiam non celebrare Conceptionem Immaculatam. Eiuſmodi enim expoſitiones ſunt *variæ opiniones circa cō-tenta in ipſis eiſdem litteris contra earū tenorem.* Sciant ergo recentiores poſt Sixtum Theologi, quicūque Romanæ Eccleſiæ ſenſum circa feſtum Conceptionis alió torquent, quàm vt de Immaculata intelligatur, & ad id perſuadendum refricant antiquorū expoſitiones; ſe nō ſolū illorū authoritate abuti, cū cauſa ſit longè diuerſa; ſed explicationes amplecti ab Alexandro Sexto dānatas.

His ita animaduerſis nunc adeas expoſitiones faciamus gradum. Prima eſt Eccleſiam cum 4.
feſtum Conceptionis celebrat, non colere ipſam Conceptionem, ſed ſanctificationem in vtero, quæ, quia ignoratur quo die contingerit, refer-

tur

tur ad diem ipſum Conceptionis, & ideó feſtum ex die, in quo celebratur, nomen ſumpſit, & Conceptionis dicitur, quamuis non Conceptio, ſed ſanctificatio colatur. Pro hac explicatione refert Ægidius de præſentatione S. Thomam, & alios antiquos ante Sixtum Quartum, deinde Caietanum opuſculo de Cōceptione cap. 5. Bandellum in ſuo tractatu part. 2. Medinam 3. part. quæſt. 27. art. 2. & videtur ſequi Franciſcus Siluius eodem loco.

5. Sed certè hæc explicatio prorſus eſt aliena á mente Eccleſiæ Romanæ. Euidens enim eſt ipſam in hoc feſto colere non ſolam ſanctificationem vtcumque, ſed naturalem ipſam, & corporalem Virginis Conceptionem, qua anima eius primúm vnita eſt corpori. Hoc manifeſtiſsimis argumentis oſtenditur. Primò Eccleſia Romana inſtituente Sixto Quarto celebrat illud feſtū, quod pleræque priuatæ Eccleſiæ ante Sixtum celebrabant; ſed illæ non ſanctificationem præciſſé ſed ipſam naturalem Virginis Conceptionem cultu proſequebantur; ergo hanc colit Romana Eccleſia. Maior propoſitio (vt ſcholaſtico more loquamur) conſtat ex communi omnium ſenſu, nihil enim frequentius apud authores, quám Romanam Eccleſiam admiſiſſe tandem feſtū illud, quod á priuatis antea frequentabatur. Itaque

illud ipſum feſtum, quod Carmelitani præſentibus Cardinalibus, & Romano Pontifice permittente, Romæ celebrabant teſte Bacchone; illud ipſum, quod multi in Romana Curia, & aliqui etiam Cardinales teſte Turrecremana, illud, inquam, tandem admiſsit Romana Eccleſia, celebratque hodie, & à tempore Sixti, quod tempore Bernardi, Bacchonis, & Turrecrematæ non celebrabat. Minor verò quod Eccleſiæ priuatæ ante Sixtum non ſolam ſanctificationem Virginis, ſed naturalem eius Conceptionem colerent, manifeſtius eſt, quàm vt probatione egeat; tum quia id cõſtat ex antiquis earum Breuiarijs, tum quia ſi ſolã ſanctificationẽ celebraſſent, non vtique reprehendiſſet Diuus Bernardus Eccleſiã Lugdunenſem, neque ſcholaſtici nonnulli alias, cum de ſanctificatione Virginis in vtero nullus vnquam Catholicus dubitauerit, aut cultu ſacro indignam dixerit.

Secundò Eccleſia Romana celebrat illud feſtum, quod damnabant concionatores illi, aduerſus quos decernit Sixtus Quartus in extrauagãti *graue nimis*; ſed illi non damnabant coli ſanctificationem Virginis, quam ipſi etiam celebrabãt, ſed naturalem eius Conceptionem quam indignam cultu cenſebant, quia putabant originali macula pollutam, ideòque celebrantes feſtum 6.

Conceptionis peccare,& hæreticos eſſe affirmabant;ergo Eccleſia Romana Conceptionē hanc, & non ſolam ſanctificationem, colit. Maior euidens eſt ex ipſis verbis Sixti, vt enim rationem reddat iuſtæ indignationis in illos concionatores,& quàm meritò *graue nimis* illi ſit, *& moleſtum* eorum audax factum,ſic infit: *Sanè cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit; nonnulli, vt accepimus diuerſorum Ordinum Prædicatores, &c.* quód ſi Eccleſia Romana hoc feſto non celebrat naturalem ipſam Virginis Conceptionem, ſed ſanctificationem duntaxat, perperam Pontifex ex feſto ab Eccleſia Romana inſtituto argumentum ſumeret ad conuincendam, & damnandam concionatorum audaciam; ipſi enim non condēnabant colentes ſanctificationem, ſed Conceptionem naturalem;atque adeó ſi hanc non colit Romana Eccleſia,ſed ſanctificationem tantúm, nihil aduerſus eius feſtum pronunciabant. Ergo euidentiſsimum eſt colere naturalem Virginis Conceptionē,in cuius cultum illi debachabantur.

7. Tertiò illi ipſi,qui negant Conceptionem naturalem Virginis colendam eſſe, aut coli ab Eccleſia,olim in ipſo Conceptionis die feſtum

age-

agebant Virgini, non tamen ſub titulo Conceptionis, ſed ſanctificationis, atque hoc poſtquam Romana Eccleſia feſtum Conceptionis inſtituit. Itaque cauebant á voce Conceptionis, qua Eccleſia Romana vtebatur, & ſanctificationis feſtum appellabant, vt manifeſtum eſt, & Libellator ipſe fatetur Libello 2. num. 3. ergo hoc ſuo facto apertè fatebantur Eccleſiam Romanam nō ſolam ſanctificationem colere, ſed Conceptionē ipſam, cuius nomen feſto propterea indiderat. Alioquim ſi feſtum appellatur Conceptionis, non quia Conceptio ipſa naturalis colatur, ſed quia agitur in ipſa die, quamuis ſanctificatio dū taxat celebretur: cur ipſi, qui idem prorſus, & in eodem die colebant, cane peius & angue vitabant nomen Conceptionis? Cur ab Eccleſia Romana in voce diſsidebant, cui in re conformabantur? Sane ſuo ipſi facto conuincuntur agnouiſſe eam ſolemnitatem, qua Conceptio ipſa nō colitur, perperam appellari feſtum Conceptionis. Quare cum nollent eam venerari (quód in ſua ſentētia indigna ſit cultu) ad ſāctificationis nomē & ſenſum cōfugerunt, apertiſsimè fatentes Eccleſiā Romanā, quæ feſtū Cōceptionis celebrat, Cōceptionē ipſā celebrare. Hinc liquidū eſt contrariam eſſe facto ſuo eam explicationem, quam feſto Eccleſiæ adhibent (ſi quis tamen Thomiſta

tum adhibet vno fortaſſe Bandello excepto) atque adeò contra propriam ipſorum mentem, & conſcientiam. Nam qui feſtum Conceptionis non celebrant, ne meritò conuincantur Conceptionem colere; contrarij ſibi ſunt, dum volunt perſuadere ab Eccleſia non coli, quamuis celebret feſtum Conceptionis. Velint ergo nollint, facto ſuo fatentur, quod verbis negant, nimirum Eccleſiam Romanam Conceptionem ipſam celebrare.

8. Denique Sedes Apoſtolica damnauit tanquam falſam, & erroneam ac á veritate alienam hanc propoſitionem *Romana Eccleſia ſolam ſpiritualem Conceptionem ſeu ſantificationē Virginis Mariæ celebrat*. Ergo erroneum eſt aſſerere Eccleſiam non celebrare naturalem ipſam, & corporalem Conceptionem Virginis. Patet, tum quia perinde eſt ſolam ſpiritualem Conceptionem celebrare, & non celebrare naturalem. Tum etiam quia ſi Eccleſia non ſolam ſpiritualem Conceptionem colit, ergo aliam præter ſpiritualem colit, ergo naturalem. Quæ enim alia eſt Conceptio ab ſpirituali diuerſa, niſi naturalis, & corporalis? ergo ſi erroneum eſt aſſerere Eccleſiam Romanam ſolā ſpiritualem Virginis Conceptionem celebrare, erroneum etiam eſt aſſerere non celebrare naturalem. Antecedens vero cōſtat ex motu proprio

Digitized by Google

Sixti Quarti qui incipit *Graue nimis*, nõ illo quidẽ eiuſdem initij, qui inter extrauagãtes in iure Canonico numeratur, ſed alio longe diuerſo, & prius edito, qui extat in monumentis Ordinis Minorum, & in firmamento trium ordinum, & in Bullario Emanuelis Rodriguez, & alibi. In hoc ergo diplomate ita loquitur Sixtus: *Sanè ſicut accepimus, nonnulli diuerſarum ordinum profeſſores ad prædicandum Verbum Dei in diuerſis ciuitatibus, & locis partibus Lombardiæ deputati, & non ignari, quòd ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis glorioſæ Mariæ Conceptione feſtum celebrat, & ſpeciale ac proprium officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant aſtante populi multitudine, omnes illos, qui tenent, & affirmant eandẽ Glorioſam, & Immaculatam Dei genitricem Virginem Mariam abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam hæreticos eſſe, & ipſam Romanã Eccleſiam ſolam ſpiritualem Conceptionem, ſeu ſanctificationem eiuſdem Virginis Mariæ celebrare, &c. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, & peruerſis à veritate penitus alienis aſſertionibus, &c. obuiare volentes, &c. huiuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent eandem ſanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali duntaxat Conceptione, & ſanctificatione eiuſdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare, &*

eos qui crederent, & tenerent eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vt pote falſas, & erroneas ac veritate alienas, editoſq; que deſuper libros prædictos id continentes authoritate Apoſtolica præſentium tenore reprobamus, & damnamus, &c.

9. Quibus verbis non ſolum damnat Pontifex tanquam erroneum, quòd Eccleſia Romana de ſpirituali duntaxat Conceptione, & ſanctificatione feſtum celebret; ſed etiam rationem reddit cur id aſſerentes arguat erroris, nempe quia id aſſerunt non ignari, quòd ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Glorioſæ Mariæ Conceptione feſtum celebrat, & ſpeciale ac proprium officium ordinauit ſatis innuens ex ipſamet feſti inſtitutione, & officio manifeſtum eſſe Eccleſiam colere Conceptionem naturalem, id enim propriè ſignificat vox *Conceptio*, atque adeò errare eos, qui rem tam apertam negant, & de ſola ſanctificatione feſtum interpretantur.

10. Sed erit fortaſſe, qui de fide huius extrauagã tis dubitet, & eam commentitiam exiſtimet, aut certè non diuerſam ab illa eiuſdem initij, quam in iure Canonico legimus, cui tamen ab aliquo Sycophanta addita ſit periodus de ſpirituali

Con-

Conceptione, ſeu ſanctificatione. Et quidem nõ eſſe diuerſam ſenſit Corduba lib. 1. quæſtionarij quæſt. 44. concluſ. 3. & 6. §. *Sed contra hanc*, vbi cõfundit extrauagantem, quæ habetur inter communes titulo *de reliquijs, & veneratione ſanctorum*, quam inſeruit ſuo diplomati Alexander Sextus, cum hac, de qua agimus. Vidit quidem Corduba duas eiuſdẽ initij extrauagantes in libro cui titulus *monumenta Ordinis Minorũ*, alterã fol. 34. alterã f. 74. vt cõſtat ex eius cõcluſ. 3. ſed in hoc falſus eſt, quòd putauit eamdẽ eſſe, quæ vtrobiq; habetur. Gabriel Vazquez tom. 2. in 3. part. diſp. 117 cap. 5. num. 68. dicit Cordubenſem tribuere Alexandro Sexto damnationem illius expoſitionis, quòd Eccleſia Romana de ſola ſpirituali Conceptione feſtum celebret, ſubditque ſe ea verba non inueniſſe, quem immeritò reprehendit Ægidius de preſentatione quæſtione illa ſexta art. 1. num. 33. quòd affirmet illa verba non haberi in lib. qui *monumenta Minorum* inſcribitur; id enim non aſſerit Vazquez, ſed non haberi in diplomate Alexandri Sexti cuius initium eſt *illius qui*, hoc autem veriſsimum eſt. Neque tamen Corduba ſcripſit ſe vidiſſe diploma Alexandri Sixti, & inſertam in eo Sixti extrauagantem, atque ibi legiſſe verba illa, quæ re vera non ſunt; ſed cum falsò putaſſet vnicam eſſe Sixti extra-

Corduba. *Vazquez* *Ægidius*

uagan-

uagantē *graue nimis*, & aliàs noſſet ex monumentis ordinis, in quadam huius Pontificis conſtitutione eiuſdem initij contineri illa verba, inſuper que perpexiſſet extrauagantē *graue nimis*, quæ in iure Canonico eſt, confirmatam fuiſſe ab Alexādro Sexto, & ſuæ conſtitutioni inſertam; Illo errore ductus aſſeruit in motu proprio Alexandri illa verba contineri, cum tamen ex his ipſis quæ ipſe fatetur concluſione illa tertia debuiſſet agnoſcere diuerſas eſſe extrauagantes ſub eodē initio, quas ipſe legerat in monumentis ordinū, alteram pag. 34. alteram 74. addens in altera earum deſiderari verba quædam, quæ in alia leguntur.

11. Hæc ideò prolixius expendimus ne quis ex Cordubenſis errore anſam prærripiat ſuſpicandi periodum illam de ſpirituali Conceptione commentitiam eſſe, & ab aliquo nebulone aſſutam extrauaganti *graue nimis*, & conſtitutioni Alexādri Sexti, atque inde tandem tanquam cuculli ouum reiectam meritò fuiſſe in iure Canonico, certè enim numquam in ea extrauaganti, quæ eſt in corpore iuris, & in Alexandri conſtitutione, ea verba lecta ſunt, ſed pertinent ad aliam Sixti, quam immeritò confundit Corduba, & quam nō vidit Vazquez, viderunt tamen, & amplexi ſunt plerique, quos mox referemus.

Et quidem diuerſas eſſe Sixti Quarti extrauagantes ſub eodem initio *graue nimis* perſpiciet quicumque eas legerit,tum ex diuerſitate Verborum,tum ex tēpore,quo editæ ſunt.Ea enim, de qua agimus,expedita eſt anno vndecimo Pontificatus Sixtiani,qui partim incidit in annum Chriſti 1481.partim in 1482. ideò in diuerſis exemplaribus vterque annus exprimitur. Altera verò quæ iuri Canonico inſerta eſt, ad annum Pontificis decimum tertium pertinet,&Chriſti 1483.vt ex ipſa conſtat. Denique longè plura decernit Pontifex in poſteriori, quam in priori conſtitutione,vt non vnam eſſe,ſed diuerſas manifeſtum ſit. Niſi quis contendat eandem poſſe dici, ſed auctam, ſeu (quod affirmat Ferdinandus de Salazar cap.33.num.4.)*Secundò editam* id eſt iterum, atque hac ratione ex parte excuſſet Cordubam, quod tamen vtcumque ferendum erit,dum duas diuerſis temporibus editiones fateatur,quarum neutra idem omnino, quod altera,contineat. In priore ergo conſtitutione duas duntaxat propoſitiones damnat Sixtus, altera eſt: *Eccleſia Romana de ſpirituali duntaxat Conceptione, & ſanctificatione feſtum celebrat*. Altera: *qui credunt, & tenent Virginem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, hæretici ſunt*. In poſteriori vero primam propoſitionem omittit, 12.

Salazar.

ſe-

ſecundam repetit, & inſuper addit tres alias, quas etiam cõdemnat. Prima eſt: *Qui credunt, & tenent, Virginem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, mortaliter peccant.* Secunda: *qui officium Conceptionis celebrant, peccati reatum incurrunt.* Tertia: *qui audiunt ſermones de Immaculata Conceptione, incurrunt etiam peccati reatum.* Differunt etiam in alijs hæ duæ conſtitutiones, vt lector videbit, ſi conferat. Illud non omitendum in priori non eſſe illa verba, quæ in poſteriori reperiuntur: *Cum non dum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſſum.*

13. Sed reſtat adhuc ſcrupulus. Quamuis enim oſtenderimus diuerſas eſſe has conſtitutiones, hinc non ſtatim ſequitur priorem illam, de qua eſt quæſtio, legitimam eſſe, & á Sixto verè editam. Quid enim ſi nugator quiſpiam eam finxit, vt doctrina de Conceptione duntaxat ſpirituali in feſto Conceptionis celebranda damnata videretur à Sede Apoſtolica? Id autem non temerè iudicari, quæ ſecuntur oſtendunt. In primis ea extrauagans neque in iure Canonico admiſſa eſt, neque in Bullario Romano reperitur, cum tamẽ aliæ duæ Sixtianæ de Conceptione nempè, *cum præexcelſa*, & *graue nimis* receptæ ſint. Deinde Alexander Sextus alteram tantùm, eam videlicet, quæ eſt in corpore iuris, ſuæ conſtitutioni inſer-

uit,

uit,& confirmauit. Rurſum Paulus Quintus in motu proprio cuius initium eſt *Regis pacifici*, vbi prædeceſſorum ſuorum decreta confirmat, quibus vtriuſque ſententiæ, aut feſti Conceptionis cenſores coercent, & pœnis afficiunt; vnius tantum Sixtianæ *Conſtitutionis* meminit nempe eius, quæ in iure Canonico legitur, non omiſſurus alteram, ſi legitima eſſet, cum in ea etiam, & acriores vtriuſque opinionis cenſuræ prohibeantur, & pœnæ, infligantur tranſgreſſoribus. Atque idē argumentum eſt de decretis Inquiſitionis Romanæ ſeu potius eiuſdem Pauli Quinti, & Gregorij XV. quorum authoritate prodierunt in lucem.

Ad hæc Sixtus ipſe Quartus in illa indubitata conſtitutione *graue nimis* ſatis oſtendit facto ſuo alteram non eſſe ſuam, ſed ſpuriam, & nothā. Quorſum enim duas ederet de eadem re, eodem initio, & ipſiſsimis pené verbis? deinde ſi ipſe priorem ediderat, cur non adiecit in ſecunda periodum illam, in qua damnauerat erroris affirmātes Eccleſiam Romanam de ſpirituali duntaxat Conceptione feſtum agere? An pœnituit damnaſſe? An re melius perſpecta animaduertit ſe nō recte feciſſe, & ideó correxit ſilentio? At hæc in Romanum Pontificem pro munere ſuo publicé ſtatuentem non quadrant. Cur ergo ab eo decre- 14.

to,quod ante annos duos nõ integros neceſſariũ omninoduxerat,tam citò receſsit? Repetit damnationem eorum, qui hæreticos dicebant eos, qui crederent Virginem ſine peccato Conceptam;cur non & eorum,qui affirmabant Eccleſiã Romanam de ſola Conceptione ſpirituali feſtũ celebrare? Viſum eſt ei non ſatis obſtructa eſſe ora obloquentium priori diplomate, non ſatis obuiam itum ſcandalis,& contentionibus; atq; ideò excanduit etiam in illos, qui blatterabant peccare eos,qui crederent Conceptionem Immaculatam,qui eius feſtum celebrarent, qui concionibus adeſſent; & qui noua addenda cenſebat,detraheret de iam decretis? Qui tam prouidè omnes vias contentionum obturauerat, libera relinqueret diſsidia erga mentem Eccleſiæ Romanæ,vnde tota res pendet? Quis credat? Nõ ergo Sixti eſt illa conſtitutio, ne dicamus eum tam citò ſe ipſum deſeruiſſe.

15. *Granado* Neque alicuius momenti eſt, quod reſpondet Iacobus Granado libro de Conceptione diſp.3.cap.7.ſect.3.num.22. fortaſſe Sixtum id omiſiſſe permotum precibus ſectatorum ſententiæ affirmantis Virginem in originali peccato Conceptam;qui id poſtularunt,ne tam clarè dãnaretur,quod nonnulli graues Doctores affirmauerant ante ipſum Sixtũ,præcipuè D. Thomas

&

& S. Bonauentura. Sed friget hæc reſpõſio. Cenſura enim illa (vel ipſo Granado iudice) non tangit ſcriptores, qui ante Sixtum ſcripſerunt. Nihil enim de ſenſu Eccleſiæ Romanæ iudicarunt, cui nondum venerat in mentem feſtum Conceptionis celebrare. Solùm præſtringit eos, qui poſtquam Eccleſia Romana feſtum amplexa eſt, & inſtituto officio apertiſsimè oſtendit ſe naturalem ipſam Virginis Conceptionem venerari (vt ipſe Granado contendit) nihilominus meridianæ luci tenebras offundere conabantur intempeſtiua explicatione, abutentes antiquorum doctrina, quorum, vt initio capitis diximus, diuerſiſsima cauſa fuit. Quare ſi Pontifex in recentes expoſitores detonauerat in priori reſcripto, non fuit cur in ſecundo ab eadem cenſura abſtineret in honorem priſcorum, quibus nullum inde periculum creabatur. Cum ergo Sixtus nihil hac de re decreuerit in ea extrauaganti, quæ ab omnibus admititur; pronum eſt exiſtimare ſuppoſititiam eſſe eam, de qua diſputamus.

Sed nihilominus hæc mouere neminem debent, vt audeat extrauagantem hanc velut adulterinam reſpuere. Id enim nõ faciet ſine graui iniuria Seraphici Ordinis, in cuius monumentis olim publicè legitur. Extat enim in libro cui titulus eſt *Monumenta Ordinis Minorum*, vtriuſque 16.

editionis, in firmamento trium ordinum, in com-
Eman. pendio priuilegiorum, in Bullario Emanuelis
Rodrig. Rodriguez, & tom. 1. quæſtionum Regularium.
Cõfectius Eam etiam inſeruit Ioannes Baptiſta Cõfectius Protonotarius Apoſtolicus libro ſuo qui inſcribitur *collectio priuilegiorum ſacrorum Ordinum* Clementi Octauo dicato, & Nuncij Apoſtolici Florentini (non ſine diligenti examine) authoritate munito. Authores etiam, qui pro Conceptione ſcripſerunt, vtuntur teſtimonio huius extrauagantis
Granado Iacobus Granado diſp. 3. cap. 7. ſectione
Ægidius 3. Ægidius lib. 3. quæſt. 6. art. 1. §. 6. Ferdinan-
Salazar. de Salazar cap. 33. Ojeda, Lucerus, & alij.
Ojeda. *Lucerus.*

17. Neque quicquam roboris habent, quæ nuper obijciebamus. In primis enim eodem initio ſecũdã inſigniuit, quia nõ tam diuerſam prorſus, quã eandem auctã cenſeri voluit, opportebat autem quædam addere, quæ num. 14. notauimus. Rurſus illa prior in Concionatores Lombardiæ ſpecialiter dirigebatur, iudicauit autem expedire, vt decretum eſſet vniuerſale. Deinde non omnia Romanorum Pontificum diplomata, aut iuri Canonico inſerta ſunt, aut in aluum Bullarij Romani relata. Alexander vero Sextus, & Paulus V. huius extrauagantis non meminerunt, quia quidquid in ipſa ſtatutum eſt, abunde in poſteriori continetur, atque hæc eſt cauſa cur Sixtus

ipſe

ipſe quartus; cum ſecundam *graue nimis* locuple-
tiorem edidit, omiſsit verba illa, quibus in prio-
ri damnauerat aſſerentes Eccleſiam Romanam
de ſpirituali duntaxat Conceptione feſtum cele
brare; non quidem quia mutata ſententia ab hac
cenſura abſtinendum, vel quia precibus aduerſa
riorum victus benignius agendum duxerit; ſed
quia nouo decreto quod adiecit, id ipſum ſatis
complexus eſt, vt ſuperuacaneum eſſet eandem
rem diuerſis periodis inculcare. In priori nihil
decernit aduerſus damnantes feſtum Conceptio
nis, ideò opus fuit mentem Romanæ Eccleſiæ
aperire, & intempeſtiuam interpretationem re-
pellere. At in ſecunda damnat aſſerentes hæreti-
cos eſſe, aut peccare eos, qui celebrant feſtum
Conceptionis, iuxta officium videlicet á Leo-
nardo ordinatum, in quo tam apertè colitur Cō
ceptio ipſa naturalis. Declarat etiam Eccleſiam
Romanam hoc officium ordinaſſe, & iuxta ip-
ſum celebrare feſtum Conceptionis, vnde ſatis
liquet colere naturalem ipſam Virginis Concep
tionem. Cum ergo decernat errare eos, qui eiuſ-
modi feſtum reprehendunt, hoc decreto ſatis ſu
perque ea nota inuruntur, qui de ſanctificatione
duntaxat mentem Eccleſiæ interpretantur. Idē
enim prorſus eſt: *Eccleſia Romana non celebrat Con-
ceptionem naturalem*; & *Eccleſia Romana celebrat ſan-*

Ctiſi-

ſtificationem duntaxat. Quare ſicut prior propoſitio hoc decreto erronea decernitur, ita & poſterior; vt nil opus fuerit verba prioris extrauagantis circa Conceptionem ſpiritualem, aut ſolam ſanctificationem denuo adijcere.

18. Illud tandem omnem prorſus dubitationem tollit, quòd hanc extrauagantem inter Sixtianas agnoſcit, & confirmat Concilium Tridentinum ſeſsione quinta decreto de peccato originali, vbi cum declaraſſet: *Non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem,* ſubdit *ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.* Ecce Concilium confirmat Sixti conſtitutiones, & pœnas in eis contentas. At niſi inter Sixtianas numeretur hæc conſtitutio, de qua agimus, non eſt reperire huius Pontificis conſtitutiones, quæ pœnas contineant; nam illa, quæ incipit *cum præexcelſa*, nullas omnino decernit. Manifeſtum ergo eſt Tridentinum non ſolum approbaſſe extrauagantem *graue nimis* iuri Canonico inſertam, ſed illam etiam eiuſdem initij, de qua diſputamus. Pluralis enim elocutio, ſicut duorum numero contenta eſt (l. vbi numerus, ff. de teſtibus) ita vno duntaxat contenta eſſe non poteſt. Atque ita ad hanc rem confirmandã

Concil. Trident.

argu-

argumentantur Ægidius de Præſentatione loco citato num.36.& Ferdinandus de Salazar, cap. 33.num.4.

Vim hujus argumenti eneruat Gabriel Vazquez diſp. illa 117.cap.5.num.54. licet aliud agens, ibi enim nihil ſolicitus de prima conſtitutione *graue nimis*, in quam ipſe non inciderat, ſed exiſtimans duas tantúm á Sixto editas, quæ ſunt in corpore iuris, alteram *cum praeexcelſa*, alteram *graue nimis*, contendit hanc non illam á Concilio confirmari, atque adeò non approbaſſe feſti celebrationem, neque indulgentias, quæ in conſtitutione *cum praeexcelſa* continentur. Id probat quia Concilium innouat conſtitutiones Sixti, & earum pœnas; At illa *cum praeexcelſa* nullam pœnam continet. Neque obſtat (inquit) quód Conciliũ dicat obſeruandas eſſe cõſtitutiones Sixti Quarti, ſeque illas innouare, quo minus aſſeramus poſteriorem illam *graue nimis* approbaſſe; quoniam hæc duas continet partes, quas Concilium conſtitutiones appellat; vnam qua prohibet Pontifex ſub grauibus pœnis, ne quis dicat eos peccare, aut hæreticos eſſe, qui aſſerunt Dei genitricem ab originali fuiſſe præſeruatam; alterã, qua damnat eos, qui auſi fuerint dicere aſſerentes B. Virginem in originali Conceptam eſſe, peccatum aut hæreſim incurrere, & has duas par- 19. *Vazquez*

tes Concilium vocauit conſtitutiones Sixti Quarti.

20. *Granado* Sed hanc Vaſquij explicationem, vt pote violentam meritó reijcit Iacobus Granado diſp. 3. cap. 7. ſect. 1. Concilium enim non conſtitutionem, ſed plurali voce *conſtitutiones* Sixti approbat, illa autem *graue nimis*, vnica eſt. Ergo præter hanc neceſſe eſt fateri aliam à Concilio confirmatam. Quod autem Vazquez explicat duas illius partes appellari à Concilio conſtitutiones, prorſus eſt a veritate alienum. Tum quia communiter Doctores illam extrauagantem referunt, vt vnam conſtitutionem; tum quia Sixtus ipſe in fine eam appellat ſingulari voce *Damnationem, ſtatutum, ordinationem, decretum*, quãuis duas partes contineat, & duas propoſitiones damnet, duo ſtatuat, ordinet, & decernat. Ordinatio autẽ ſtatutũ, conſtitutio, idem ſunt, vt ex eiuſdem Põtificis verbis, & vulgari formula conſtat: *Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis*. Denique quia Pius Quintus in motu *ſuper ſpeculam* de hac extrauaganti agens eam appellat *ſtatutum*, Paulus veró V. vbi ſupra *conſtitutionem*. Perperam ergo Vazquez, & contra ſtilum (vt vocant) conſtitutiones vult appellari, partes vnius conſtitutionis, quæ in eumdem finem, & ſub vno ſigillo, & diplomate expediuntur. Cum ergo Concilium Sixti

conſti-

Digitized by Google

conſtitutiones abſolutè confirmet, aliquam aliam præter *graue nimis* approbaſſe, dubitandũ non eſt.

Sed ecce idemmet Iacobus Granado, qui aduerſus Gabrielem Vazquez pro nobis pugnat, aliunde argumenti noſtri vim infringit, aliud etiam agens. Dicit enim duas tantùm eſſe Sixti conſtitutiones *cum praeexcelſa*, & *graue nimis*, & vtramque à Concilio approbatum iri. Quare vt includat extrauagantem *cum praeexcelſa* excludere videtur eam, de qua diſputamus. Cum autem obijcitur Concilium approbare conſtitutiones, in quibus pœnæ continentur, quæ tamen nullæ ſunt in extrauaganti *cum praeexcelſa*; reſpondet, vt Tridentinum veriſsime dixerit ſe innouare conſtitutiones ſub pœnis in eis contentis, ſatis eſſe in vna illarum contineri pœnas, & ſubdit exemplum: ſic enim quod ſanctus Thomas affirmat in prima parte ſuæ ſummæ, dicitur contineri in partibus S. Thomæ. Itaque per Synedochen propriſsimè dixit Concilium ſe innouare pœnas in conſtitutionibus Sixti Quarti contentas, quia in vna illarum continebantur. 21.

Sed certè qui Vaſquij explicationem violentam dixit, in aliam incidit violentiorem. Magis enim horret communis ſenſus in duobus contineri, quod in vno tantum continetur, quàm duas partes eiuſdem conſtitutionis appellari conſtitu- 22.

tiones. Plerumque enim nomen totius parti tribuitur, & partes vnius conſtitutionis maiorem cum ipſa communionem habent, quàm vna conſtitutio cum alia prorſus diuerſa, vt multò facilius poſsit nomen conſtitutionis partibus per Synedochen tribui, quàm affirmari contineri in conſtitutionibus, quod in vna tantùm reperitur. Cur ergo hæc Synedoche durior placuit ei, cui diſplicuit illa ſuauior? Accedit quód ſicut vox *conſtitutiones*, & vox *pœnæ* diuerſas conſtitutiones & pœnas arguit, ita vox *continentur* diuerſas (vt ita dicam) exigit continentias, vt quælibet conſtitutio contineat pœnam, alioquim non ſit verum pœnas in eis contineri.

Neque alicuius momenti eſt exemplum quo
23. vtitur hic author, rectè enim dicimus in partibus S. Thomæ contineri, quod ipſe in prima parte docuit, quia partes in hac locutione non ſumuntur diſtributiuè, ſed collectiué, quatenus vnum corpus conſtituunt. Quare non eſt opus de qualibet verificari, ſed ſufficit in altera contineri, perinde enim eſt dicere in partibus S. Thomæ, & in ſumma ſancti Thomæ; in ſumma autē rectè dicitur contineri, quod in aliqua eius parte continetur, nam quod in parte eſt, in toto eſt: at conſtitutiones Sixti non ſunt partes alicuius compoſiti, neque vnum quid ex eis conflatur,

ſed

ſed ſunt inter ſe prorſus diuerſæ, & vnaquæque perfectum quoddam opus, in genere conſtitutionis completum, & ab alia ſeiunctum, ſine aliquo ordine ad aliam tanquam partis ad compartem. Quare nullus eſt locus Synodoche, neque ratione huius poteſt dici in Sixti conſtitutionibus contineri, quod in vna tantúm continetur.

At inquis Sixtianæ conſtitutiones continentur in corpore iuris libro tertio extrauagantiũ communium, componuntque titulum *de reliquijs & veneratione ſanctorum*, qui eas ſingulis capitibus diſtinctas, tãquã duas partes, cõplectitur; ergo vnũ, quid efficiunt, atq; adeò in eis contineri dici poteſt, quòd in altera cõtinetur, ſicut de partibus D. Thomæ cõcedebamus. Reſpõdeo rectè dici poſſe in extrauagantibus communibus iuris contineri pœnas aduerſus eos, qui aſſerunt hæreſim eſſe aut peccatum affirmare Conceptionem Immaculatam, aut eius feſtum colere; in hac enim locutione vox *extrauagantes* ſumitur collectiuè, non diuiſiuè, atque idem eſt ac dicere libro tertio extrauagantium communium contineri eiuſmodi pœnas, ſicut de partibus Diui Thomæ dicebamus: at Concilium Tridentinũ non vtitur hac loquendi formula, non enim dicit ſe innouare pœnas in extrauagantibus communibus contentas, ſed in conſtitutionibus Sixti 24.

Quarti, atque adeò eas non accipit, vt ſunt vnũ in corpore iuris; ſed vt prodierunt á Sixto: hac autem ratione nõ efficiunt vnum corpus, de quo affirmetur hæc continentia; ſed diuiſiuè accipiuntur, ſicuti prodierunt, atque adeò non poteſt eſſe verum in eis contineri, quod in altera tãtùm continetur. Quare non eſt ad rem exemplũ quo vtitur Iacobus Granado.

25\. Multò minus conducit aliud ex conſtitutionibus S. Ignatij ab eodem authore adductum. Quod Beatus (inquit) Ignatius præcipit ſub excommunicationis pœna in octaua, vel nona parte conſtitutionum, dicitur præcipere ſub pœna cõtenta in ſuis conſtitutionibus, quæ decem partes habent. Hoc nihil ad rem, nam neque in hac loquendi formula aliqua eſt Synedoche, aut figurata locutio. Propriſsimè enim dicitur contineri in conſtitutionibus ſancti Ignatij cẽſuras, quæ in octaua, & nona earum parte continẽtur, ſiquidem octaua, & nona pars cõſtitutiones ſunt, neque ſenſus eſt in omnibus decem partibus contineri. Quare ſine vlla locutionis figura id propriè affirmatur. Quod ſi in vna tantùm parte, aut etiã conſtitutione cõtineretur excommunicatio; adhuc verum eſſet dicere in conſtitutionibus ſancti Ignatij contineri, tunc enim conſtitutiones collectiuè ſumuntur, atque perinde eſt, ac dicere

con-

contineri in libro conſtitutionum ſancti Ignatij. Nihil autem ſimile eſt in conſtitutionibus Sixti vt à Tridentino referuntur, vt iam oſtendimus, quare reijcienda prorſus eſt huius authoris explicatio, & neceſſario fatendum, aliam Sixti conſtitutionem præter illam *graue nimis* iuri inſertam cõfirmari á Tridentino, in qua pœnæ contineantur, videlicet eam de qua agimus, nulla enim alia reperitur, quæ pœnas contineat.

Et quidem mirandum eſt Iacobum Granado hoc non vidiſſe ſectione illa prima, qui ſectione tertia planè admittit hanc Sixti conſtitutionem de qua eſt diſputatio. Gratis ergo in anguſtias illius explicationis ſe redegit, qui tam facile potuit mentem Tridentini tueri iuxta planum, proprium, ſimplicem, imò neceſſarium verborum ſenſum, nempe Concilium agnouiſſe duas Sixti conſtitutiones eiuſdem initij *graue nimis*, & eas confirmaſſe. Sanè hic author non ſatis videtur pedem figere nam num: 19. vtramque conſtitutionem putat eandem, numero autem 20. & 21. diuerſas aſſerit, niſi dicamus (quod ſupra de Antonio Cordubenſi) putaſſe eandem, ſed auctam, & ſecundò editam, vt hac ratione vtrumque verum eſſe poſsit. Illud tandem addimus, quod vim noſtri argumenti plurimum auget, cum ante Cõcilium Tridentinum vtraque hæc conſtitutio in 26.

monumentis Ordinis Minorum,& alibi excuſa extet, dubitandum non eſſe, Theologos, qui Cõcilio interfuerunt, eas vidiſſe, & Patribus propoſuiſſe, cum de Conceptione B. Virginis actum eſt. Conſtat enim tunc longam de Conceptione inſtitutam eſſe diſputationẽ, ſummoſque Theologos pro ea coram patribus peroraſſe. Nam, & Iacobum Lainez Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem, & Summi Pontificis Theologum erudita oratione pro Immaculata declamaſſe memoriæ proditum eſt. Vnde tandem Concilium non eſſe ſuæ intentionis B. Virginem in decreto de peccato originali comprehendere, ſeſsione quinta declarauit. Quis autem credat fautores Immaculatæ reliquiſſe tunc lapidem aliquem immotum, aut non diligentiſsimè euoluiſſe antiquorum monumenta, vt nihil omiterent, quod cauſæ fauere poſſet? Has ergo Sixti conſtitutiones in medium produxerunt, quas Concilium agnitas decreto ſuo confirmauit.

27. Atque hinc tandem liquet ſententiam aſſerentem Eccleſiam Romanam de ſpirituali dumtaxat Conceptione, ſeu ſanctificatione feſtum celebrare, damnatam eſſe tanquam erroneam, non ſolum á Sixto Quarto, & Alexandro Sexto, ſed etiam à Concilio Tridentino. Quo circa Ægidius de præſentatione quæſtione illa 6. art. 1. §. 9

Ægidius Luſitan.

cum

cum retuliſſet hanc, & alias explicationes, ſubdit: *Quare opinio Caietani, & Medinæ, & aliorum, qui primam, ſecundam, & tertiam explicationem defendunt poſt præcitatam Sixti conſtitutionem ab omnibus eſt reprobanda vt falſa, erronea, & a veritate aliena, vt bene aduertit Cordubenſis in dicta quæſt. 44. pag. 360. col. 1 §. ſed contra. Nec contradiceret Bellomontanus ſi præcitatam conſtitutionem videret, & legeret. Vnde ſi Diuus Thomas, Ægidius, & cæteri poſt hanc Sixti conſtitutionē viuerent talem explicationem non probaſſent; quim potius idem facerent Caietanus, Medina, & alij ſi illam conſtitutionem legiſſent, vndè ab excommunicatione propter ignorantiam poſſunt excuſari. Puto tamen talem aſſertionem, aut delendam ab eorum libris, aut in margine annotandam fore. Quod iudicio Sedis Apoſtolicæ relinquo.* Hæc Ægidius. Similia ferè ſcribit Ferdinandus de Salazar cap. 33. num. 4. *ex quo decreto* (inquit) *apertè colligitur aſſertionem eorum, qui affirmant Eccleſiam celebrare ſpiritualem Conceptionem eſſe falſam, & erroneam (hac enim cenſura illam confixit Pontifex) & eos qui hodie poſt latam iſtam conſtitutionem in eodem dogmate perſeuerant, ab excommunicationis ſententia non aliter niſi per ignorationem liberari poſſe credo. Norint ergo illam, ne amplius ignorationem cauſari poſsint.* Franciſcus item de Pitigianis Minorita in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 5. eandem erroris notam inurit huic aſſertioni eadem Sixti conſtitutione nixus. *Salazar.*

Sed

28. *Ioannes à S. Tho.* Sed quidquid ſit de Caietano, & Medina, quem non male interpretatur Ioannes à S. Thoma, tom. 1. diſp. 2. de approbatione doctrinæ S. Thomæ, art. 2. §. *& ita*, vt non videatur omnino negare coli Conceptionem ipſam naturalem, quod etiam agnoſcit Ægidius ipſe quæſtione illa 6. art. 1. num. 8. non ſolum de Medina, ſed etiam de Caietano; tamen reliquos authores immerito refert pro ſola ſanctificatione, nã ſi eorũ verba expendantur, non negant coli Conceptionem naturalem, vt Bonauentura, Capreolus, & alij.

29. Illud tamen certum eſt doctrinam Diui Thomæ non damnari Sixtiano decreto. Non ſolúm quia 3. p. quæſt. 27. art. 2. non loquitur de feſto Romanæ Eccleſiæ, quod nondum erat inſtitutũ; ſed etiam (vt alia omittamus) quia ibi non loquitur de Conceptione ſumpta pro animatione, ſed pro formatione fœtus ante animationem; vt euidenter ex titulo ipſo articuli, & ex tertio argumento conuincitur. De Conceptione autem ante animationem veriſsimum eſt, quod dicit ſanctus Thomas, nõ eſſe ſanctam, atque adeò nõ coli. Idque etiam nos fatemur in feſto, quod celebrat Eccleſia Romana. Quare tota illa ſententia ſancti Doctoris propriſsimé accepta in hodierno feſto locum habet. Nempe quòd, quia

igno-

ignoratur, quo tempore ſanctificata fuerit Virgo, hoc eſt, quo tempore anima eius infuſſa fuerit corpori, & ſimul ſanctificata; celebratur feſtũ huius animationis, & ſanctificationis, octauo die Decembris, in quo eius Conceptio ideſt formatio fœtus in vtero cæpta eſt, licet hoc die non cõtigerit eius ſanctificatio, & præſeruatio ab originali, ſicut neque eius animatio, quæ aliquot poſt diebus facta eſt iuxta diuerſas medicorum ſentẽtias, vt animaduertit Vazquez diſp. 117. citata cap. 9. num. 107. Quod ſi cum Iacobo Granado diſp. 3. cap. 1. ſect. 2. mauis aſſerere (quod & ego probabilius iudico) ipſo die octauo Decembris, quo ſeminum commiſtio contigit, & cœptus eſt formari fœtus, infuſam etiam fuiſſe animam corpori, præcedente per aliquot horas organizatione; nihilominus verum eſt, quod docet Diuus Thomas, non celebrari Conceptionem, quæ præcedit animationem. Quare neque eius doctrina damnatur Sixtiana conſtitutione, neque quicquam fauet his, qui ſolam ſanctificationem coli dicunt excludentes animationem, atque adeò fruſtra eum pro ſua explicatione referunt (vide cap. 5. §. 18.) manet ergo ex dictis indubitatum Eccleſiam Romanam celebrare Conceptionem ipſam naturalem Virginis, perfectam videlicet, qua anima eius vnita eſt corpori.

Vazq. *Granad.*

Digitized by Google

ECCLESIA ROMANA COLIT Conceptionem naturalem Virginis, vt Immaculatam, & peccati originalis neſciam. Concilium Tridentinum approbat hunc ſenſum, & extrauagantem Sixti Quarti, cum præexcelſa.

CAPVT VIII.

1. QVÆ hactenus dicta ſunt abũdé ſufficiunt ad aſſerendum Marianæ Conceptioni titulum Immaculatæ. Si enim Eccleſia Romana non ſolam ſanctificationem Virginis, ſed eius naturalem Conceptionem, ſeu animationem colit, manifeſtum eſt eam colere, vt ſanctam hoc eſt beneficio gratiæ ab originali peccato liberam, atque adeò *Immaculatam*. Eccleſia enim non celebrat feſtum niſi de re ſancta, vt docet S. Thomas loco citato. Sed quoniam non deſunt, qui quamuis concedant Eccleſiam Romanam colere naturalem Virginis Conceptionem, adhuc contendant inde non colligi ab eadem Eccleſia celebrari, vt ſanctam; eorum explicationes, ſeu potius effugia in medium adducemus, & reijciemus. Deinde validiſsimis argumentis oſtendemus

mus Eccleſiam colere Conceptionem naturalem Virginis, vt ſanctam, & beneficio gratiæ á peccato præſeruatam. Igitur Bandellus preſus argumento, quod ex feſto deſumitur; neq; ſatis fidens effugio illi de ſpirituali Conceptione, quòd videret negari non poſſe ab Eccleſia celebrari naturalem; alia diuerticula quærit. Primum eſt celebrari Conceptionem ipſam, non quia fuerit ſancta, ſed relatiuè ad ſanctitatem mox futuram. Ita ſumpſit ex Capreolo, Paludano, Ioanne de Neapoli, ſancto Antonino, & alijs, quos refert Vazquez diſp. 117. cap. 5. ſecundum eſt celebrari ipſam Conceptionem in gratiarum actionem, & tanquam initium noſtræ reparationis. Ita authores citati, & Ægidius quodlibeto 6. quæſt. 20. Siluius 3. part. quæſt. 27. art. 2. qui etiam probat ex officio Eccleſiaſtico, in quo canitur: *Conceptio tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerſo mũdo, ex te enim ortus eſt Sol Iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, &c.* quibus verbis ſatis inſinuat Eccleſia cauſam, cur celebrat Conceptionem, nempe, quia Virgo futura erat Mater Dei, atque adeò eius Conceptio fuit bonum nuntium noſtræ ſalutis, quod verum eſt, etiam ſi fuerit in peccato originali peracta.

Bãdellus.

Vazquez.

2\. Sed vtraque ſolutio nihil iuuat aduerſarios. Non prima, quia ſi Conceptio celebratur, non

ratione præſentis ſanctitatis,ſed futuræ;non ipſa Conceptio,ſed futura ſanctitas celebratur:at Eccleſia ipſam Conceptionem colit, vt ipſi etiam fatentur,ergo vt actu coniunctam cum ſanctitate,alioquim colet rem peccato infectam,& Deo inuiſam. Relatio enim ad ſanctitatem futuram nõ tollit, quòd ipſa Cõceptio ſit actu maculata, atque adeò nõ tollit, quòd ſit indigna cultu.Maximè,quia illa ſanctitas futura nihil attinet ad ipſam Conceptionem,neque eam reddituta eſt ſanctam;adueniente enim ſanctitate iam non exiſtit Conceptio, quæ ſoli primo inſtanti correſpondet.Quare licet ipſa Virgo,dum concipitur,poſſit referri ad ſanctitatem,quam mox habebit;tamen ipſa Conceptio non poteſt ; cum iam non exiſtat,quando adeſt ſanctitas. Vnde relatio illa Cõceptionis ad ſanctitatem futuram fictitia eſt, & vana , neque ratione eius poteſt celebrari ipſa Conceptio.

3. Secunda etiam ſolutio, nullius eſt momenti. Eccleſia enim in hoc feſto non tantùm agit gratias Deo ob iacta fundamenta noſtræ reparationis, ſed ipſam Conceptionem veneratur , vt ex officio Eccleſiaſtico apertè conſtat. Alioquim feſtum non eſſet Conceptionis,ſed gratiarũ actionis;neque cultus aliquis deferretur Conceptioni,imò neq;ipſi Virgini,ſed ſoli Deo,qui vnus eſt

tanti i

tanti beneficij author,& cui ſolúm,non Virgini, grates referuntur:at Eccleſia Conceptionem ipſam colit,& de ea ſolemnitatem inſtituit,*Conceptionis* (inquit)*eius votiua ſolemnitas*,ergo ſanctitatem ipſius Conceptionis agnoſcit.

Denique vtraque ſolutio hac duplici ratione ſimul reijcitur. Prima eſt,ſi ad celebrandam Conceptionem ſufficit relatio ad futuram Virginis ſanctitatem,vel quód ea Conceptio quodammodo fuerit noſtræ reparationis initium, aut nuncium;eadem ratione poſſet affirmari hoc feſto celebrari hodie ab Eccleſia Conceptionem ſumptã pro formatione fœtus ante animationẽ. Hæc enim etiam refferri poteſt ad ſanctitatem futuram poſt animationem, eſt etiam nuncium noſtræ ſalutis,& appropinquantis reparationis humanæ,poſſuntque pro ea Deo grates refferri: at falſum eſt hanc Conceptionem celebrari ipſis etiam aduerſarijs fatentibus,& communi omniũ ſententia; ergo manifeſtum eſt Conceptionem celebrari ab Eccleſia non ob eas cauſas,ſed ratione ſanctitatis,cuius eſt capax ipſa animatio, & quæ conuenire non poteſt Conceptioni ante animationem. 4.

Secunda ratio,ſi ex feſto Conceptionis naturalis non rectè infertur celebrari ſanctitatẽ eius actualem,ſed ſolúm relatè ad ſanctitatem futu- 5.

ram, vel in gratiarum actionem, &c. Ergo ex feſto Natiuitatis Virginis non rectè probatur hāc Natiuitatem fuiſſe actu ſanctam, & cum gratia ſanctificante coniunctam, & Virginem non fuiſſe natam in peccato originali, nam ſimiliter quis diceret hanc Natiuitatem celebrari relatè ad ſanctitatem futuram, & vt initium noſtræ reparationis, & in gratiarum actionem: at hoc falſiſsimum eſſe nemo ignorat, ſanctus enim Bernardus S. Thomas, & alij Patres inde probant B. Virginem natam fuiſſe in gratia, quia Eccleſia eius Natiuitatem celebrat. Ergo, ſi qua eſt vis argumenti, idem etiam concludit in Conceptione. Sed de hoc iterum redibit ſermo capite ſequenti. Nunc alias impugnationes harum euaſionum omittimus, quia nil opus eſt eas euertere, vt conuincamus Libellatorem noſtrum, ipſe enim apertè eas reijcit cum Libello 2. num. 17. affirmat ab Eccleſia non coli niſi rem ſanctam. Quare ſat nobis eſt oſtendiſſe Eccleſiam Romanam celebrare naturalem Conceptionem Virginis, vt ipſe inficiari non poſsit celebrari, vt ſanctam, & à peccato immunem.

6. Sed hoc ipſum alijs deinde argumentis oſtendamus. Et quidem tria priora, quibus capite præcedenti num. 5. 6. & 7. oſtendimus Eccleſiam Romanam colere naturalem Conceptionem Virgi-

nis, æque probant coli illam vt ſanctam. Eccleſia enim Romana celebrat illud omnino feſtum quòd ante Sixtum Quartum celebrabant pleræque Eccleſiæ; at ex ipſarum Breuiarijs manifeſtiſſimum eſt celebraſſe Conceptionem Sanctam, & Immaculatam. Rurſum concionatores illi, qui hæreticos appellabant cultores feſti Conceptionis, & quos propterea damnat Sixtus Quartus, ea nota inurebant cultores Conceptionis Immaculatæ, vt euidentiſſimum eſt ex ipſa Sixti conſtitutione; horum autem audaciam ideò ægrè tulit Pontifex, quia hoc affirmabant, cum ſcirent ab Eccleſia Romana huiuſmodi feſtum coli, vt patet ex illis verbis: *Sanè cum ſancta Romana Eccleſia, &c.* Ergo manifeſtiſsimum eſt ſanctam Romanam Eccleſiam de Conceptione Immaculata feſtum celebrare; nam ſi alio ſenſu coleret, non erat cur Pontifex redditurus rationem iuſtæ animaduerſionis feſtum Romanæ Eccleſiæ ob oculos poneret. Denique qui nomine ſanctificationis in hoc feſto vtebantur, & cauebant á voce Conceptionis; ideò cauebant, quia ſub hoc titulo Cōceptionem Immaculatam celebrari nō dubitabant. Repetat lector, quæ loco citato expendimus.

Nunc alia argumenta adijciamus. Primum eſt, Eccleſia Romana colit in feſto Conceptionis, 7.

quod

quod authores ſententiæ negatiuæ defendunt in controuerſia de Conceptione; ſed hi defendunt Virginem ſine peccato originali fuiſſe conceptam, vt eſt manifeſtum; ergo Eccleſia Romana colit Conceptionem á peccato originali liberam. Maior probatur ex verbis Sixti Quarti in extrauaganti *graue nimis*, vbi ſic inquit: *Cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit; nonnulli, vt accepimus diuerſorum Ordinum prædicatores in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diuerſas Ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant omnes illos, qui tenent, aut aſſerunt eandem glorioſam, & Immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe Conceptā, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos.* Pergit deinde, & hanc, & alias concionatorum aſſertiones damnat, vt falſas, erroneas, & á veritate penitus alienas. Ex his verbis luce clarius eſt Eccleſiam Romanam in feſto Conceptionis colere illud ipſum, quòd defendunt, qui tenent Virginem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptā; alioquim perperam Pontifex ex feſto Romanæ Eccleſiæ argumētum ſumeret ad damnandos concionatores, qui hanc ſententiam hæreſis nota inurebant.

Sixtus Quartus.

8. Confirmatur, & declaratur amplius. Pontifex

dam-

damnat tanquam erroneas has propoſitiones: *Qui tenent Virginem abſque peccato originali conceptam mortaliter peccant, & ſunt hæretici: qui celebrant feſtum Immaculatæ Conceptionis, vel interſunt concionibus eorum, qui affirmant Virginem ſine macula Conceptam fuiſſe, peccant grauiter*. Fundamentum autem, cui innititur Pontifex ad hoc decernendum, eſt, quia Eccleſia Romana celebrat feſtum Cõceptionis. Atque hæc eſt ratio (vt vocãt) decidendi: *Cũ ſancta Romana Eccleſia, &c.* neque aliam in tota extrauaganti inuenies. Quare tota Sixti deciſio hoc ſilogiſmo fundatur, & continetur: *Erroneum eſt aſſerere hæreſim eſſe aut peccatum, tenere, aut colere quod Romana Eccleſia colit; ſed Eccleſia Romana colit Conceptionem Virginis à peccato originali immunem, ergo erroneũ eſt aſſerere, eos qui tenent Virginem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, aut qui Conceptionis Immaculatæ feſtum celebrant, hæreticos eſſe, aut mortaliter peccare*. Certè niſi minor ſilogiſmi propoſitio vera ſit, immeritò damnaſſet Sixtus tanquam erroneas illas propoſitiones eo nixus fundamento, quòd Eccleſia Romana feſtum Conceptionis celebrat, debuiſſetque aliam cauſam decernendi quærere. Cum ergo nullam aliã aſsignet, ſed vnica ſit feſtũ Romanæ Eccleſiæ; euidentiſsimũ eſt ex verbis, & mente Pontificis Eccleſiã Romanã celebrare Cõceptionẽ à peccato originali liberã

9. Quocirca animaduerſione dignũ eſt cum Sixtus in ea extrauaganti ſimili cenſura coerceat eos qui damnant hæreſis aſſertores Immaculatæ Conceptionis, & eos viciſsim, qui hæreticos appellant affirmantes Virginem in peccato originali conceptam, tamen vtriuſque deciſionis diuerſam ab eo reddi rationem, & cauſam, prioris nimirum: *Cum ſancta Eccleſia Romana feſtum Conceptionis celebret:* poſterioris vero *cum nondum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum,* vt expendimus cap. 5. §. 2. num. 16. & ſeqq. Quare ſicut erroneum eſt vtramque propoſitionem affirmare; ita erroneum eſt vtramque deciſionis cauſam negare. Qui enim negat fundamentum, quo vnice innititur Pontifex ad decidendum, negat vim, & valorem deciſionis, atque adeò quodammodo peius errat contra eius mentem, quàm qui propoſitionem ab eo damnatam affirmat. Vnde tandem fit, quòd ſicut erraret, qui diceret ſententiam affirmatiuã peccati originalis in Virgine damnatam eſſe ab Eccleſia Romana, quia apertè cõtradiceret Eccleſiæ declaranti id non eſſe damnatum; ita erraret, qui diceret Eccleſiam Romanã non colere Conceptionem Immaculatam, quia apertè reſiſtit Pontifici id aſſumenti tanquam rationem, & cauſam decernendi.

10. Secundum argumentum eſt; Eccleſia celebrat

feſtum Conceptionis in eo ſenſu, in quo Concilium Tridentinum ſentit celebrari, ſed Tridẽtinum ſentit celebrari ab Eccleſia Conceptionem á peccato originali præſeruatam, ergo hanc celebrat Eccleſia Romana. Maior per ſe nota eſt, minor oſtenditur, quia Tridentinum ſeſsione 5. decreto de peccato originali poſtquam declarat *Non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatã Virginem Mariam Dei genitricem*, ſubdit: *Sed obſeruãdas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Quarti ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.* Quibus verbis non ſolum confirmat feſtum Conceptionis á Sixto inſtitutum, ſed etiam ſentit hoc feſtum eſſe de Conceptione à peccato originali præſeruata, atque in hoc ſenſu à Sixto fuiſſe inſtitutum. Alioquim ineptè Concilium meminiſſet conſtitutionum Sixti, dum in decreto de peccato originali declarat non eſſe ſuæ intentionis comprehendere Virginem, nam ſi feſtum non eſt de Conceptione ab hoc peccato libera, nihil attinet ad declarationem, quæ in hoc decreto fit, neque aliquam cum ea connexionem habet. Mens ergo Concilij eſt ſe nõ cõprehendere in decreto de peccato originali Beatam Virginem quim potius confirmare feſtum de eius Immaculata Conceptione á Sixto inſtitutum, damnare

Concilii Trident.

etiam propoſitiones ab ipſo damnatas,& innoua re pœnas ab eo ſtatutas. Sanè dubitandum non eſt Concilium valde permotum fuiſſe ad hanc declarationem faciendam ex feſto Immaculatæ Conceptionis,quod videbat celebrari ab Eccleſia Romana ex Sixti inſtitutione. Ergo perſpicuum eſt Tridentinum ſenſiſſe feſtum Conceptionis,quod Eccleſia celebrat, eſſe de Conceptione immuni à peccato originali.

11. At inquis Concilium non meminit eiuſmodi feſti;neque illud confirmauit,aut approbauit,ſicut neque extrauagantem Sixti *cum praexcelſa*,in qua feſtum Conceptionis inſtituitur, ſed duntaxat conſtitutionem *graue nimis*, vbi Pontifex vtriuſque ſententiæ cenſores coercet, & pœnas eis infligit. Ita docuit Gabriel Vazquez tom.2. in 3.part.diſp.117.cap.5.num.33. & ſequentibus,probatque,quia Concilium confirmat cōſtitutiones Sixti,in quibus pœnæ continentur; ſed in extrauaganti *cum praexcelſa* nullæ decernuntur pœnæ;ergo hanc non approbat, atque adeó neque feſtum Conceptionis, quod in ea inſtituitur.

Vazquez.

12. Sed certè immeritò hic author ab approbatione Concilij excludit extrauagantem *cum praexcelſa*,& feſtum Conceptionis. Cum enim Tridentinum abſolutè,& indefinitè Sixti conſtitutiones

nes obſeruandas eſſe decernat, neque aliquam ex cipiat, non eſt cur nos hanc exceptionem faciamus, & excludamus extrauagantem *cum præexcelſa*, quæ in corpore iuris continetur, & prima eſt inter omnes de Conceptione editas, & valde concernens declarationi á Concilio factæ, quam abſque dubio feſto ipſo permotum adhibuit; vt ſupra dicebamus; eam ergo approbat, atque adeò feſtum in ea inſtitutum. Ita cenſent Salmeron (qui & ipſe Concilio interfuit) in cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos diſp. 52. Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium 8. Decembris. Iacobus Granado diſp. 3. cap. 7. & alij. Neque alicuius momẽti eſt, quod Vaſquius expendit; Concilium enim non dixit eas tantúm cõſtitutiones Sixti, in quibus pœnæ continentur, obſeruandas eſſe; ſed in primis abſolutè decernit *obſeruandas eſſe conſtitutiones Sixti Quarti*, & poſtea ſubdit: *Sub pœnis in eis conſtitutionibus contentis*, non dixit *in eis omnibus*, ſed *in eis*. Vt autem hoc verum ſit, non eſt opus, vt in omnibus conſtitutionibus, quas approbat, pœnæ contineantur; ſufficit in aliquibus contineri, vt manifeſtũ eſt. Iam autem oſtẽdimus capite præcedenti duas eſſe conſtitutiones Sixti, in quibus pœnas infligit.

Salmeron

Baronius

Granado

13. Sed age, demus Concilium non approbaſſe extrauagantem *cum præexcelſa*, adhuc negandum

non

non eſt confirmaſſe feſtum Conceptionis. Nam in extrauaganti *graue nimis*, quam nemo dubitat à Tridentino confirmatam (vt interim omittamus aliam conſtitutionem eiuſdem initij, de qua egimus capite præcedenti) non ſolum fit mentio feſti Conceptionis, quod Eccleſia Romana celebrat, & officij ſuper hoc ab eadem Eccleſia ordinati; ſed ipſum aſſumitur tanquam argumentum & ratio deciſionis, vt ſupra oſtendimus. Quare manifeſtum eſt feſtum ipſum, & officium approbari à Concilio, non ſolum quia approbat ipſam extrauagantem, atque adeo eius partes; ſed maxime quia confirmat cenſuram erroris, qua Pontifex inurit damnantes eos, qui feſtum Conceptionis celebrant, quæ cenſura feſto ab Eccleſia Romana celebrato innititur. Cum ergo deciſionem ipſam approbet, motiuum etiam, & fundamentũ deciſionis approbaſſe neceſſe eſt, nam ſublato feſto tollitur etiam deciſio. Ideò enim eſt erronea, & excommunicatione digna propoſitio affirmans hæreticos eſſe, qui celebrant feſtum Conceptionis, quia Eccleſia Romana eiuſmodi feſtũ celebrat. Ergo ſicut Concilium decernit obſeruandam eſſe hanc Sixti deciſionem, & hac nota, & pœna inurendos, & puniendos, qui id affirmauerint; decernit etiam obſeruandum eſſe feſtũ Conceptionis, quod Eccleſia Romana celebrat,

cu-

cuius celebrationis intuitu hæc nota,& pœna ſtatuta eſt à Sixto,& à Concilio confirmata. Luce ergo clarius eſt Tridentinum approbaſſe feſtum Conceptionis,etiam ſi demus non approbaſſe extrauagantem *cum præexcelſa*. Quare (quidquid ſit de indulgentijs) non debuit Vazquez negare cõfirmatum iri á Concilio feſtum Conceptionis, quod,quatenus eſt feſtum Eccleſiæ Romanæ,multò clarius, & expreſsius continetur in extrauaganti *graue nimis* à Tridentino (vt ipſe fatetur) confirmata;quam in extrauaganti *cum præexcelſa*, vt vtramque legenti patebit. Atque hinc tandem concluditur,quod in noſtro argumento aſſumebamus, Concilium Tridentinum ſenſiſſe Eccleſiam Romanam celebrare feſtum de Conceptione ab originali peccato libera, eo ipſo quòd approbat conſtitutionem Sixti,& eius deciſionem;quæ perperam inniteretur feſto Eccleſiæ Romanæ,niſi in eo coleretur Conceptio Sancta,& Immaculata.

14. Non eſt tamen ſilentio prætereundum Concilium Tridentinum non ſolum approbaſſe feſtum Conceptionis,ſed inter principaliora,& celeberrima totius anni cẽſuiſſe. Id perſpiciet lector,ſi animaduertat Concilij morem,& conſuetudinẽ indicendi, & celebrandi ſeſsiones. Perpetuò enim eis diem aſsignat ferijs quintis poſt aliquod

ex ſolēnioribus feſtis, aut diebus. Secundā enim indixit celebrandam poſt Epiphaniam, decimā-nonam poſt Aſcenſionem, quintam, & decimam poſt Pentecoſtem, vigeſimam poſt feſtum Corporis Chriſti, vigeſimamtertiam poſt octauam omnium Sanctorum, quartam poſt Dominicam *Lætare*, ſeptimam, & decimamoctauam poſt Dominicam primam, & ſecundam Quadrageſimæ, nonam poſt Dominicam in Albis. Eodem honore cumulauit feſta Beatiſsimæ Virginis, nam tertiam ſeſsionem indixit in quartum diem Februarij, nempe poſt Purificationem; vndecimam, vigeſimamſecundam, & vigeſimamquartam poſt Natiuitatem, decimamquartam poſt Præſentationem, vt ex harum ſeſsionum indictionibus conſtat. Neque hoc ſine magno conſilio à Synodo factum fuiſſe exiſtimandum eſt. Nempe opportunum iudicauit decreta ſua edere poſt celebratum egregium aliquod Eccleſiæ feſtum, aut diem ſolemnem, vt ipſa religioſa tantorum dierum ſolemnitate, cui Patres pijſsimè aſsiſtebant, diuinum Numen demererentur, ſeque ad rectè decernendum diſponerent.

15. Hæc cum ita ſint, notatu dignißimum eſt primam, & vltimam ſeſsionem conſecratas fuiſſe Conceptioni B. Virginis, nam primam habuit Concilium die 13. Decembris anni 1545. ante

quem

quem præcipua feſtiuitas præcedens fuit feſtum Conceptionis, & qui infra octauam eius cõtinetur, vltimam verò ſeſsionem, videlicet vigeſimã quintam indixit celebrandam *feria quinta poſt Conceptionem B. Mariæ Virginis*, vt cóſtat ex ſeſsione 24 in fine. Itaque non ſolum approbauit Tridentina Synodus feſtum Conceptionis, ſed etiam inter ſolemniora retulit, poſt quorũ celebritatem ſeſſiones ſuas voluit auſpicari. Imò verò quodãmo do feſtum Conceptionis alijs totius anni prætulit, quatenus hoc præ alijs elegit, vt ab eo initium ſeſsionum ſumeret, finemque eiſdem imponeret, itaque hoc feſtum fuit *Alpha, & Omega principium, & finis* Concilij. Et quamuis ſeſsionem vltimam ſequenti die poſt feſtum Conceptionis indixerit, nihilominus anticipatam habuit, nempe die tertia, & quarta Decembris, vt ex eadem conſtat; atque ita factum eſt, vt Concilij tempus intra feſta Conceptionis clauderetur, dum primã ſeſsionem quinta poſt Conceptionem die celebrauit, vltimam quinta ante Conceptionem.

Tertium denique argumentum ſit. Eccleſia Romana celebrat feſtum Conceptionis in eo ſenſu, quem præſefert officium ab eadem Eccleſia ordinatum, & ſuo Miſſali, & Breuiario inſertum, ſed in hoc officio apertiſsimè iterum atque iterum, & ſæpius appellatur Cõceptio Immaculata 16.

& præſeruata á peccato originali; ergo hanc colit Eccleſia Romana. Maior propoſitio per ſe nota eſt. Minor oſtenditur, quia officium, quod Eccleſia Romana primò inſtituit, & in ritus Romanos admiſsit, eſt illud quod compoſuit Leonardus de Nogarolis; in hoc autem ſæpius appellari Conceptionem Immaculatam, præſeruatam, & ab originali peccato immunem exploratum eſt. Et quidem hoc officium non ſolum ab Eccleſia Romana approbatum fuiſſe, ſed ſuo etiam Miſſali, & Breuiario inſertum; conſtat tum ex conſtitutionibus Sixti Quarti, tum ex Breuiarijs & Miſſalibus antiquis. Sixtus ipſe in extrauaganti *cum præexcelſa* teſtatur à Sede Apoſtolica emanaſſe inſtitutionem officij Nogarolici: *ſtatuimus* (inquit) *& ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexus, qui Miſſam, & officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ iuxta piam, deuotam & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronenſis, Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanauit Miſſæ, & officij huiuſmodi inſtitutionem in die feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, &c.* Ruſum in priori extrauaganti *graue nimis* de qua egimus cap. 7. loquens de quibuſdam concionatoribus, inquit: *Non ignari, quòd ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Con-*

Sixtus Quartus.

ceptio-

ceptione feſtum celebrat, & ſpeciale ac proprium officium ordinauit. Denique in poſteriori extrauaganti *graue nimis: cum ſancta* (inquit) *Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit.* Hoc autem officium nō eſſe aliud quam Nogarolis, de quo egerat in extrauaganti *cum præexcelſa*, ex ipſa manifeſtum eſt. Ibi enim teſtatur Pontifex á ſe emanaſſe eius inſtitutionem quæ vox (vt ſatis oſtendimus cap. 6.) non ſolam approbationem, ſed inſertionem officij in ritus Romanos ſignificat.

Sed ſupervacaneum eſt argumentis, aut coniecturis agere, cum hodie extēt multa Miſſalia, & Breuiaria Romana antiqua diuerſis annis, & locis excuſa, in quibus Miſſa, & officium Nogarolis legitur. Et quamuis pro diuerſitate temporū aliqua facta fuerit officij mutatio, aut correctio, & contractio; perſeuerant tamē in Breuiarijs præcipuæ illius officij partes, maximé illæ, in quibus Conceptio titulo *Immaculatæ, & præſeruatæ* condecoratur, et in Miſſalibus Miſſa ipſa paucíſsimis fortaſſe verbis in aliquo Miſſali demptis. Habemus in noſtra Bibliotheca Miſſale Romanum *optimè recognitum, & ad antiquorum Miſſalium ordinem redactum, Venetijs impreſſum in Officina hæredum Lucæ Antonij Iuntæ, anno Domini* 1559. vbi Miſſa Con- 17.

ceptionis eadem eſt, quæ in officio Nogarolis exceptis illis verbis ex hymno Gloria in excelſis Deo: *Quoniam tu ſolus Sanctus Mariam præſeruaſti, tu ſolus Dominus Mariam fabricaſti, tu ſolus Altiſsimus Mariam ſublimaſti*, quæ in prædicto noſtro Miſſali deſiderantur, cum tamen ſint in Miſſa Nogarolis, cætera conueniunt. Itaque Miſſa Nogarolis reperitur in omnibus Miſſalibus Romanis á tempore Sixti Quarti ad reformationem vſque à Pio Quinto factam, eaque vſa eſt Eccleſia Romana annis ferè centum.

18. Prolixum eſſet ſingula huius officij verba adducere, in quibus Conceptio dicitur *Immaculata, præſeruata, &c.* ſatis ſit orationem, quæ communis eſt officio, & Miſſæ, quæque in omnibus Miſſalibus, & Breuiarijs Romanis reperitur, in medium producere: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, concede quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem filij ſui præuiſſa eam ab omni labe præſeruaſti, ita nos quoque mundos eius interceſsione ad te peruenire concedas: Per eundem, &c.* Et in oratione ſecreta: *Vt ſicut ipſa tui gratia præueniente mundo hodie immunis apparuit, &c.* Luce ergo clarius eſt Eccleſiam Romanam ex propria mente, & ſenſu celebrare Conceptionem naturalem, & corporalem Virginis, vt gratia ſanctificante præuentam, Immaculatam, & ab originali la-

be

be immunem, atque adeò ab Eccleſiæ Romanæ mente, & ſenſu longè diſcedere, quicumque dixerit Conceptioni ipſi epithetum *Immaculatæ*, negandum eſſe.

ECCLESIA ROMANA EODEM prorſus ſenſu celebrat Marianam Conceptionem poſt reformationem Breuiarij à Pio Quinto factam, quo ante Pium, & à tempore Sixti Quarti celebrabat.

CAPVT IX.

ERIT fortaſſe, qui reſpondeat argumenta hactenus facta ſolúm probare Eccleſiam Romanam, dum vſa eſt officio à Sixto Quarto inſtituto, celebraſſe Conceptionem, vt Immaculatam, & à peccato originali immunem; non verò poſtquam Pius V. illud officium relegauit á Miſſali, & Breuiario Romano, & aliud, quod hodie perſeuerat, induxit. Hæc enim mutatio ſatis ſuperque oſtendit diuerſo ſenſu celebrari hoc feſtum, quàm antea celebrabatur, ideoque ca- 1.

uiſſe

uiſſe Pium Quintum, ne in nouo officio Conceptio ipſa, aut Immaculata diceretur, aut præſeruata, aut à peccato originali immunis. Quod ſi Pōtifex iudicaſſet retinendum eſſe ſenſum antiquum, non erat cur mutaret officium; vel certe ſi ob alias cauſas mutandum eſſet, eiſdem ſaltem epithetis inſigniret Conceptionem, quibus antiquitus decorabatur. Cum ergo in nouo officio tā altum ſilentium ſit de huiuſmodi vocibus, neq; aliqua ſit, quæ præſeruationem à peccato originali ſignificet; manifeſtum eſt cenſuiſſe Pium nō eſſe retinendum priſtinum ſenſum, ſed ſecundū illum tutiſsimum de ſanctificatione á tempore abſtrahente, quæ indubitata eſt, celebrandam eſſe hanc feſtiuitatem.

2. Neque verò in hac mutatione vllum eſt leuitatis periculum, cum enim res non pertineat ad fidem, ſed ad opinionem probabilem, & Eccleſia ipſa, cum celebrabat Conceptionem Immaculatam, declarauit non propterea eam diffinire; liberam ſibi reliquit facultatem mutandi ſenſum, cū opportunū videretur. Maximè cum mutatio nō ſit in ſenſum contrarium, ſed in abſtrahentem ab illa circunſtantia primi inſtantis, atque adeò compatibilem cum ſenſu priori. Prætерea potuit Eccleſia mutare officium Conceptionis, & relicto priori quo vtebatur, nouum inſtituere, ſicut re

ipſa

ipſa præſtitit; Potuit etiam omnino tollere feſtũ Conceptionis, ſicut idem Pius Quintus ſubſtulit feſtum Præſentationis, quod Sixtus Quartus inſtituerat; ergo multo magis potuit mutare ſenſum, & celebrare Conceptionem ſub alio, maximè non contrario; maius enim quid eſt feſtum omnino tollere, aut reſeruato feſto mutare officium; quàm mutare ſenſum, ſub quo celebrabatur. Pius ergo Quintus qui feſtum Præſentationis á Sixto inſtitutum de medio ſubſtulit, qui officium Conceptionis ab eodem Sixto introductum, etiam abſtulit, & nouum induxit; cum antiquo officio mutauit ſenſum antiquum, & cũ nouo induxit nouum, quin inde, aut leuitatis, aut inconſtantiæ argui poſsit Sedes Apoſtolica. Vnde tandem fit nullum poſſe deſumi argumentum pro tuendo titulo *Immaculatæ* ex feſto, quod Eccleſia Romana ante Pium Quintum celebrabat. Cum enim hodie eadem Eccleſia non celebret Conceptionem, vt Immaculatam, iure poteſt prohibere nequis eo titulo ornet Conceptionem, quem ipſa Eccleſia iam non tribuit.

Denique hoc ipſum ex doctrina Diui Thomæ licet confirmare, qui quodlibeto 6. art. 7. ita ſcribit: *Romana Eccleſia, & plurimæ aliæ conſiderantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuiſſe, feſtũ* 3. *D. Tho.*

Conceptionis non celebrant. Ecce, teſte Diuo Thoma, Romana Eccleſia olim putabat Conceptionem Virginis factam fuiſſe in peccato originali; & tamen ab hoc ſenſu ſeu conſideratione receſsit tẽpore Sixti Quarti inſtituens videlicet feſtum, & officium Conceptionis Immaculatæ. Atque hãc mutationem agnoſcit Doctiſsimus Ioannes á S. Thoma, tom. 1. in primam partem diſp. 2. de doctrina D. Thomæ art. 2. §. *hoc puncto*, & ſequentibus; vbi verſans hunc locum ex quodlibeto ſexto affirmat tempore S. Thomæ Eccleſiam Romanam ſenſiſſe pro ſententia affirmatiua, toleraſſe verò negatiuã, & ideó illam appellat *aſſertam* ab Eccleſia, hanc verò *toleratam*; at poſtquam Eccleſia Romana celebrat feſtum Conceptionis *loquendo in vi doctrinæ Diui Thomæ opportet vice verſa de his ſententijs cenſere, & D. Thomas ſic cenſeret.* Hæc ille. Mutauit ergo Eccleſia Romana antiquam mentem ſub Sixto Quarto; quodſi id fecit, eodem iure potuit ſub Pio Quinto à ſenſu Immaculatæ recedere, & alium indifferentem, & vtrique ſententiæ communem amplecti, abrogans illud officiũ, quod determinatè ſenſum negatiuæ exprimebat; hocq; facilius factu fuit, cũ non in ſenſum contrarium, ſicut tempore Sixti, ſed in indifferentem, & ab vtroq; abſtrahentem ſit hæc mutatio. Vnde tandem fit ex officio

Ioann. à S. Thom.

Digitized by Google

hodierno nullum poſſe deſumi argumentum pro titulo Immaculatæ.

Hanc ſolutionem ita explicatam apud nemi- 4.
nem legi, fortaſſe nullus auſus eſt tam palám affirmare Eccleſiam Romanam á ſuo antiquo ſenſu, & mente receſsiſſe. Sed placuit rem expēdere, & quidquid roboris habet in medium producere, vt aduerſarij videant, nihil nos, quod eorum cauſam iuuare poſsit, omittere, neque illud etiam quod ipſi non audent apertius confiteri. Sed quā uis non ita claré, videntur tamen rem in animo habuiſſe Medina, & Siluius locis citatis. Cum enim pro ſententia defendente Conceptionem Immaculatam argumentum feciſſent ex feſto Cōceptionis, quod Eccleſia celebrat; reſpondent ex Breuiario Romano reformato expunctum eſſe illud officium, in quo Conceptio *Immaculata*, aut *Præſeruata* dicebatur. Quæ quidem ſolutio nullius momenti eſt, niſi cum illa officij mutatione Eccleſia Romana mentem etiam, & ſenſum mutauerit. Nam ſi eundem prorſus retinet, nihil intereſt officij mutatio ad rem præſentem, ſi quidem nunc, ſicut antea, celebrat Eccleſia Conceptionem tanquam Immaculatam.

Sed, quidquid ſit de mente horum authorum, 5.
omnino aſſerendum eſt Eccleſiam Romanam eodem prorſus ſenſu celebrare Conceptionem poſt

reformationem à Pio Quinto factam, quo ante ipſum,& à tempore Sixti Quarti celebrauerat. Quare cum euidens ſit ex dictis coluiſſe Conceptionem Immaculatam,& à peccato originali liberam; eandem nunc venerari fatendum eſt. Id manifeſtis argumentis conuincemus deſumptis ex ipſo officio Pij Quinti,& eius motu proprio. Sed,antequam ea proponamus, operæprætium eſt animaduertere cauſas,quibus permotus Pontifex officium illud Nogarolis ſuſtulit è Breuiario Romano,quas etiam tetigimus cap. 5. num. 49.id quidem præſtitit, non quia iudicaret non eſſe colendam Conceptionem Immaculatam, aut non eſſe decorandam hoc titulo (hoc enim quid aliud eſſet,quam reprobare factum Sedis Apoſtolicæ,& tot Summorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum?) ſed ob iuſtas cauſas longè diuerſas,& huic venerationi non contrarias. In primis enim officium Nogarolicum varie á diuerſis recitabatur,prout cuique libuerat,aut cõtrahere, aut immutare. Præterea habebat admixtas ſententias aliquorum Doctorum, quos Eccleſia Romana ſacræ,& ſolemni lectioni non admittit,vt Origenis,& Ricardi Victorini,homiliam etiam fortaſſe ab ipſo Leonardo compoſitam,certè nouam, & ſine authore. Rurſum lectiones nocturnorum non erant iuxta normam

Ro-

Romanam ordinatæ, Eccleſia enim Romana conſueuit lectiones primi nocturni deſumere ex ſacra ſcriptura, ſecundi ex aliquo ſanctorum Patrum, tertij (prælibatis prioribus Euangelij verbis) ex homilia, aut commentario alicuius ſancti in ipſum Euāgelium. Hæc autem longè ſe habent in officio Leonardi, qui primi, & ſecundi Nocturni lectiones, ex Doctorum, & Patrum ſententijs contexuit, verſiculos etiam neſcio quos poſt ſingulos Pſalmos ad Matutinum præter Antiphonas addidit, vt meritò Pius, qui ex præſcripto Concilij Tridentini Miſſale, & Breuiarium reformandum, & ad antiquam formam redigendum ſuſcepit, ab officio illo Nogarolico abſtinuerit.

Sed præcipua cauſa fuit, quòd pijſsimus ille, & Sanctiſsimus Pontifex conſultius iudicauit, & glorioſius ipſi Conceptioni Virginis (cui fuit addictiſsimus) eam non alio officio quàm Natiuitatis colere mutato duntaxat nomine Natiuitatis in Conceptionis. Primùm, quia hoc officiū antiquitate præſtat Nogarolico, deinde, quia ita diuinitus reuelatum eſt Abbati illi Heluino, aut Helſino, cui, cum iam iam penè fluctibus mergeretur, apparuit venerabilis quidam ſenex Pontificali habitu, eūque admonuit, vt ſi periculū euadere vellet, promitteret celebraturum ſe Virgi- 6.

nis Conceptionẽ. Cum autem ipſe ſciſcitaretur quo officio Eccleſiaſtico id præſtãdum eſſet, reſpondit Cœleſtis ille nuncius: *Omne officium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in Conceptione, excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis.* Ita refert ſanctus Anſelmus in Epiſtola ad Epiſcopos Angliæ. Pius ergo V. obſequutus diuino reſponſo officium Natiuitatis in Conceptione recitãdum eſſe decreuit. Denique optimo conſilio id fecit Pontifex propter cognationem & connexionẽ vtriuſque feſti, tũ quia Cõceptio Natiuitatis etiã nomine gaudet, ita enim eã appellant frequenter ſcholaſtici, qui duas Natiuitates agnoſcũt, alteram in vtero, alteram ex vtero, quibus conſonat ſanctus Ildefonſus, qui non ſemel Conceptionem appellat *Natiuitatem inchoatam*; tum etiam, quia inde ſancta eſt Natiuitas, vnde Conceptio, nempe ex gratia ſanctificanti in primo inſtanti Conceptionis Virgini infuſſa. *S. Anſelmus.*

7. Atque hinc iam licet firmiſsima argumenta depromere, quibus oſtendamus Eccleſiam Romanam poſt reformationem Pij Quinti eodem prorſus ſenſu, & mente colere Conceptionem, qua ante Pium, nempè Conceptionem naturalem Virginis beneficio gratiæ ſanctam, & Immaculatam. Primum ſuppeditat officium ipſum

quo

quo ex præſcripto Pij hodie vtimur: Eccleſia Romana eodem ſenſu colit Conceptionem Virginis, quo eius Natiuitatem: ſed celebrat Natiuitatem naturalem, & corporalem, vt beneficio gratiæ ſanctam, & Immaculatã; ergo hoc etiam ſenſu celebrat Conceptionem. Conſequentia optima eſt, minor certiſsima. Maior oſtenditur, quia idem prorſus officium agit Eccleſia de Conceptione, & de Natiuitate, eiſdem epithetis vtramque ornat, eiſdem laudibus extollit, nullo diſcrimine. Quare ſicut ex officio ipſo Natiuitatis liquidum eſt celebrari ipſam Natiuitatem corporalem, vt ſanctam, ita idem liquet de Conceptione ex officio Conceptionis.

Secundum argumentum ex eodem officio ſpecialiter probat celebrari ipſam Conceptionẽ naturalem, ita enim habet primum reſponſoriũ: *Hodie Concepta eſt Beata Virgo Maria ex progenie Dauid.* Quartum verò: *Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, orta de Tribu Iuda clara ex Stirpe Dauid*, & idem repetit prima Antiphona ad Veſperas, & Laudes. Cum audis *Concepta ex progenie Dauid*, &, *Conceptio ex ſemine Abrahæ*, quid niſi naturalem Conceptionem audis? Nam de ſpirituali accipere abſurdum eſſet. An ex ſemine Abrahæ, aut ex progenie Dauid propagata eſt gratia ſanctificans, qua Virgo ſpiritualiter eſt 8.

Con-

Concepta? Cum ergo Conceptio dicatur *ex ſemine Abrahæ*, euidentiſsimum eſt de Conceptione corporali ſermonem eſſe. Quare ſicut in officio Natiuitatis illa verba: *hodie nata eſt Beata Virgo Maria ex progenie Dauid*; & illa: *Natiuitas glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ*, *&c.* probant eo feſto celebrari natiuitatem ipſam corporalem, & naturalem, ita eadem verba in officio Conceptionis idem probant de Conceptione. Et ſicut erraret contra mentem Eccleſiæ, qui diceret in feſto Natiuitatis nõ coli naturalem ipſam Natiuitatem, ſed ſpiritualem, quà Virgo per gratiam nata eſt ad ſupernaturalem vitam; ita etiam errabit contra eandem mentem, qui dixerit in feſto Conceptionis non coli ipſam naturalem Conceptionem Virginis, ſed ſanctificationem duntaxat, cum enim eadem prorſus ſint verba vtrobique, pari iure eandem explicationem, aut admittunt, aut reſpuunt.

9. Tertium argumentum ex eodem feſto deſumptum probat Conceptionem naturalem Virginis celebrari ab Eccleſia Romana, vt ſanctam, & in illo primo inſtanti gratia præuentam, atque adeo Immaculatam, & à peccato originali immunem. Ita enim habet antiphona ad Magnificat in primis veſperis, & tertium reſponſorium primi Nocturni: *Glorioſæ Virginis Mariæ Conceptio-*

nem digniſsimam recolamus. Digniſsimam videlicet Matri Dei, digniſsimam cultu, & veneratione. At Conceptio originali peccato conſpurcata indigniſsima eſt ſacro cultu. Sed clarius reſpōſorio octauo. *Sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.* Ecce pleno ore Eccleſia *Sanctam* vocat Cōceptionem. Quid ni Immaculatam ſentiat? An ſimul potuit eſſe Sancta, & peccato maculata? Immaculata ergo neceſſariò fuit, quæ Sancta fuit. Nam diſcrimen illud, quod acutiſsimus Libellator noſter ſomniauit inter has voces *Sancta, & Immaculata,* cum tribuuntur Conceptioni, ſatis exploſsimus cap. 5. §. 19. 20. & 21. quos integros repetat lector, multa inueniet, quibus hæc eadem veritas confirmatur. Nunc ex collatione cum Natiuitate expendenda vis argumenti eſt, ſicut enim in officio Natiuitatis illa verba: *Ortū dignißimum recolamus,* & illa: *quicumque celebrant tuam ſanctam Natiuitatem* probant Natiuitatem fuiſſe actu ſanctam, & excludunt ſenſum de ſanctitate futura; Ita idem conuincunt de Conceptione in officio Conceptionis. Et ſicut erraret contra mentem Eccleſiæ, qui diceret in feſto Natiuitatis non coli Natiuitatem ratione ſanctitatis, quam Virgo haberet cum nata eſt, ſed quia mox erat ſanctificanda; ita etiam errabit contra eandem Eccleſiæ mentē,

qui dixerit in feſto Conceptionis non celebrari ipſam Conceptionem ratione ſanctitatis, quam Virgo habuerit in ipſo primo inſtanti, quo Concepta eſt; ſed relatè ad ſanctitatem futuram, quia mox erat ſanctificanda. Nam vt ſupra argumentabamur, eandem vim habent verba in Conceptione, & in Natiuitate.

10. Hinc iam licet affirmare Pium Quintum dũ in reformatione Breuiarij pro officio Nogarolico ſubſtituit officium Natiuitatis mutato nomine, impenſius fauiſſe Marianæ Conceptioni, quã ſi Nogarolicum retinuiſſet. Quod enim in eo dicebatur Conceptio *Immaculata præſeruata*, & à peccato originali immunis (quæ voces in officio Pij deſiderantur) ſat is ſuperque rependitur, cum eadem Conceptio *Digniſſima* dicitur, & *Sancta*, imò cum fœnore; nam vox *Sancta* Conceptioni tributa nobilius ſignificat præſeruationem, & immunitatem á peccato, quam vox *Immaculata*. Illa enim exprimit effectum primarium gratiæ, hæc ſecundarium (vide quæ diximus cap. 5. num. 127.) Itaque hac parte nihil decreuit gloria Cõceptionis: at aliunde magnopere aucta eſt, & ſtabilita, tum, quia officium Natiuitatis antiquius eſt, grauius, vniuerſalius, & (vt ita dicam) magis Romanum; tum quia dum Pontifex eodem officio coli vult Conceptionem, & Natiuitatem,

æquat Natiuitati Conceptionem, vt eodem honore vtraque digna cenſenda ſit. Quod adeò verum eſt, vt quantum eſt præciſè ex feſto, tam efficax pro immunitate Conceptionis argumentum ex eo deſumatur, quàm deſumitur pro ſanctitate Natiuitatis. Et quamuis ex officio Nogarolico efficax etiam pro Conceptione argumentum conficiatur, excedit tamen argumentũ deſumptum ex officio Pij, quòd illud ex vniuerſali ratione feſti ab Eccleſia celebrati procedit; hoc verò ex ſpeciali ratione ipſius officij natiuitatis. Itaque illud ex officio Nogarolico ſimile eſt argumento, quod ex officio Natiuitatis deſumitur; hoc nõ ſimile, ſed idem: quia ex eodem prorſus officio, & eiſdem omnino verbis ſumit vires ſuas. Quare ſuppoſita inſtitutione Pij Quinti eadem prorſus eſt ratio de ſanctitate Conceptionis, & Natiuitatis quatenus ex feſto deducitur, & officio innititur; quamuis aliunde diſcrimen ſit inter Natiuitatem, & Conceptionem, quód de illius ſanctitate non ſinit Eccleſia aliter ſentire, de Conceptione ſinit. Nihilominus æquè certum eſt Eccleſiam Romanam celebrare Conceptionem Immaculatam, quám eſt certum celebrare Natiuitatem ſanctam. Cum enim certitudo hæc celebritatis, quæ ad factum (vt inquiunt) pertinet, ex ipſo feſto deſumatúr; eadem prorſus

qui dixerit in feſto Conceptionis non celebrari ipſam Conceptionem ratione ſanctitatis, quam Virgo habuerit in ipſo primo inſtanti, quo Concepta eſt; ſed relatè ad ſanctitatem futuram, quia mox erat ſanctificanda. Nam vt ſupra argumentabamur, eandem vim habent verba in Conceptione, & in Natiuitate.

Hinc iam licet affirmare Pium Quintum dũ
10. in reformatione Breuiarij pro officio Nogarolico ſubſtituit officium Natiuitatis mutato nomine, impenſius fauiſſe Marianæ Conceptioni, quã ſi Nogarolicum retinuiſſet. Quod enim in eo dicebatur Conceptio *Immaculata, præſeruata*, & à peccato originali immunis (quæ voces in officio Pij deſiderantur) ſatis ſuperque rependitur, cum eadem Conceptio *Digniſſima* dicitur, & *Sancta*, imò cum fœnore; nam vox *Sancta* Conceptioni tributa nobilius ſignificat præſeruationem, & immunitatem à peccato, quam vox *Immaculata*. Illa enim exprimit effectum primarium gratiæ, hæc ſecundarium (vide quæ diximus cap. 5. num. 127.) Itaque hac parte nihil decreuit gloria Cõceptionis: at aliunde magnopere aucta eſt, & ſtabilita, tum, quia officium Natiuitatis antiquius eſt, grauius, vniuerſalius, & (vt ita dicam) magis Romanum; tum quia dum Pontifex eodem officio coli vult Conceptionem, & Natiuitatem,

æquat Natiuitati Conceptionem, vt eodem honore vtraque digna cenſenda ſit. Quod adeò verum eſt, vt quantum eſt præcisè ex feſto, tam efficax pro immunitate Conceptionis argumentum ex eo deſumatur, quàm deſumitur pro ſanctitate Natiuitatis. Et quamuis ex officio Nogarolico efficax etiam pro Conceptione argumentum conficiatur, excedit tamen argumentũ deſumptum ex officio Pij, quòd illud ex vniuerſali ratione feſti ab Eccleſia celebrati procedit; hoc verò ex ſpeciali ratione ipſius officij natiuitatis. Itaque illud ex officio Nogarolico ſimile eſt argumento, quod ex officio Natiuitatis deſumitur; hoc nõ ſimile, ſed idem: quia ex eodem prorſus officio, & eiſdem omnino verbis ſumit vires ſuas. Quare ſuppoſita inſtitutione Pij Quinti eadem prorſus eſt ratio de ſanctitate Conceptionis, & Natiuitatis quatenus ex feſto deducitur, & officio innititur; quamuis aliunde diſcrimen ſit inter Natiuitatem, & Conceptionem, quód de illius ſanctitate non ſinit Eccleſia aliter ſentire, de Conceptione ſinit. Nihilominus æquè certum eſt Eccleſiam Romanam celebrare Conceptionem Immaculatam, quám eſt certum celebrare Natiuitatem ſanctam. Cum enim certitudo hæc celebritatis, quæ ad factum (vt inquiunt) pertinet, ex ipſo feſto deſumatúr; eadem prorſus

eſt vtrobique, quia eidem officio, & iiſdem omnino verbis innititur.

11 Neque prætermittendum eſt, quód illis verbis ex officio Pij, quæ ſupra expendimus, quaſi vno ictu iugulantur omnes illæ explicationes, quibus aduerſarij conantur oſtendere, aut Eccleſiam non colere Conceptionem ipſam naturalem, aut certè non vt actu ſanctam, de quibus egimus præcedentibus capitibus. Cum enim Eccleſia canit Virginem *Conceptam ex progenie Dauid, & Conceptionem ex ſemine Abrahæ*, manifeſtè excludit interpretationem de ſola Conceptione ſpirituali. Cum veró Conceptionem Virginis profitetur *Sanctã*, prorſus eliminat interpretationem de ſola gratiarum actione, aut bono nuncio reparationis humanæ, necnon effugium illud de relatione ad ſanctitatem futuram, oſtenditque non minus excludenda eſſe hæc commenta à Conceptione, quam à Natiuitate. Atque huc reſpexiſſe crediderim Pium ipſum V. in motu proprio *ſuper ſpeculam*, edito anno 1570. duobus videlicet poſt reformationem Breuiarij, vbi damnans aliquorum circa Conceptionem Virginis liberiores, & pertinaces contentiones (quæ fortaſſe occaſione reformati officij recruduerant:) *Languent* (inquit) *circa quæſtiones, & pugnas verborum*, notans videlicet eos, qui apertiſsima verba in alienos ſenſus de-

Pius V.

torquent, vt ſuam ſententiam defendant, & argumentum, quod ex feſto Conceptionis deſumitur, eludant. Sané qui Immaculatam defendunt, nihil aliud optant, quam vt verba Eccleſiæ ſimpliciter, & proprie accipiantur, tam in officio Nogarolis, & Pij, quám in Summorum Pontificum diplomatibus; at, qui contra ſentiunt, plurimum laborant, vt varijs explicationibus à proprio, & plano verborum ſenſu diſcedant. Atque hoc eſt *languere* circa quæſtiones, & pugnas verborum. Meritò ergo eos perſtringit Pius, quorum etiam languidos conatus omnino interclusit, dum in feſto Conceptionis officium ipſum Natiuitatis recitari præcepit. Hæc omnia, quæ hactenus diximus, præſtitit hic Pijſsimus Pōtifex Conceptioni Marianæ, dum expuncto officio Nogarolico induxit Breuiario Romano officium Natiuitatis mutato nomine. Addidit inſuper præceptum de celebrando hoc feſto in vniuerſa Eccleſia, quod nullus Prædeceſſorum fecerat. Itaque iure optimo affirmabimus impenſius fauiſſe Conceptioni Pium Quintum, quám Sixtum Quartum.

Ex dictis diſcant iam aduerſarij, qui (quaſi aliquid magnum pro ſe afferant) expunctum fuiſſe 12.
à Breuiario Romano officium Nogarolicum toties ingeminant, ſe nihil proficere, imo nouos

ſibi laqueos nectere. Tantúm enim abeſt, vt hac mutatione officij, mutauerit Eccleſia Romana mentem ſuam, & ſenſum circa Immaculatam Conceptionem, vt potius eam amplius firmauerit, & ſtabilierit, vt ſatis oſtēdimus. Diſcant etiā nullius momenti eſſe; quæ ſupra num. 1. & 2. allata ſunt. Neque enim Pius ideò non addidit in nouo officio voces *Immaculata præſeruata, &c.* quia cenſuerit mutandum fuiſſe priſtinum ſenſum, aut Conceptionem non eſſe tanquam Immaculatam colendam, quî enim id putaſſet, qui eam *Dignißimam, & Sanctam* dicit, quæ vox (vt ſupra dicebamus) nobilius ſignificat præſeruationem, quā vox *Immaculata*? Sed quoniam cum decorare Cōceptionem tanto honore voluerit, vt eodem prorſus ſolemni officio, quo Natiuitas, celebrandam duxerit; nullæ aliæ voces vſurpandæ fuerunt, quā illæ, quæ in officio Natiuitatis reperiuntur. Sanè ſi Natiuitas in officio diceretur Immaculata, & hanc vocem Pius inuidiſſet Conceptioni, robur haberet argumentum: Sed cum in officio Natiuitatis ea vox deſideretur, quæ dialectica eſt ex huius vocis abſentia contra Conceptionem argumentari? Iudicent aduerſarij an liceat aſſerere Natiuitatem non fuiſſe Immaculatam, quia eo epitheto non ornatur in officio Eccleſiaſtico? Quod ſi eam argumentandi rationem ineptam

fate-

fatebuntur, agnoſcant idem in Conceptione.

Quod vero num. 2. additur de poteſtate, quā habet Eccleſia mutandi mentem, in his quæ ad fidem non pertinent; nihil ad nos attinet, cum oſtenderimus in feſto Conceptionis non mutaſſe, ſed confirmaſſe amplius antiquam. Quamuis non eſt omittēdum perperam ex facultate mutādi officium, aut tollendi feſtum, ſumi argumentum ad facultatem mutandi ſenſum, & mentem in feſto, quod retinetur; cum longè diuerſa ratio ſit. Mutatio enim officij fieri poteſt in variato obiecto, quod colitur, & ratione, & mente, qua colitur, atque ita contigit in feſto Conceptionis. Nihil autem refert ad ſubſtātiam cultus, & motiui eius, his aut illis verbis vti, ſi eadem perſeueret. Rurſus ablatio feſti compati poteſt cum iudicio, quod ſemel Eccleſia fecit de ſanctitate rei cultæ. Sicut enim quamuis Eccleſia de multis ſanctis feſtum, & officium non inſtituerit, non propterea cenſet eos indignos hoc honore; ita ſi feſtum ſemel inſtitutum tollat, non propterea recedit à iudicio, quod fecerat, de rei cultæ dignitate, ſed eo immoto vtitur ſua libertate inſtituendi feſta, aut tollendi, provt expediens, & opportunū iudicauerit. Hæc enim practica ſunt, & reſpiciunt diuerſas temporum circunſtantias, & alias cauſas occurrentes. At ſenſus ſub quo 13.

feſtum

feſtum celebratur, pertinet ad iudicium ſpeculatiuum de veritate, & dignitate rei cultæ. Huius autem iudicij mutatio indigna eſt grauitate, cõſtantia, & ſapientia Sedis Apoſtolicæ; eſt enim reprobatio prioris ſenſus, qui ideò deſeritur, quia falſus, & à veritate alienus putatur. Potuit ergo Pius Quintus feſtum Conceptionis de medio tollere, ſicut ſubſtulit Præſentationis; at retento Conceptionis feſto, non potuit mutare ſenſum, quo eam celebrabat Eccleſia Romana. Hoc enim eſſet damnare eiuſdem Eccleſiæ mentem, tanquam in obiecto, & motiuo ſacri cultus aberrauerit.

14. Neque alicuius momenti eſt, quod illo numero ſecundo obijciebatur Conceptionem Immaculatam non pertinere ad fidem, ſed ad opinionem; atque adeò potuiſſe Eccleſiam, quæ Immaculatam Conceptionem celebrabat, mutare ſenſum, & ſub alia ratione colere. Inprimis enim reſponderi poſſet hanc veritatem, quamuis de fide non ſit, quia nondum Eccleſia eam definiuit, tamen poſtquam eadem Eccleſia illam ſolemni cultu proſequitur, exceſsiſſe ſtatum opinionis eſſeque adeò certam, vt à parte rei non poſsit eſſe falſa, quod plerique graues Theologi ſatis probabiliter defendunt, & nos libẽter amplectimur. Sed quoniam in hac diſputatione nihil aſſumi

volumus, quod non ſit expeditum, & facile (tantum enim curamus defendere titulum Immaculatæ, cuius aſſertio nihil opus habet arduis inſtitutis) age, admittamus Conceptionem Immaculatã etiam ſuppoſito Eccleſiæ feſto, non exceſsiſſe ſtatum opinionis probabilis; nihilominus obiectio nullius roboris eſt, diuerſæ enim propoſitiones ſunt *Conceptio Virginis fuit Immaculata*: & *Conceptio Virginis Immaculata, eſt ſubiectum proportionatum ſacri cultus, et digna quæ ſolemni officio celebretur.* Prior propoſitio (ex ſuppoſitione facta) probabilis tantúm eſt, poſterior vero certiſsima. Innititur enim authoritati Eccleſiæ, quæ hanc Conceptionem, licet non definitam, licet tantúm probabilem, ſolemni feſto proſequitur. Vnde licet prior propoſitio variabilis ſit; ſecunda tamen eſt immutabilis. Quare cum ſemel de ea iudicium ſpeculatiuum Eccleſia tulerit, non poteſt ab ea recedere, niſi mentem ſuam damnet, atque adeó ſi perſeueret (vt perſeuerat), in celebrando feſto Conceptionis, debet etiam in eodem ſenſu perſeuerare. Quod adeò verum eſt, vt etiam ſi gratis demus ſecundam propoſitionem tantum eſſe probilem; nihilominus Eccleſia iudicium illud ſuum deſerere non poteſt rebus in eodem ſtatu permanentibus; nam iudicium ſemel latum retractare inmotis omnino motiuis leuitatis eſt,

non

non prudentiæ:at opinio de Conceptione Immaculata, ſi poſt inſtitutionẽ feſti altius non eſt euecta, tamen in eodem ſaltem ſtatu eſt, & erit vſque ad definitionem controuerſiæ; motiuaque, quibus Eccleſia cenſuit Conceptionem, vt Immaculatam dignam eſſe cultu, prorſus perſeuerant; ergo ſine leuitatis, & inconſtantiæ nota non poteſt eadem Eccleſia in celebrando feſto Conceptionis, ab eo ſenſu recedere, quem in ipſa inſtitutione amplexa eſt. Quare audaciæ, & temeritatis plenum exiſtimo affirmare Eccleſiam quidem ſub Sixto Quarto, & deinceps celebraſſe Conceptionem, vt Immaculatam; mutaſſe vero ſenſum, & mentem ſub Pio Quinto.

15. Denique, quod num. 3. adducebatur ex S. Thoma, nullius momenti eſt, ibi enim ſanctus Doctor non intelligit nomine Conceptionis animationem ſeu infuſionem animæ, ſed formationem fœtus, quæ animationem præcedit. Atque hæc eſt perpetua S. Thomæ acceptio, vt monuimus cap. 5. num. 107. & latè oſtendemus in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis. Interim lector adeat 3. part. totam quæſtionem 33. præcipuè art. 2. corpore. Cum ergo S. Doctor affirmat Eccleſiam Romanam non celebrare feſtum Conceptionis, quia eam conſiderat factam in peccato originali; de formatione fœtus

lo-

loquitur, putat enim de fide eſſe, hãc factã fuiſſe in originali peccato, hoc eſt in obligatione, & debito contrahendi: de Conceptione, verò, vt modo loquimur, hoc eſt animatione non docet ab Eccleſia Romana conſiderari in originali peccato factam. Quare nullum ex eius verbis deſumi poteſt argumentum ad probandum Eccleſiã mutaſſe ſententiam ſub Sixto Quarto, immeritòque Ioannes à S. Thoma (egregius alioquim Immaculatæ defenſor) hanc mutationem fatetur eam ex verbis S. Doctoris deducens, quem non ſatis calluit. Fixum ergo manet Eccleſiam non mutaſſe ſenſum feſti Conceptionis Immaculatæ in reformatione Pij Quinti, ſed eum amplius ſtabiliſſe.

Et vt omnia, quæ hic Pontifex egit pro Conceptione Immaculata, expendamus, ex eius motu proprio *ſuper ſpeculam* licet argumentum ſumere pro huius capitis theſi, & eſt ordine quartum. Ediderat anno 1568. diploma reformationis Miſſalis, & Breuiarij Romani, cuius initium eſt, *quod à nobis poſtulat*, & poſt duos annos, videlicet 1570. expediuit motum proprium *ſuper ſpeculam*, vbi cum narraſſet aliquorum concionatorum pro alterutra parte pertinaces contentiones, ita decernit: *Nos igitur, qui prædeceſſorum noſtrorum ſaluberrima decreta pro viribus ſalua eſſe cupimus, potiſſimum* 16.

illa, quæ à ſacroſancta Synodo Tridentina denuo ſunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquētes opinādi huius controuerſiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile eſſe iudicauerit, prædictorum concionatorum, aliorumque contentioni, atque temeritati, populorumque ſcandalis occurrere ſtudentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatutum fœlicis recordationis Sixti Quarti Prædeceſſoris noſtri ſuper ea re, quod à præfata Synodo innouatum eſt, illud præſentibus ac ſi de verbo ad verbum eſſet inſertum, pro planè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto habentes, Apoſtolica authoritate tenore præſentium cōfirmamus, & approbamus. Prohibet deinde ne in popularibus concionibus, vel vulgari ſermone de Conceptione inſtituatur diſputatio, permittens eam in Academijs, & Ordinū capitulis dum tamen *neutra pars veluti erronea prædicetur*, & tandem ſubdit: *Seruenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædeceſſore noſtro ſtatuta ſunt, quorum ſingula, vt præfertur, etiam quantum ad alias pænas duximus innouanda, & innouamus per præſentes.*

17. Ecce Pius confirmat extrauagantē Sixti *graue nimis*, eamque de verbo ad verbū inſertam vult ſuo motu proprio innouans ſingula, quæ in ea continentur: ſed Sixtus inter alia decernit errare eos, qui hæreſis, aut peccati inſimulant Immacu-

latæ Conceptionis fautores, aut feſti eiuſdem Conceptionis cultores, eiuſque decreti rationē reddit *cum ſancta Romana Eccleſia feſtum de eadem Conceptione ſolemniter celebret.* Ergo hoc idem decretum, & decernendi rationem, & cauſam confirmat Pius, qui ſingula confirmat. Ergo ex mente Pij Quinti adhuc poſt reformationem Breuiarij & expunctionem officij Nogarolici Eccleſia Romana celebrat Immaculatam Conceptionem, cui celebritati innititur decretum Sixti. Ergo mutatione officij non mutauit mentem, & ſenſum. Videque expendimus cap. præcedenti num. 7. 8. & 13. Hæc enim æquè probant de mente Pij ac Sixti, & Tridentini, cum Pius *ſingula* confirmet, quæ in conſtitutione Sixti continentur, & quæ à Concilio Tridentino approbantur. Sanè ſi Pius Quintus in reformatione Breuiarij mutauit ſenſum Eccleſiæ, vt non iam Conceptionem Immaculatam, ſed quid aliud poſt eam reformationem celebret; non potuit poſt duos annos reformationis decretum illud Sixti, & eius motiuum confirmare, cum iam illa cauſa ceſſaſſet, qua motus eſt Sixtus.

Denique, vt ad noſtra tempora proprius accedamus, idem argumentum (& erit quintum) conficere poſſumus ex motu proprio Pauli V. cuius initiū eſt *Regis pacifici* edito anno 1616. vbi penè 18.

ad verbum inſerit extrauagantem Sixti, & conſtitutionem Pij, & tandem eas confirmat *huiuſmodi*(vt inquit) *veriores tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes* additis etiam nouis pœnis. Deinde anno 1617. in generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & Generalis Inquiſitionis aliud decretum confirmauit, cuius initium eſt *Sanctiſsimus Dominus noſter* dedimuſque integrum ſupra cap. 3. vbi iterum approbat eaſdem Sixti, & Pij conſtitutiones, & inſuper prohibet, ne quis *in publicis lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcumque actibus publicis, audeat aſſerere, quòd eadem Beatiſsima Virgo Maria fuerit Concepta cũ peccato originali, &c. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus publicorum actuũ*(qui in conſtitutionibus Sixti, & Pij non vetabantur) *in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſeruentur, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet.* Cum ergo Sixtus Quartus propterea damnauerit erroris aſſerentes hæreſim, aut peccatum incurrere, qui vel Conceptionem Immaculatam defendunt, vel eius feſtum colũt, quia Eccleſia Romana de Conceptione Immaculata feſtum celebrat, & Paulus V. hoc decretum & cenſuram confirmet; manifeſtum eſt ex eius mente Eccleſiam Romanam adhuc poſt reformationem Breuiarij celebrare Immaculatam Con-

Digitized by Google

ceptionem, atque adeò non mutaſſe mentem, & ſenſum.

LIBELLATOR, DVM VOCEM Conceptio *Significare ſanctificationem autumat, ſingularis eſt, & à communi Theologorum, imo ſancti Thomæ, & Thomiſtarum, ſenſu recedit.*

CAPVT X.

DEuenimus iam ad Gregorium XV. Pontificem Maximum, & Maximum Conceptionis Immaculatæ fautorē. Ipſam enim tam ſublimè euexit, vt nihil ſucceſſoribus addēdum reliquerit, niſi definitionem. Inſtituerat Sixtus Quartus feſtum Conceptionis Immaculatæ, ſed liberam reliquerat oppoſitam ſententiam publicè, & priuatim, verbo, & ſcriptis. Pius Quintus nouis honoribus cumulauit, dum mutato officio Natiuitati æquauit Conceptionem, addito etiam præcepto vniuerſali. Libertatem deinde illam, quam reliquerat Sixtus, intra cancellos diſputationis Academicæ, & capitularis coercuit. Paulus Quintus aliquid aliud addidit in fa- 1.

uorem Immaculatæ, nam repugnantem ſententiam obmuteſcere in publico iuſsit. Denique Gregorius XV. mutã omnino reddidit, dum ne in priuatis quidem colloquijs, aut ſcriptis fandi facultatem permiſsit, iubens prætereà vt excluſa ab officio diuino ſanctificationis voce omnes omnino Conceptionis nomine vterentur. Recolat Lector decretum ipſum Gregorij, quod dedimus cap. 3. perſpicietque, quantùm promouerit hic Pontifex Immaculatam Conceptionē. Qui non contentus contrariam ſententiã á linguis, & auribus hominum amandaſſe, præcepit omnibus, etiam eius ſectatoribus, vt in officio diuino eandem Immaculatam Conceptionem celebrēt. Quamuis enim liberũ ſit vnicuique, vt libuerit de Conceptione Virginis priuatim ſentire, dum Eccleſia non dirimit controuerſiam; tamen indignum iudicauit prudentiſsimus Pontifex hanc libertatem ad officium ipſum Eccleſiaſticum extendi, cum ratio ipſa poſtulet, vt omnes Eccleſiæ Romanæ filij non alio ſenſu, quàm, quo ipſa Romana Eccleſia, hoc feſtum celebrent. Meritó ergo ſupra dicebamus Gregorium nihil ſucceſſoribus ſuis præter diffinitionem addendum reliquiſſe.

2. Quanto gaudio perfuderit hoc decretum fautores Immaculatæ, ideſt penè vniuerſum popu-

lum

lum Chriſtianum, viderunt quotquot illo anno 1622 communi hac luce fruebantur. Certè Hiſpania lætiſsimos dies egit, neque inmanibus ſumptibus pepercit, quo minus ſolemniſsima pompa, & feſtiuiſsimo apparatu mentis gaudia teſtaretur. Siluit hoc decreto aduerſa cohors, atque adeò ſiluit terra, hoc eſt arma ceſſarunt, & pace omnia fruebantur. Sed ecce (quod in prouerbio eſt) *poſt Marathonem pugna, poſt bellum tumultus.* Illa ſententia affirmans, cui os obſtruxerat Gregorius, poſt viginti ſex annorum ſilentium, ecce loquitur, quamuis è latebris (audimus enim vocem, ſed faciem loquentis non videmus, quia ſcripta ſine nomine legimus) & quod mirandum eſt, ſilentium ei indictum, nobis impoſitum eſſe vult, dum ſuauiſsimam vocem *Immaculata* decreto ipſo Gregoriano, quo ipſa tacere iuſſa eſt, nobis prohibitam fuiſſe contendit. Aſſerto decreto ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, authoritatem, & vigorem ex Gregoriano conciliare conatur, vt inde triumphet de ſententia negante, vnde ipſa maximum vulnus accepit.

Ferat patienter lector ſi verba Libelli 1. n. 1. 3.
Iterum ob oculos ponamus, in his enim præcipuè cardo vertitur. *Annotanda maximè eſt* (inquit) *diuerſa acceptio huius nominis Conceptio ante Gregoriũ XV. & poſt illum. Licet enim nomen* Conceptio *in ſuo*

pro-

proprio ſignificatu ſolum importet formationem fœtus in-vtero, ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vſus huius nominis Conceptio, *quòd Conceptio Immaculata. Vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem equiuocationem, & melius propriam ſententiam explicandam, vtebantur voce ſanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quaſi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio. Et ideò contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione ſolemnitatis non alio, quàm Conceptionis, nomine vterentur. Quod Pontifex, vt cultus eſſet magis vniformis, conceſſit, innuens nomen Conceptionis eſſe de ſe indiferens ad vtramque ſententiã. Quod vt magis inſinuaret, declarauit expreſsis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum.* Hæc ibi;

4. Primum (ò Libellator) gratias agimus, quòd conſilium tuum prodis, & quò tandem iſtæ machinæ tendant, nobis aperis; nempè, vt in primis decretum Gregorij eludas, & ipſo etiam inuito perſiſtas in celebratione ſanctificationis, non Cōceptionis; deinde vt; dum eiuſdem decreti vigore Conceptionem aliquid indiferens ſignificare contendis, feſtum Conceptionis, prout hactenus celebrauit Eccleſia, de medio tollas, nedum Immaculatæ titulum. Callidum ſanè conſilium; ſed

quod

quod nõ ſatis celare potuiſti, prouidente numine vt tuis ipſius verbis, quamuis lubricis, proderetur. Triplicem nobis acceptionem Conceptionis proponis. Prima eſt, *formatio fœtus in vtero:* Secunda, *Cõceptio Immaculata:* Tertia, *aliquid indifferẽs & cõmune vtrique ſententiæ.* Hæc quám inepté, quã lubricè, quàm inconſtanter, ex dicendis conſtabit.

Et vt á prima acceptione faciamus initium, *nomen* (inquis) *Conceptio, in ſuo proprio ſignificatu, ſolũ importat formationem fœtus in vtero.* Non vacat modò diſſerere de proprio ſignificatu vocis Cõceptio, de quò diſsidium eſt inter nobiles medicos. Alijs enim Conceptio eſt ſeminis in vulua comprehenſio, ſeu, quod in idem recidit, ſeminum permiſtio, aut ſeminis cum puriore parte ſanguinis, vnde fœtus formatur; alijs ipſa formatio fœtus; alijs denique animatio, ſeu infuſsio animæ. D. Thomas 3. p. quæſt. 33. art. 2. permiſtionem ſeminum á ratione Conceptionis excludit, & meritò; eſt enim duntaxat motus localis, deinde formationem fœtus dicit eſſe propriè Conceptionem, & in hoc ſenſu accipit eadem 3. part. q. 27. art. 2. & plures ex antiquis ſcholaſticis, qui negant Virginem ſanctificatam fuiſſe in ſua Cõceptione, loquuntur enim de formatione fœtus, quæ animationem præcedit. Sed quamuis anti- 5. *S. Thom.*

qui ita vſurpauerint ; minimé ferendum eſt, quòd in præſenti controuerſia,& ſtatu animationem, ſeu infuſsionem animæ excludas, quod quidem dolosè, & fraudulenter facis, neque enim in vtroque Libello vnquam eius meminiſti; cum tamen non ignores apud Theologos id vſu receptum, vt nomine Conceptionis animationem intelligant. Sanè controuerſia, an Virgo Concepta fuerit in gratia, vel in peccato originali, de Conceptione, vt eſt animatio, procedit. Cum enim gratia, & peccatum cadere non poſsint niſi in creaturam rationalem, nemini dubium eſt Virginem ante infuſsionem animæ neque peccatum proprie dictum, neque gratiam habuiſſe, cum ante eam infuſsionem non exiſteret. Vt rectè argumentatur Caietanus opuſculo de Conceptione cap. 4. vbi propterea conſtare dicit, *quòd ſermo ſemper eſt de Conceptu in infuſsione animæ.* Quamuis fallitur, cum ita intelligi vult omnes antiquos.

6\. Ex his patet quàm ineptè, imò dolosè, aſſeras Conceptionem in ſuo proprio ſignificatu ſolúm importare formationem fœtus in vtero, videlicet, vt quaſi aliud agens excludas animationem, quæ tamen propriiſsime eſt Cōceptio. Ego ſane facilè admittam organizationem poſſe dici Conceptionem, ſed inchoatam, ſed imperfectã. Cōceptio enim incipit ab organizatione, & per

ficitur animatione. Quare ſi quid eſt, quod propriſsima, perfecta, & ſubſtantialis Conceptio eſt, animatio eſt. Sed tu eam excludere voluiſti à propria nominis ſignificatione, vt cum exploratum ſit Eccleſiam non celebrare Virginei corporis organizationem animationi præuiam; vel inde conuincas in officio Eccleſiaſtico non accipi vocem *Conceptio* in ſuo proprio ſignificatu, atque adeò confugiendum eſſe ad ſignificationem metaphoricam, quam tu comminiſceris.

Vide nunc quid ex hac tua aſſertione ſequatur. Conceptio in ſuo proprio ſignificatu ſolùm importat formationem fœtus in vtero; ergo animatio, ſeu infuſsio animæ non eſt proprie Conceptio: hæc enim diuerſa eſt à formatione, quæ ipſam præcedit. Ergo cum diſputant Theologi an Conceptio Virginis fuerit maculata peccato originali, an vero ab eo immunis, non diſputant de Conceptione propriè accepta. Similiter Eccleſia cum celebrat feſtum Cõceptionis, non accipit propriè vocem. Patet, quia neque Eccleſia celebrat formationem fœtus in vtero, neque de hac eſt præcipua controuerſia inter Theologos. Dum enim fœtus formatur, nõdum adeſt anima, atque adeò neque peccatum, neque gratia. Itaque neque diſputatio, neque feſtum eſt de Conceptione propriè dicta. Quid abſurdius? 7.

8. Rurſus ſi ſola formatio fœtus eſt propriè Conceptio; ergo cum antiqui abſolutè negant Conceptionem Virginis fuiſſe gratia præuentam, aut aſſerunt coniunctam fuiſſe cum peccato originali, de ſola formatione fœtus loquuntur. Patet, nā qui abſolutè vſurpat vocem, propriè vſurpat. Vnde tandem fit antiquos qui ita loquuntur, nō de peccato actu contracto, ſed de debito contrahendi ſermonem facere: nam ſicut formationi fœtus conuenire non poteſt gratia ſanctificans, ita neque peccatum propriè dictum. Tibi ergo debemus Immaculatæ defenſores tam facilem priſcorum Theologorum explicationem, iuxta quam nihil ſententiæ noſtræ aduerſantur, tibi in quam debemus, qui aſſeris ſolam formationem fœtus eſſe propriè Conceptionem. Quod ſi audierint tui, meritò vapulabis, nam egregia hac tua doctrina non contemnendam veteranorum manum, quibus maximè fidunt, exercitui eorum detrahis.

9. Quod ſi hæc nimis ingenioſé in te dicta videntur, & cupis credi à te non eſſe excluſam animationem, ſed potius hanc appellari formationem fœtus in vtero, quia tunc perfectè fœtus formatur cum anima infunditur; liceat tibi per nos ita explicare, quamuis á communi loquēdi vſu diſcedas. Conueniat ergo nobis Conceptionem

pro-

propriſsimè ſignificare animationem fœtus, ſeu actionem illam, qua anima corpori vnitur virtute ſeminis; hanc etiam ſolam pertinere ad proprium vocis ſignificatum, quatenus ad præſens inſtitutum attinet, nam de formatione quæ animationem præcedit, neque controuerſia eſt, neque feſtũ. Sed memineris huius explicationis, nã ab ea te alibi longè diſcedere, atque adeò inconſtãtiæ vitio laborare tetigimus cap. 4. num. 37. & poſtea oſtendemus.

Nunc ad alias Conceptionis acceptiones veniamus. Aſſeris diuerſam eſſe ante Gregorium XV. & poſt illum. Quæro abs te an loquaris de Eccleſia Romana eiuſque Pontificibus, an de priuatis tantùm hominibus? Hoc eſt an Eccleſia in officio diuino, & Pontifices in ſuis decretis in diuerſu ſenſu acceperint nomen *Conceptio* ante Gregorium XV. quàm ipſe Gregorius accepit, & poſt eum accipit Eccleſia Romana? An vero hæc diuerſitas acceptionis ſolùm fuerit inter priuatos, qui præceſſerunt Gregorium, & eos, qui poſt eum vixerunt? Si de his tantum loqueris, quamquam id gratis demus (quod tamen falſum eſſe infra patebit) extra chorum ſaltas, cum enim quæſtio ſit de feſto Conceptionis (de quo eſt decretum Gregorij) nihil refert, quo ſenſu priuati homines voce, vel ſcripto nomen Conceptionis 10.

acce-

acceperint, ſed quid Eccleſia Romana in officio Eccleſiaſtico, quid Romani Pontifices in ſuis diplomatibus, & decretis ſub ea voce intellexerint. Huic enim acceptioni ſtandum eſt, non alijs quas priuati pro libito induxerint. Quare ſi Eccleſia Romana, & eius Pontifices eodem prorſus ſenſu accipiunt Conceptionem ante Gregorium & poſt illum; vana eſt, & futilis hæc temporum diſtinctio, quam tu tantopere animaduertendam ducis, nihilque erit diſcriminis, quod attinet ad titulum Immaculatæ, ſiue ante Gregorium ſiue poſt illum. Nam ſi ſenſus Eccleſiæ illum admittat, ſemper erit admittendus: ſin minus, ſemper erit reijciendus. Quod ſi aſſeris Eccleſiam Romanam eiuſque Pontifices non vno eodemq; ſenſu accepiſſe nomen Conceptionis, ſed alio Pontifices, qui præceſſerunt Gregorium, alio Gregorium ipſum; arduam mehercule, & periculis plenam prouinciam ſuſcipis. Quis enim patienter audiat Eccleſiam Romanam á ſuo ſenſu diſceſsiſſe, ſibi ipſi contrariam? Aut Gregorium Prædeceſſorum ſuorum deſeruiſſe veſtigia? Sed hoc commentum ſatis reijcitur ex dictis cap. præcedenti præcipue num. 13 & ſequentibus, & poſtea etiam reijcietur.

11. Nunc de mente tua agimus, quam (vt lubricus es) non eſt ſatis expeditum comprehendere.

Ali-

Aliquando enim videris hanc diuerſitatem acceptionis priuatis hominibus tribuere; nam Libello 1. num. 1. vt probes diuerſam fuiſſe acceptionem Conceptionis ante Gregorium, & poſt illum inquis: *Ante Gregorium apud multos idem valuit vſus huius nominis Conceptio, quod Conceptio Immaculata*, & Libello 2. num. 6. *En ergo* (inquis) *temporũ diſtinctio neceſſariò attendenda, ſiquidem aliquando idẽ erat dicere apud plures Conceptio, & Immaculata Conceptio: at poſt Gregorium non idem ſonat.* Itaque cum de acceptione quæ *apud multos*, *apud plures* invaluit, loqueris; non de acceptione Eccleſiæ, ſed priuatorum loqueris; eiſque diuerſitatem accipiendi vocem *Conceptio* diuerſis temporibus tribuis. Rurſum videris eam tribuere Eccleſiæ Romanæ, & Summis Pontificibus, quaſi Gregorius ſenſum antiquum Eccleſiæ mutauerit, & alium induxerit. Ais enim Libello 1. num. 1. ipſum ſuo decreto innuiſſe *nomen Conceptionis eſſe de ſe indiferes ad vtramque ſententiam*; quæ eſt poſterior acceptio. Et verbis proximè allatis, cum dixiſſes ante Gregorium idem fuiſſe apud plures *Cõceptio*, quod *Immaculata Conceptio*, ſubdis, *at poſt Gregorium non idem ſonat*. Cur autem non idem ſonat, niſi quia Gregorius ſenſum mutauit? Nam ſi retinuit antiquum, eodem iure potuerunt, & qui ante ipſum fuerunt, & qui poſt ipſum, in eodem ſenſu

vocem vſurpare, vt qui licuerit antiquis, liceat etiam recentioribus. Poſtremò ſatis oſtendis te authorem facere Gregorium diuerſæ acceptionis, quæ ab eius decreto ortum duxerit, cum tam attentè diſtinguis tempora, & inde aucuparis rationem, cur Romana Eccleſia poſt Gregorium cautè debeat procedere, & non permittere titulũ *Immaculatæ*, qui apud alios Romanos Pontifices reperitur. Hæc omnia ſatis mentem tuam dubiã reddunt, quam tamen opportebat apertè, & ſine ambagibus propoſuiſſe.

12. Sed iam ſecundam Conceptionis acceptionem expendamus. Ais apud pleroſque vſu inualuiſſe ante Gregorium, vt idem ſit *Conceptio*, quod *Conceptio Immaculata*. Hæc propoſitio duplicem ſenſum habere poteſt. Primus eſt, vt vox *Conceptio* per ſe ſumpta carẽtiam ipſam maculæ ſignificet: ſecũdus, vt quamuis ex ſe ſolùm exprimat opus naturæ in vtero, tamẽ qui eam profert, vel audit, de *Immaculata* intelligit; vel quia ipſe naturalem Virginis Conceptionem reuera coniunctam fuiſſe cum gratia præſeruante exiſtimat, vel quia ex facto aliquo, aut adiunctis verbis id neceſſe eſt intelligi. Si in primo ſenſu aſſeris apud multos inualuiſſe ante Gregorium XV. vt idem ſit Conceptio, quod Conceptio Immaculata; falleris vehementer, & fallis. Nullus enim vnquam

fuit tam ſtipes,& plumbeus, vt crederet vocem Conceptio ſignificare ipſam gratiam,qua Virgo in primo ſuæ generationis momento præuenta eſt. Neque is fuit ſenſus ante Gregorium, neque eſt poſt illum. Omnes enim, etiam promiſcuum vulgus, norunt vocem *Conceptio* corporalem generationem, quæ eſt naturæ opus,ſignificare; atque hanc non eſſe natura ſua ſanctam,ſed ex adiuncto beneficio gratiæ,quam vox *Immaculata*, aut *Sancta* ſignificat,atque adeò hanc carentiam culpæ voce ipſa Conceptionis præcisè non importari. Quare fictitium eſt, & vanum in hoc ſenſu ante Gregorium inualuiſſe,vt *Conceptio* idem ſit,quód *Conceptio Immaculata*.

Si verò in ſecundo ſenſu loquaris,verum dicis. 13.
Sed falſum illico eſt,quod addis,hanc acceptionem ante Gregorium XV. duntaxat viguiſſe, & poſt ipſum ceſſaſſe. Semper enim á Sixto Quarto ad Innocentium Decimum, quoties Eccleſia Romana in Officio diuino feſti Conceptionis, aut Pontifices ipſi in ſuis decretis de eodem feſto agentes,vocem Conceptionis vſurpant, de naturali,quæ beneficio gratiæ ſancta fuerit,& Immaculata,intelligunt,& intelligi volunt. Non ſolúm,quia Pōtifices ipſi ſæpe ſæpius hanc Conceptionem titulo *Immaculatæ* condecorant,& Eccleſia in Officio diuino *digniſsimam*,dicit & *Sanctam*

etiam poſt Gregorium; ſed quia eo ipſo, quòd de Conceptione naturali feſtum inſtituunt,& celebrari volunt; Sanctam,& Immaculatam fuiſſe planè ſignificant, vt ſatis ſuperque liquet ex capitibus præcedentibus.

14. Hinc iam elucet te non ſincerè retuliſſe cauſam cur Fratres Prædicatores ante Gregorium vtebantur voce ſanctificationis,& cauebant à nomine Conceptionis: *Quaſi* (inquis) *idem importaret Conceptio, ac Immaculata Conceptio*. Qui enim ex hac familia id faciebant, non cauebant á voce Conceptionis, quia præcisè ex vi ſuæ ſignificationis idem importaret, ac Immaculata Conceptio; nouerant enim id vocabulum ad ſignificandam Conceptionem naturalem duntaxat impoſitum eſſe; ſed quia videbant, eo ipſo quód hæc naturalis Conceptio publico,& ſacro feſto colatur, Sanctam,& Immaculatam putari. Subiectũ enim cultus non poteſt eſſe ipſa nuda Conceptio, ſed vt ſubeſt alicui ſanctitati. Quare, ne ipſo cultu viderẽtur fateri Conceptionem fuiſſe Immaculatam, à voce Conceptionis in Officio diuino abſtinebant,& ſanctificationis vtebantur, quæ à momento Conceptionis abſtrahit. Atque hoc ſuo facto apertiſsimè fatebantur ab Eccleſia Romana coli Conceptionem ipſam naturalem Virginis, vt cap. 7. num. 7. tetigimus. Neque tamen

prætermittam, neque ab omnibus Dominicanis, neque ſemper ſubſtitutam fuiſſe in Officio diuino ſanctificationem Conceptioni, vt tu ſupponere videris, ſed ſub nomine Conceptionis celebraſſe officium etiam ante Gregorium, vt oſtendam cap. 13.

Tertia denique Conceptionis acceptio eſt vt ſignificet *aliquid indifferens ad vtramque ſententiam.* Hoc enim (inquis) innuit Gregorius, dum præcipit, vt omnes in Officio diuino vtantur nomine Conceptionis. Ita aſſeris Libello 1. num. 1. & addis num. 5. *curandum eſſe, vt hoc nomen maneat in ſua indifferentia*, & num. 7. quòd hoc nomen *in ſuo proprio ſignificatu de ſe indifferens eſt.* Sanè mirari ſatis non poſſum, cum toties hanc indifferentiã inculces, numquam explicaſſe, in quo cõſiſtat, aut quid ſit illud *indifferens ad vtramque ſententiam*, quod nomen Conceptio per ſe ſignificat, valde enim opportebat id præſius enucleare, vt veritas eluceſceret. Sed (ni ego vehementer fallor) conſultò ab hac declaratione abſtines, & rem confuſſam, & obſcuram relinquis; ne ſi clarius explices, facilius deprehendaris. Quare operæpretium eſt ambiguitatem tuæ aſſertionis de medio tollere, & omnes eius ſenſus aperire, vt virus, quod latet, detegatur. Hæc ergo propoſitio; *Conceptio ex ſe ſignificat aliquid indifferens ad vtramque ſententiam,* 15.

duplicem ſenſum habet. Primus eſt, vt ſignificet ipſam actionem naturalem in vtero præcisé, abſtrahendo à culpa, & gratia. Secundus eſt, vt ſignificet ſanctificationem in vtero abſtrahendo à tẽpore, quo facta eſt. Et quidem vterque ſenſus importat aliquid indifferens ad vtramque ſententiam, & in quo earum authores cõueniunt. Omnes enim fatentur Virginem Conceptam fuiſſe. Fatentur deinde gratia ſanctificanti, antequam naſceretur, ornatam. Diſidium tantùm eſt de circunſtantia temporis, an hæc ſanctificatio facta fuerit in ipſo momento Conceptionis, quod affirmant Immaculatæ fautores; an vero poſt illud inſtans, quod aſſerunt aduerſarij. Neque video quid aliud poſsit ſignificari voce Conceptionis, quód verè ſit indifferens, & vtrique ſententiæ commune, præter hæc duo.

16. Quærimus ergo abs te, in quo nam ex his duobus ſenſibus accipiatur vox Conceptio in Officio diuino, & decreto Gregoriano? an vt ſignificat Conceptionem corporalem, an vt ſignificat ſanctificationem? Primum ſenſum videris amplecti Libello 1. num. 1. ais enim *vocem Conceptio in ſuo proprio ſignificatu ſolùm importare formationem fœtus in vtero*, quibus verbis (quidquid nomine formationis intelligas, de quo ſupra num. 6. & ſequẽtibus) manifeſte reſtringis proprium ſignificatũ

vocis

vocis *Conceptio* ad opus naturæ. Non autem audebis (vt credo) aſſerere Eccleſiam Romanam, & Gregorium XV. relicta propria ſignificatione vocis, eam non ſine magna æquiuocatione in ſignificatu improprio, & translatitio accepiſſe. adde quod num. 7. redens rationem, cur. Tribunal Inquiſitionis Romanæ inhærendo decretis Gregorii, & Vrbani non permittat addi titulum Immaculatæ nomini Conceptionis, inquis: *Ne videlicet per adiectum epitheton diſtrahatur ſenſus huius nominis Conceptio (quod de ſe indifferens eſt) à proprio ſignificatu.* Ergo manifeſtè fateris hoc nomen *Conceptio*, vt eſt in decreto Gregoriano (imò & in decreto Inquiſitionis) accipi in ſuo proprio ſignificatu; ſed per te proprius ſignificatus eius vocis ſolùm cõplectitur opus naturæ in vtero, quod tu vocas fœtus formationem, nos animationem; ergo te etiã authore in hoc ſenſu accipitur hæc vox in decreto Gregoriano, atque adeò in Officio diuino.

Si ergo in hoc ſenſu accipias vocem *Conceptio*, 17.
fatemur libenter eam in Officio diuino, & Pontificum decretis, etiam Gregorii, ſi per ſe ſpectetur, ſignificare rem indifferentem ad vtramque ſententiam, nempe Conceptionem naturalem, & corporalem Virginis, de qua vtraque ſententia diſceptat, an ſancta fuerit, necne; ſed addimus

ſub-

ſubiectum ſacri cultus non eſſe hanc Conceptionem præciſè, vt naturalis eſt, ſed quatenus ſubeſt ſanctitati, atque adeò Eccleſiam non colere illam, vt eſt quid indifferens ad vtramque ſententiam, ſed potius vt determinatam ad puritatem, quam altera ſententia defendit. Neque audebis (opinor) aſſerere ſub hac indiffentia coli Conceptionem, quandoquidem non ſemel fateris ab Eccleſia non coli niſi rem ſanctam, & vt ſanctam. Quare cum aſſeris Gregorium in ſuo decreto innuere nomen Conceptionis *eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam*, ſi in prædicto ſenſu loquaris, verum dicis; ſed falſum eſt, quod addis, hanc eſſe nouam Conceptionis acceptionem, quæ à Gregorio cæperit, & ante ipſum non fuerit vſurpata. Omnes enim Pontifices à Sixto Quarto, cum de Conceptione loquuntur, in eo ſenſu accipiunt, nempè pro naturali, & corporali, quæ, quantum eſt ex ſe, indifferens eſt ad vtrãque ſententiam; non tamen loquuntur de ea ſub hac indifferentia: imò potius eo ipſo quod colẽdam proponunt, indifferentiam hanc tollunt, innuuntque eam cum ſanctitate coniunctam, atque adeò illam ipſam naturalem Conceptionem eſſe quidem ſubiectum cultus, ſed materiale, quod ſubſit excellentiæ, & ſanctitati, quæ formaliter colitur; & ideo, quia vox ipſa *Conceptio* per ſe non

Digitized by Google

ſignificat hanc excellentiam, eam adiectiuis coniungunt, quibus ſignificatur, nempe *Immaculata*, vt plures Pontifices loquuntur; *Sancta, & Digniſſima*, vt hodie Eccleſia Romana in officio canit.

Hinc etiam patet, quam malè aſſeras Libello 1. num. 5. *curandum eſſe, vt hoc nomen Conceptio maneat in ſua indifferentia*. Hoc eſt ne cum adiectiuis iungatur, quæ vocis indifferentiam determinēt. Hoc abſurdiſsimum eſſe (ſi Conceptionem accipias in ſenſu, de quo loquimur) quis non videat? Nam ſi curandum eſt, vt Conceptio maneat in ſua indifferentia, quam tam vox ipſa, quàm res ſignificata habent ex ſe; ergo curandum eſt, vt in officio diuino nihil aliud intelligatur, quàm Cōceptio naturalis cum illa indifferentia; ergo curandum eſt, vt nihil aliud publico, & ſolemni ritu colatur, quàm naturalis Conceptio; ergo curādum eſt, vt nihil ſanctum, nihil ad ordinem ſupernaturalem pertinens eo cultu veneretur Eccleſia, ſed puram duntaxat naturam; ergo perperam facit Eccleſia Romana, quæ in officio diuino non ſinit vocem *Conceptio* in ſua indifferentia manere, ſed eam determinat adiectiuis, appellando *Sanctam, & digniſsimam*. Hæc autem, cum te etiam authore abſurda ſint; abſurdum planè eſt, quod conſulis *curandum eſſe, vt hoc nomen Conceptio maneat in ſua indifferentia*. 18.

Sed

19. Sed iam te audio obſtrepentem mihi, quòd aerem verberem his argumentis. Neque enim tua eſt ſententia, & mens in Gregoriano decreto accipi vocē *Conceptio*, vt ſignificat naturalem cū illa indifferentia ad peccatum, & gratiam, ſed vt ſignificat ſanctificationem abſtrahentem à circunſtantia temporis, videlicet primi, aut poſterioris inſtantis. Hac ratione coli ab Eccleſia Cōceptionem, hac ratione præcipi à Gregorio, vt ab omnibus colatur, hac denique ratione ſignificari aliquid indifferens ad vtranque ſententiam curandumque meritò eſſe, vt vox ipſa in hac indifferentia permaneat, ne à proprio ſignificatu diſtrahatur. Sanè hanc eſſe tuam mentem libens agnoſco, atque, quòd eam nobis detegas, gratias egi ſupra. Sed quia lubricus es, & ambiguus; nō fuit omittenda impugnatio prioris ſenſus de ſola Conceptione naturali præciſe accepta, præſertim cum, vt oſtendi num. 15. ſatis in eum inclines. Certè nunquam auſus es palàm affirmare hoc indifferens ad vtramque ſententiam, quod ſignificatur voce Conceptionis, eſſe ſanctificationem præciſe ſumptam; ſed id ex tuis verbis colligendum eſt, & ex ſcopo tuæ diſputationis. Cur autem tam cautè te geſſeris, cauſam nō ignoramus, ne videlicet tam palàm defenderes ſenſum ab Eccleſia damnatum, & vocē à Gregorio

interdictam. Sed age, mea me fefellit opinio, illud *indifferens ad vtramque ſententiam*, quod te authore ſignificat nomen *Conceptio* in decreto Gregorij, no eſt naturæ opus, vt abſtrahit à peccato, & gratia; ſed ſanctificatio, vt præſcindit à tempore. De hoc ſenſu nobis bellum reſtat. Aſſeris ergo poſtquam Gregorius iuſsit, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine in Officio diuino vtantur, eo ipſo innuiſſe eo nomine ſanctificationem intelligendam, in qua vtraque ſententia cõueniat, nempe illam, quæ abſtrahat á temporis circunſtantia. Hanc acceptionem vim habere in ipſo decreto Gregoriano, cum antea vox *Conceptio* pro *Immaculata* acciperetur, & propterea caueretur á Dominicanis, qui ſanctificationis voce vtebantur. Atque huc attinet, quod toties repetis attendendam eſſe temporum diuerſitatem, ante Gregorium videlicet, & poſt illum, nam antea Conceptio *Immaculatam* ſignificabat, nempe pro primo inſtanti; poſt Gregorium vero *non idem ſonat*, ſed ſolam ſanctificationem vtrique ſententiæ communem, & qui hæc non aduertat, anachroniſmo laborat.

Mirabile dictu. Erant olim duæ voces diuerſi ſignificatus *Conceptio*, & *Sanctificatio* illa vtebatur Eccleſia Romana, in Officio diuino: hãc Dominicani è regione vſurpabant. Reſciuit Grego- 20.

rius XV. iuſsitque vt Eccleſiæ Romanæ confor-
marentur, & vterentur voce Conceptionis ex-
ploſo ſanctificationis vocabulo. Hoc planè fuit
præferre ſenſum vocis *Conceptio* ſenſui vocis *San-
ctificatio*. Voces enim non propter ſe, ſed propter
ſignificationem amantur, aut reſpuuntur. Sed
ecce neſcio quo fato, dum id præcipit Gregorius
repentè nomen *Conceptio* ſignificatum ſuum amiſ-
ſit, & ſanctificationis induit, atque ita factum eſt,
vt, dum cupit Pontifex Dominicanos ad ſenſum
Romanæ Eccleſiæ trahere; tracta ipſa eſt ad ſen-
ſum Dominicanorum: & dum ſtudet Conceptio
nis proprium ſenſum omnibus præcipere; omni-
bus interdicit: illique ipſi *Immaculatæ* defenſores
qui (vt ais) à Gregorio impetrarunt vt in officio
diuino omnes Conceptionis nomine vtantur,
ipſo decreto, quo putant viciſſe, victi ſunt, ſeque
in alienis Caſtris militare repente vident, qui ad
ſua alios, vel inuitos, traxiſſe putabant. Denique
Conceptionis nihil remanet, niſi inane vocabu-
lum, & cum vox *Sanctificatio*, non placeat prop-
ter ſignificationem abſtrahentem, vox prohibe-
tur, ſignificatio præcipitur: in ſillabis exulat, in
ſenſu regnat, indutaque aliena Cõceptionis pel-
le, quaſi hoſtis exubijs, laruata triumphat, quæ
detracta perſona reijceretur. Quis credat? Imò
quis non rideat commentum? Enigmati ſimile

eſt,

eſt,quod ne OEdipus ipſe ſoluat,quo ne ipſa quidem Sphinx intricatius aliud contingat: *victor dum vincit, vincitur. Victus, dum vincitur, de ipſomet victore triumphat. Quod prohibetur, præcipitur; quod iubetur, vetatur.* Hæc portenta nobis obtrudis, quicumque aſſeris vigore Gregoriani decreti Conceptionis nomine ſanctificationem intelligi.

Ex his ſatis liquet,quo tandem tendant tuæ machinæ in his ſcriptis. Nempe (vt initio dicebam) mens,& conſilium tuum eſt feſtum Conceptionis de medio tollere,ſi non voce (quod etiam cuperes) ſaltem re ipſa,& ſenſu, vt nihil iam Cōceptionis reliquum ſit,niſi vacuum, & inane vocabulum. Ita ſanè fit,ſi Conceptio in Officio diuino ſanctificationem præcisè ſumptam ſignificet. Sed benè eſt,quod hæc acceptio tui capitis figmentum eſt á communi Theologorum ſenſu alienum,imò doctrinæ ſancti Thomæ, & Diſcipulorum eius contrarium. Nullus enim vnquam ſomniauit, te vno excepto, vocem *Conceptio* in officio diuino ſignificare ſanctificationem. Hoc manifeſtum fiet ſi per ſingulas, ſiue priſcorum, ſiue recentium Theologorum, explicationes; eorum etiam,qui aut Conceptionem fuiſſe Immaculatam negant,aut negare videntur,diſcurramus. Fuerunt ſanè aliqui qui dixerunt Eccleſiam 21.

Digitized by Google

in Officio diuino ſolam ſanctificationem celebrare, nullus tamen eorum dixit hanc ſanctificationem ſignificari voce ipſa Conceptionis, quod vel inde manifeſtum eſt, tum quia ij ipſi negant celebrari Conceptionem, non autem negarent, ſi Conceptio ſanctificationem ſignificaret, ſed explicarent ſenſum vocis; tum etiam quia id affirmantes reddũt rationem, cur feſtum appelletur Conceptions, cum tamen Conceptio ipſa non colatur, nempé quod, quia ignoratur, quo die Virgo fuerit ſanctificata, ad illum, quo Concepta eſt, feſtum refertur, & á die nomen accipit, qua explicatione manifeſtiſsimé nomine Conceptionis intelligunt naturalem, & corporalem. Itaque peius erras, quàm ij qui affirmabant ſolam ſanctificationem ab Eccleſia coli, quos damnauit Sixtus Quartus: illi enim non negabant verũ ſenſum vocis *Conceptio*; tu, & cum illis aſſeris ſolam ſanctificationem coli, & inſuper addis hanc duntaxat ſignificari voce *Conceptio*. Itaque latius patet tuus error.

22. Id ipſum conſtat ſecundum aliorum explicationes, qui admittunt celebrari quidem ab Eccleſia Conceptionem ipſam, non quia fuerit ſancta, ſed relatė ad ſanctitatem futuram, vel in gratiarũ actionem, quia fuerit initium noſtræ reparationis, vt ſenſerunt Capreolus, Paludanus; ſanctus

Antoninus, Bãdellus, Ioannes de Neapoli, & alij Dominicani (vt omittam eos, qui non fuerunt ex hac familia) qui omnes manifeſtiſsimè nomine Conceptionis naturalem, & corporalem intelligunt, non ſanctificationem. Nam ſi hanc ſignificari voce *Conceptio* putarent, non negarent Conceptionem coli vt ſanctam, neque confugerent ad ſanctitatem futuram. Planè ergo diſtinguunt Conceptionem á ſanctificatione. Denique eiuſdem ſententiæ ſunt alij Thomiſtæ (inter quos eſt Medina ſupra citatus) qui quamuis concedant celebrari ab Eccleſia Conceptionem, vt ſanctam, nullum inde argumentum ſumi poſſe contendunt, quia non colitur tanquam certa, ſed tanquã probabilis, & cum formidine oppoſiti. Hoc autem de ſanctificatione dici non poteſt. Longum eſſet ſingulorum verba expẽdere. Vnus ſufficiat Diuus Thomas qui 3. p. quæſt. 27. art. 2. ad 3. inquit: *Nec tamen per hoc, quod feſtum Cõceptionis celebratur, datur intelligi, quod in ſua Conceptione fuerit ſancta* (Virgo) *ſed quia, quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipſius.* Vides S. Thomam diſtinguere inter Conceptionem, & ſanctificationem. Quod ſi putaſſet nomine Conceptionis ſignificari poſſe ſanctificationem, non vteretur hac ſolutione, neque recurreret ad diem *S. Thom.*

quo

quo Concepta eſt Virgo, vt inde rationem reddat cur feſtum appelletur Conceptionis, quamuis non tam ipſa, quàm ſanctificatio celebretur; ſed planè reſponderet celebrari quidem Conceptionem, ſed ea voce in Officio diuino non ſignificari opus ipſum naturæ, ſed ſanctificationem. Hanc doctrinam ſancti Doctoris approbas tu (ò Libellator) Libello 2. Num. 18. vnde manifeſtæ contradictionis conuinceris. nunc non omittam Caietanum, qui opuſculo de Conceptione cap. 25. cum aſſeruiſſet hoc feſtum celebrari *ratione ſanctificationis*, ſubdit: *Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies Conceptionis ſub nomine ſanctificationis, vt nomen conſonaret rei.* Ecce, autho-
Caietan. re Caietano, nomen non conſonat rei, cum feſtũ de ſanctificatione, celebratur ſub nomine Conceptionis. Nempe quia vox Conceptio non ſignificat ſanctificationem; nam ſi ſignificaret, conſonaret vtique nomen rei. Sed tu hanc conſonãtiam, quam optabat Caietanus, miro modo inueniſti, dum nomini Conceptionis nouam hanc, & apud maiores tuos inauditam ſanctificationis ſignificationẽ attribuis. Vide etiã Medinã vbi ſupra

23. Quod ſi cupis Thomiſtas audire, qui poſt decretum Gregorij XV. ſcripſerunt, audi Ioan-
Ioannes à S. Thom. nem à S. Thoma, qui cum tractatu illo de approbatione doctrinæ Diui Thomæ diſp. 2. art. 2. la-

Digitized by Google

te probaſſet ſanctum Doctorem nihil docuisſe contrarium ſenſui de Conceptione Immuni à peccato originali, quem modo amplectitur Eccleſia in feſto Conceptionis; reſpondet tandem ad ſecundam obiectionem: *Ad ſecundum, in quo objicitur Diuum Thomam, dum dicit celebrari potius feſtum ſanctificationis, quam Conceptionis, contrariari decreto Gregorij XV. iubentis vbique ſub nomine Conceptionis celebrari, reſpondeo omnino inſulsè, & inſipienter id obijci. Primo quidem quia Diuus Thomas non reddit ibi rationem celebrationis huius feſti, eo modo quo nunc facit Eccleſia Romana, ſed reddit rationem, quare tunc tolerabat Romana Eccléſia illam celebrationem in alijs Eccleſijs, ipſa tamen non celebrabat, & dicit hoc feciſſe tunc quia attendebant magis ad ſanctificationem, quàm ad Conceptionem. Quæ ratio optima eſt reſpectu illius tolerantiæ, quæ tempore Diui Thomæ erat, pro quo caſu nō loquitur decretū Gregorij: Nunc verò iam Eccleſia non ſolùm tolerat, Sed & præcipit illud feſtum, in quo caſu non loquitur S. Thomas. vnde ergo contrarietas eſt inter dictum S. Thomæ, & decretum Gregorij? Secundò quia aliud eſt agere de nomine ſeu titulo, ſub quo celebrari debet hoc feſtum, aliud de ratione celebrandi. De nomine non negat D. Thomas, quim potius admittit non eſſe reprobandam feſtiuitatem de Conceptione (ecce titulus ſeu nomen ſub quo celebratur) de ratione verò celebrationis dixit potius eſſe ſanctificationis feſtum, quam Conceptio-*

nis

nis, & hoc verum eſt, quia non celebrat Eccleſia de aliquo niſi ratione ſanctitatis, & Gregorius XV. iubet ſub nomine Conceptionis celebrari, de ratione verò celebrãdi nihil dixit. Tertio illa reſtrictiua: potius celebrat feſtũ ſanctificationis, quàm Conceptionis, non negat Conceptionem celebrandam (imò ly potius *ſupponit etiam de illa celebrari) ſed quid potiorem rationem celebrationis obtineat, oſtendit, aliud eſt enim potius ſanctificationem attendi, aliud eſt Conceptionem excludi.*

24. Vides hunc doctiſsimum Thomiſtam, vt explicet Doctorem Angelicum, & mentem Gregorij Decimi Quinti, non recurrere ad tuum cõmentum de re indiferenti ad vtramque ſententiam, quæ ſignificetur nomine Conceptionis, neque intelligere ſub hac voce ſanctificationem, vt tu dicis facere Dominicanos; ſed planè diſtinguere inter Conceptionem, & ſanctificationem, tanquam res diuerſas, quarum altera ſit ſubiectũ alterius, Conceptio videlicet ſanctificationis, atque adeò ex eius mente Conceptionem ipſam naturalem celebrari ab Eccleſia, non præciſe, ſed ſub ratione ſanctificationis, nempe vt ſanctam. *Quia non celebrat* (inquit) *Eccleſia de aliquo, niſi ratione ſanctitatis.* Videque diximus cap. 7. num. 28. & 29. Lege etiam doctiſsimum Franciſcum de

Araujo. Araujo, olim in Salmanticenſi Academia Primarium profeſſorem, nunc Abulenſis Eccleſiæ Præ-

ſulem

ſulem meritiſsimum, qui tom. 1. in 1. 2. quæſt. 71. art. 3. licet ardenter feratur in Ioãnem á S. Tho. circa mentem ſancti Doctoris, tamen cum illo fatetur Eccleſiam hodie celebrare Conceptionẽ naturalem, vt á peccato immunem, cuius verba commodius expendemus infra cap. 12.

Itaque ſi quis diligenter euoluat antiquos, & recentiores Thomiſtas, reliquoſque Theologos nullum inueniet, qui affirmet vocem *Conceptio.* in officio diuino ſignificare ipſam ſanctificationem, neque hac ratione ſoluunt argumentum quod pro Immaculata deſumitur ex feſto. Sed cum omnes accipiant Conceptionem pro naturali, & corporali, alij negant Conceptionem ipſam coli, quidam celebrari fatentur, non tamen vt ſanctam, ſed vel cum relatione ad ſanctitatem futuram, vel vt initium noſtræ reparationis; alij denique celebrari, vt ſanctam admittunt, ſed vt ſanctam probabiliter, & ſub dubio. Atq; hæ ſunt quatuor ſolutiones, quas diuerſi Thomiſtæ excogitarunt, quos tamen tu egregius ſancti Thomæ Diſcipulus deſeris, dum quintam ipſi, & illis contrariam addis, nempè voce Conceptionis ſignificari ipſam ſanctificationem. Cum ergo Libello 2. n. 4. aſſeris: *Fratres Prædicatores nomine Conceptionis ſanctificationẽ intelligere*, fallis ſciens prudẽſque, vt eorum authoritate commendes tui capi- 25.

tis commentum. Hoc animaduertimus, vt ſcias tecum duntaxat nos pugnare, ignoto homine (cuius pretium, & nomen ignoramus) non cum ſacro Thomiſtarum cætu, de quo non dubitamus rectè de Gregorij decreto ſentire, quamuis Conceptionem Virginis ab originali immunem fuiſſe non ſentiant. Tuum ergo eſt, quod aſſeris in eo decreto Conceptionis voce ſanctificationem duntaxat intelligi, atque adeò de te tantūmodo facimus iudicium, quod ſequitur.

26. Sane res ita ſe habet. Celebrat Eccleſia Romana à tempore Sixti Quarti Conceptionem Virginis, Conceptionem inquam, ideſt animationē qua primùm anima vnita eſt corpori. Sed quia huius ſolemnitas, & cultus arguit ipſam ſanctam fuiſſe, & à peccato originali liberam (alioqui nō coleretur) ne tu id fateri videreris, cauebas in officio diuino à voce Conceptionis, qua vtebatur Eccleſia Romana, & loco eius ſubſtituebas ſanctificationē. Id cum reſciuiſſet Gregorius XV. ægræ tulit hoc feſtum Virginis à quoquam alio ſenſu, quàm, quo á Romana Eccleſia colitur, celebrari; ideoque iuſsit, vt in Officio diuino nō alio quàm Cōceptionis nomine vtereris, hoc eſt, eraſo ſanctificationis nomine, Conceptionis vocē exprimeres. Præſit te decretum, & in magnas anguſtias redegit. Nam aut obtemperandum erat,

aut non. Ni obtemperares, incurrebas pœnas Sixti Quarti, Pij V. & Pauli V. quas Gregorius in huius decreti fractores extēdit. Præſto erant Ordinarij locorum, & fidei Quæſitores, quibus te Pontifex ſubijcit, & facultatem tribuit, vt præter ſtatutas pœnas pro arbitrio puniant: ſi morē gereres, & obedires; cogebaris publico Eccleſiaſtico officio colere illam ipſam naturalem Virginis Conceptionem, & animationem, quam tu originali macula conſpurcatam putas. Quid igitur faceres? Lepidiſsimum ſané cōſilium iniſti, vt quando mens adhuc proterua acquieſcere Gregoriano decreto ſinceré; & ex animo non vult, falleret tamen ſimulata obedientia. Gregorius iubet, vt in Officio diuino non ſanctificationem, ſed Conceptionem proferas; id præſtas ſimilis obedienti: ſed prius nouam quandam, & inauditam vocis *Conceptio* ſignificationem cudis, atque eius (ſi ſuperis placet) Gregorium ipſum facis authorem, vt non iam, vt antea, ea vox ſignificet animationem in primo inſtanti, ſed aliquid ab illa temporis circunſtantia liberum, quod ſit commune, & indifferens ad vtramquē ſententiā de peccato originali. Hoc eſt nomine Conceptionis illam ipſam ſanctificationem à tempore abſtrahentem, quam olim proferebas, intelligis. Atque ita non ſolum prohibiti vocabuli ſenſum

Digitized by Google

retines,ſed repente eundem Conceptionis nomini affigis reclamante licet ipſa rerum natura,obſtrepentibus grammaticis,repugnantibus Philoſophis,& Theologis,etiam Dominicanis,communique hominum ſenſu.Hac ratione efficis, vt non traharis à decreto Gregoriano Romanæque Eccleſiæ intelligentia,ſed ipſum Gregorium,& Romanam Eccleſiam trahas ad ſenſum tuum. Hæc tua mens eſt & conſilium.Quod ſanè proueniret tibi, procederetque, ſi perſuadere poſſes Gregorium decreto ſuo Conceptionis voce ſanctificationem vtrique ſententiæ communem ſignificaſſe;ſed id nũquam obtinebis.Fortaſſis ægré feres arcanum tui pectoris tam apertè á nobis detectum, deprehenſaſque,quas paras feſto Conceptionis occultas (vt tibi videbatur) inſidias.

27. Sed antequam hanc tuam machinam euertamus,non eſt ſilentio prætereundum,quám te dialecticum oſtendas in his Conceptionis acceptionibus,quàmque exactè ſerues præcepta rectè diuidendi.Conceptio inquis,vel accipitur pro formatione fœtus in vtero,vel pro Immaculata, vel pro re indifferenti ad vtramque ſententiam, hoc eſt ſanctificatione. Hanc diuidendi formulam, ſi Petrus ipſe Hiſpanus ab Orco reuocetur, non poterit ad aliquam diuiſionis ſpeciem reducere,

eſt

eſt enim monſtrum quoddam ex diuerſis diuiſionibus conflatum. Triplicem poſſumus Conceptionis diuiſionem facere ſecundum diuerſas cõſiderationes. Nam ſi quis eius naturam attendat, & diuerſa authorum placita; rectè diuidet in hũc modum: Conceptio aut eſt ſeminum in vulua permiſtio, aut formatio fœtus in vtero, aut animæ, & corporis coniunctio virtute ſeminis. De his enim tribus diſceptant authores, imò ſunt, qui contendant hæc omnia ad naturam Conceptionis propriè pertinere. Deinde cũ Conceptio naturalis diuerſis accidẽtibus affici poſsit, ſi quis eã Theologicé conſideret, rectè ita enunciabit: Cõceptio aut eſt peccato originali maculata, aut Immaculata. Et hanc diuiſionẽ appellãt dialectici ſubiecti in accidentia. Deniq; cum frequenter voces ſoleant à proprio ſignificatu, ad translatitium, & metaphoricum transferri, ſi quis analogice Conceptionem conſideret, rectè illam ſecabit in Conceptionem naturalem, & ſpiritualem, quæ diuiſio analogi in analogata nuncupatur.

Has diuidendi rationes diuerſas eſſe, & (vt vocant dialectici) *diſparatas*, vel pueris in ſcholis notum eſt, vt abſurdé faciat, qui ex ſingulis ſingula membra accipiens, nouam aliam diuiſionem comminiſcatur. Quod tamen tu facis, nam 28.

ex prima deſumis *formationem fœtus in vtero*, quæ eſt quaſi definitio Conceptionis naturalis iuxta doctrinam Diui Thomæ; ex ſecunda *Immaculatã*, quæ non eſt membrum diuidens diuerſum à Conceptione naturali, ſed accidens eius, quod de ipſa poteſt prædicari; ex tertia *Sanctificationem*, quæ analogicè tantùm, & metaphoricè dici poteſt Conceptio. Non ſecus faceret, ſiquis diceret: homo aut eſt animal rationale, aut albus, aut pie, & rectè viuens, hoc enim ſenſu accipi etiam hominẽ, docet Eccleſiaſtes cap. 12. *Deum time, & mandata eius obſerua; hoc eſt enim omnis homo.* At ſi quis hac ratione diuideret, rideretur. Nam præceptis rectæ diuiſionis cautum eſt, ne membra diuidentia inter ſe coincidant; idem autem homo, qui eſt rationale animal, albus eſſe poteſt, & rectè viuere. Simile ferè vitium committis, nam Conceptio naturalis Immaculata poteſt eſſe, & ſanctificari beneficio gratiæ. Quare non ſunt duæ Conceptiones naturalis, & Immaculata, ſed eadem. Voxque Immaculata, non eſt acceptio Cõceptionis, ſed adiectiuum, aut prædicatum eius. Egregium inſuper eſt, cum acceptiones Conceptionis enumeres, de prædicato loqui, & tacere ſubiectum, nam cum dicis Conceptionem accipi pro Immaculata opportebat explicare quid ſit illa Conceptio, de qua hoc prædicatum affir-

Eccleſ. cap. 12.

matur;

matur; nam de formatione fœtus, quam ſolam nominaueras, non dicitur; ſed de animatione, quam tamen ſilentio præmis ob cauſam num.6. tactam cum de ea tantũ ſit cõtrouerſia. Itaque confuſsè & indiſciplinatè rem agis. Sed his omiſsis ad explodendum commentum de acceptione Conceptionis pro ſanctificatione accedamus.

GREGORIVS XV. DVM PRÆcipit, vt omnes in Officio diuino non alio quàm Conceptionis nomine vtantur, ſanctificationem præcisè ſumptam excludit, Conceptionem naturalem beneficio gratiæ Immaculatam cultui proponit.

CAPVT XI.

OSTENDEMVS ergo manifeſtis argumentis Conceptionis vocabulum in decreto Gregoriano non ſanctificationem vtrique ſententiæ communem ſignificare, ſed illud ipſum, quod apud Pontifices eius deceſſores ſignificabat, nempè animationem, ſeu coniunctionem animæ cum corpore, quæ ob adiunctam eo momẽto 1.

ſanctitatem veneranda ſit. Primum agumentum (vt te tuis armis confodiam) ex tuis aſſertis ita conficitur. Gregorius in ſuo decreto accipit nomen *Conceptio* in ſuo proprio ſignificatu, ſed proprius ſignificatus non eſt ſanctificatio, ſed naturæ opus in vtero; ergo ita accipit, & non pro ſanctificatione, quæ abſtrahat á momento Conceptionis. Conſequentia patet, nam ſanctificatio nō poteſt niſi translatitié dici Conceptio, quatenus is, cui prima infunditur gratia, quodammodo ſpiritualiter concipitur, & incipit eſſe, & viuere. Maior propoſitio tua eſt, ais enim in priori Libello num. 7. Romanum Inquiſitionis Tribunal inhærendo decreto Gregoriano vetuiſſe titulum Immaculatæ ne *per adiectum epiteton diſtrahatur vox Conceptio à ſuo proprio ſignificatu*. Ergo ſupponis Gregorium in ſuo decreto accipere vocem in ſua propria ſignificatione, alioquim inepta eſſet cauſa prohibitionis, quam aſsignas. Minor veró quod proprius ſignificatus eius vocis ſit opus naturæ, & non ſanctificatio, tua etiam eſt, nam eodem Libello num. 1. ſcriptum reliqueras *nomen Conceptio in ſuo proprio ſignificatu ſolùm importat formationem fœtus in vtero*. Si *ſolùm*; ergo non importat ſanctificationem, ergo te authore de naturæ opere in vtero loquitur Gregorius, qui in ſenſu proprio loquitur. Non ergo de ſanctificatione.

Se-

Digitized by Google

Secundum argumentum. Gregorius in eo ſenſu accipit vocem Conceptio, quo accepere Romani Pontifices eius prædeceſſores; ſed hi ſub eo nomine non intelligunt ſanctificationem abſtrahentem à tempore, & communem vtrique ſententiæ, ſed naturalem Conceptionem Virginis in vtero, quæ ratione adiunctæ ſanctitatis dignaſit cultu, vt ſatis ſuperque oſtendimus cap. 7. 8. & 9. ergo de hac etiam loquitur Gregorius. Maior propoſitio non poteſt ſine ingenti audacia negari, quis enim non erubeſcat aſſerere Gregorium in his, quæ ad publicum, & ſacrum Eccleſiæ cultum pertinent, prædeceſſorum ſuorum veſtigia deſeruiſſe, atque eo ipſo damnaſſe? Sed præterea oſtenditur tum ex dictis cap. 9. præcipuè à num. 13. tum etiam ex ipſius decreti verbis, ita enim habet: *Eademque ſanctitas ſua voluit, & expreſſè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur, conſtitutiones Sixti Quarti, Alexandri Sexti, & Pij Quinti, ac Pauli Quinti eius prædeceſſorum ſuper Conceptione Beatiſsimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur, perinde ac ſi huiuſmodi decretum non emanaſſet.* Ecce Gregorius firmas vult, & illibatas prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones, ergo firmum vult, & illibatum (vt alia omittamus) ſenſum, quo ipſi de Conceptione loquuntur. Ergo eodem, quo ipſi, ſen- 2.

ſu accipit, & accipi vult hanc vocem.

3. At inquis illibatas vult, *vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur*; aduerſantur autem in acceptione vocis Conceptio. Sed è cerebro id fingis, nullum enim verbum præceſſerat de diuerſo ſignificatu vocis. Duo tantùm ſtatuerat Pontifex cum hæc verba addidit, primum nequis audeat deinceps aſſerere quod B. V. fuerit in peccato originali Concepta, etiam in priuatis colloquijs & ſcriptis, nec de hac opinione affimatiua aliquomodo agere, ſeu tractare; ſecundum ſe per hoc non intendere reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre. Hoc ſecundum addiderat etiam Paulus Quintus, in primo eſt diuerſitas. Prædeceſſores enim nō prohibuerant in priuatis colloquijs, & ſcriptis affirmatiuam ſententiam defendi, aut aliquomodo de ipſa agi, & tractari, ſed hoc liberum erat ante Gregorium; qui hoc etiam prohibito, mutam omnino reddidit affirmatiuam, ideò cum prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones confirmat, addit; *vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur*, nempe quia facultatem priuatim de ea colloquendi, aut ſcribendi, quam prædeceſſores permiſerant, ipſe abſtulit. Ex quo nihil minus colligi poteſt, quàm quòd ſenſum vocis *Conceptio* mutauerit, aut eam pro ſanctificatione præcisè ſumpta

acce-

acceperit; nam de hac conuenit apud authores vtriuſque ſentētiæ; neque cuiquam vnquam prohibitum fuit publicè, aut priuatim aſſerere Beatam Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatā, dummodo expreſsè primum inſtans Conceptionis non excludat. Gregorius ergo, qui tam diſtricte priuata etiam colloquia interdicit, de Conceptione procùldubio, vt ſignificat corporalem, & naturalem in vtero, loquitur.

Tertiū argumentū. Gregorius in ſuo decreto nō ſemel, ſed quater Cōceptionis vocabulū vſurpat. Primò cum prohibet ne quis etiā in priuatis coloquijs audeat affirmare, quòd B. V. fuit in peccato originali *Cōcepta*. Secūdò, vbi iubet, vt prædeceſſorū conſtitutiones *ſuper Conceptione* Beatiſsimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant. Tertiò, cū affirmat ab Eccleſia Romana feſtum *de Conceptione* celebrari. Quartó, cum præcipit ne quis in Officio diuino alio quàm *Conceptionis* nomine vtatur. Quæro abs te, an in his locis vocem in eodem ſenſu accipiat, an in diuerſis? vt ſemel in vna, iterū aut tertio in alia ſignificatione Pontifex loquatur? Hoc ſecundum aſſerere quid aliud eſſet, quā in verbis Gregorij ludere, & ipſum notare, quòd data opera tenebras offundat decreto ſuo, & in æquiuoco laboret? Naturalis animatio, & ſanctificatio diuerſiſsimæ res ſunt, altera opus naturæ, 4.

altera gratiæ. Quis credat in paucisſimis verbis eandem vocem ſimpliciter prolatam nunc naturæ opus, nunc ſanctificationem ſignificare? Romani Pontifices magnam curam adhibent, vt in ſuis decretis quàm clariſsimis verbis vtantur, ne vllus dubitationi, aut interpretationi relinquatur locus. Ideò ſæpeſæpius pluribus vocabulis eandem rem proferunt, nempé vt clariſsime explicent, & mentem ſuam omnibus aperiant. Hæc cum ſit Sedis Apoſtolicæ perpetua cura, vnus Gregorius in paucis lineis vna voce Conceptionis diuerſiſsimas res voluit intelligi nunc hanc, & ſtatim aliam? Minimè id quidẽ. Neque enim Pontifex committeret, quod cuicumque priuato ſcriptori vitio verteretur, vt ambiguus ſit, & lubricus ſenſu, atque Protei inſtar varias ſignificandi formas repente mutet, & lectorem illudat. Affirmandum ergo omnino eſt Gregorium quoties in ſuo decreto Conceptionis vocabulum vſurpat, in eodem prorſus ſenſu accipere.

5. Atqui euidens eſt cum primùm protulit, de naturali Conceptione locutum, non de ſanctificatione præcisè ſumpta. Ergo manifeſtum etiã eſt in eodem ſenſu accipere vocem, cum eam repetit. Adeat decretum lector, & perlegat, non alia probatione opus eſt. Præcipit in primis nequis etiam priuatim audeat aſſerere, *quòd Beatiſsi-*

Digitized by Google

na Virgo ſuerit Concepta in peccato originali. Ecce vox *Concepta* non ſanctificatam, ſed genitam in vtero ſignificat. Addit ſtatim, vt conſtitutiones prædeceſſorum ſuorum, *ſuper Conceptione Beatiſsimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant*, at prædeceſſores Cōceptionis nomine naturalem intelligunt. Hæc eſt enim ſubiectum opinionum, quarum altera in peccato factam defendit, altera in gratia; de quibus opinionibus ipſi in illis conſtitutionibus multa decernunt. Deinde ſubdit Gregorius: *Cum ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret; omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſecularibus, quàm cuiuſuis ordinis, & inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quàm priuatim, non alio quàm Cōceptionis nomine vti debeant.* Audis feſtum de Conceptione celebrari ab Eccleſia. Cuius obſecro Conceptionis niſi illius, de qua proximè fuerat ſermo? Niſi illius, quam in peccato originali factum fuiſſe affirmare ab aliquo prohibet? Niſi illius, ſuper qua aliorum Pontificum conſtitutiones firmas, & illibatas fore decreuerat? At hæc Conceptio naturalis eſt, vt res ipſa docet, ergo de ea perpetuò loquitur Pontifex.

Reſpondebis fortaſſe, duobus primis locis ſermonem eſſe de Conceptione, vt ſignificat natu- 6.

ræ opus, duobus vero poſterioribus, vt ſanctificationem importat. Neque in hoc eſſe vitium æquiuocationis, nam materies ipſa, de qua agitur ſatis diuerſitatem ſenſuũ indicat, & poſcit. Prioribus enim locis ſermo eſt de opinionibus, poſterioribus de feſto, & Officio diuino. Subiectum opinionum eſt corporalis Cõceptio, de hac enim diſputatur, an fuerit in peccato, an in gratia; hæc autem non poteſt eſſe ſubiectum cultus, & feſti, cum Eccleſia non niſi certam, & indubitatam ſanctitatem colat. Quare nil mirum ſi, cum de opinionibus agitur, vox *Conceptio* naturæ opus ſignificet, cum de feſto, ſanctificationem.

7. Sed hoc commentum, præterquamquod non effugit vim argumẽti facti, ſatis ſuperque exploſum eſt capitibus præcedentibus, vbi oſtendimus Eccleſiam Romanam feſtum agere de illa Cõceptione, de qua eſt inter opiniones diſſenſio, quare idem prorſus ſignificat vox, quantùm eſt ex ſe, ſiue ponatur in diſputatione, ſiue in officio. ſed prætera ex ipſis verbis Gregorij manifeſtè occluditur effugium: cõſtat enim, cum ſecundo loco nominat Conceptionem, vtrumque coniungere, & opiniones, & Officium diuinum, ſiquidẽ vult ibi conſtitutiones prædeceſſorum ſuorum *ſuper Conceptione Beatiſsimæ Virginis firmas, & illibatas remanere*: At conſtitutiones (vt ex ipſis patet)

de opinionibus, & de feſto loquũtur. Ergo eo loco de vtriſque loquitur Gregorius; Ergo vtrumque ſub vna Conceptionis voce comprehendit; Ergo ſub vna vocabuli ſignificatione; ergo commentum eſt, quód duobus primis locis de opinionibus loquatur, poſterioribus de feſto. Falſum etiam quòd, cum de opinionibus agit, nomine Conceptionis naturæ opus intelligat; cum de feſto, ſanctificationem.

Fortaſſe huius effugij pertæſſus aliud diuerticulum quæris, aſſeriſque in eo ſecundo loco nomine Conceptionis vtrumque ſignificari. Corporalem, vt refertur ad opiniones; ſanctificationem, vt reſpicit feſtum. Sed age, ſit tibi poteſtas tam facilè mutandi ſententiam, non vides inſignem eſſe æquiuocationem, & minimè ferēdam, vt vno eodemque loco vna, & eadem vox ſemel prolata tam diuerſa ſimul ſignificata induat, imò inter ſe pugnantia? Animaduerte, quid tandem aſſeras. Quater in illo decreto meminit Conceptionis Gregorius: Primo loco accipit pro animatione tantùm, ſecũdo pro animatione, & ſanctificatione, tertio, & quarto pro ſanctificatione duntaxat. Quis non miretur tam ſubitas ſignificandi mutationes, tam lubricã ſermonis ſtructurã? Imo quis nõ rideat? Hæc portẽta nobis obtrudere vis; ſed nil aliud agis, quã vt te ridẽdũ propines 8

9. Sed (quocumque te vertas) ex tuis aſſertis apertè oſtendam Gregorium nomine Conceptionis intelligere animationem, non ſolum primo, & ſecundo loco, cum loquitur de opinionibus, ſed etiam tertio, cum de feſto tantùm ſermonem inſtituit; vt inde iam intelligas quarto etiam loco (vbi de feſto duntaxat agit) atque adeò ſemper, in eodem ſenſu vocem accipere nempè pro animatione, non pro ſanctificatione. Verba Pontificis ſunt: *Cum ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret.* Hic loquitur de feſto, quod Eccleſia Romana celebrauerat vſque ad tempus decreti. At hoc feſtum per te non erat de ſanctificatione præciſè, ſed de Conceptione naturali. Neque hoc audebis negare, niſi tibi ipſi contrarius ſis. Aſſeris enim diuerſam eſſe acceptionem Conceptionis ante Gregorium, & poſt ipſum, & vigore decreti eius accipi pro ſanctificatione. Ergo ante hoc decretum non ita accipiebatur, alioquim ineptè diſtinguis tempora ante hunc Pōtificem, & poſt eius decretum. Ergo Eccleſia Romana ante Gregorium celebrabat feſtum Conceptionis, vt ſignificat animationem in vtero, ergo ſub eodem ſenſu loquitur Gregorius de hoc feſto illo tertio loco, quandoquidem ibi narrat, quid vſq; ad eius tempora egerit Eccleſia Romana. Ergo

in

in decreto Gregorij vox *Conceptio* ſignificat animationem in vtero, non ſolúm vbi de opinionibus eſt ſermo, ſed etiam tertio loco, vbi de feſto.

Hoc ipſum preſius, & clarius vrgētur. Ideò aſſeris Libello 1. num. 1. & Libello 2. num. 4. vigore Gregoriani decreti Conceptionem accipi pro ſāctificatione, quia hic Pōtifex iuſsit, vt omnes omnino non alio quā Conceptionis nomine in Officio diuino vtantur, cum antea aliquibus liberum eſſet vti nomine ſanctificationis. Quare cum hoc præcipiens addat nullum ſe velle affirmatiuæ ſententiæ inferre præiudicium, nouam hanc voci ſignificationem impertiuit. Alioquim (vt tu argumentaris) ſibi eſſet contrarius, præiudicium enim intuliſſet. Hæc cum ita ſint te authore, fatearis neceſſe eſt hanc facultatem accipiendi Conceptionem pro ſanctificatione factā fuiſſe illis verbis, quibus prohibuit omnibus ne alio quám Conceptionis nomine vtantur, ergo ante quam hæc verba prohibitiua proferret, vox Conceptionis non habebat eam ſignificationē. Quandoquidem vigore illius præcepti habet, ergo quoties in ſuo decreto, antequam hoc præciperet, protulit vocem *Conceptio* (protulit autem ter) pro animatione in vtero accepit, non pro ſanctificatione; tunc enim nondum lata erat lex, at- 10.

que adeó nondum data facultas nouæ ſignificationis, quæ vigore huius legis vim habet. Ergo non ſolúm primo, & ſecundo loco, ſed tertio (vbi de feſto Romanæ Eccleſiæ agit) nomine Cõceptionis animationem in vtero, nõ ſanctificationẽ præciſe intelligit. Atque hinc tandẽ conuincitur in eodem ſenſu loqui Pontificem quarto loco, vbi præcipit, vt omnes non alio quám Conceptionis nomine vtantur: ibi enim agit etiam de feſto.

11. Vnum tibi reſtat effugium Gregorium tribus primis locis, quando nondum vſum vocis Conceptio omnibus indixerat, pro animatione accepiſſe, certé non pro ſanctificatione præciſè, at quarto loco, vbi aſſertoribus vtriuſque ſententiæ communem facit in Officio diuino Conceptionis vocabulum, commune etiam ſignificatum tribuiſſe, nempé ſanctificationis, vt abſtrahit à tem pore. Huc ſi tandem devenias, nullum non moues lapidem, vt decreto Pontificis denſiſsimas tenebras offundas, vt cum folijs Sybillinis, aut Apollinis reſponſis certare de obſcuritate poſſit. Neque iam (vt ſupra expendebamus) bis, aut ter mutata erit ſignificatio vocis, ſed toties quoties prolata; nam primo loco Conceptio eſt animatio in vtero, agitur enim ibi de ſententia affirmante peccatum originale. Secundò, animatio-

nem

nem ſimul, & ſanctificationem à tempore abſtrahentem ſignificat, quia ſermo eſt de opinionibus ſimul, & feſto. Tertiò loco animationem duntaxat præ ſe fert, quia de feſto ante Gregorium agitur. Quartò demum ſanctificationem præciſè ſonat, quia præcipit, vt omnes Conceptionis voce vtantur. Hoc ſi non eſt illudere verbis Pontificis, quid aliut ſit, non video.

Sed euidenti ratione oſtendamus Gregorium eodem prorſus ſenſu accipere nomen Conceptionis cum de ea ab Eccleſia Romana feſtum celebrare commemorat, & cum præcipit, vt omnes non alia voce in Officio diuino vtantur. Expende integra verba: *Inſuper eadem ſanctitas ſua, cum ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſvis ordinis, & inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim non alio quā Conceptionis nomine vti debeant*. His verbis non ſolùm præcipit, quid agendum ſit, ſed reddit etiam rationē, cur id præcipiat. Nempè vult, vt ab omnibus ſub Conceptionis voce feſtum celebretur, quia ſub hoc nomine celebrat Romana Eccleſia. Æquum autem eſt, vt omnes ei conformentur, neque aliam vocem, quàm ipſa, vſurpent in offi- 12.

cio diuino. Ergo præcipit, vt in eodem ſenſu vocem accipiant, quo accipit Eccleſia Romana: at Romana Eccleſia, vt oſtendimus, nomine Conceptionis animationem Virginis in vtero celebrat, ergo hanc ab omnibus celebrari iubet Gregorius. Alioquim periret conformatio ritus, quā intendit: ipſe etiam recederet á ſenſu Romanæ Eccleſiæ nouum introducens; denique ineptiſsimam ſui decreti, imò pugnantem cum eo, cauſam redidiſſet. Hic enim eſſet ſenſus: *Cum ſancta Romana Eccleſia de Virginis Conceptione, hoc eſt, animatione in vtero feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis, &c. mandamus, ac præcipimus vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis non alio nomine vtantur, quam Conceptionis, non vt ſignificat animationem, ſed ſanctificationem præcisè.* Quod perinde eſſet ac ſi diceret: *Præcipimus, vt quia Eccleſia Romana nomine Conceptionis animationem intelligit, omnes deinceps non intelligant, ſed à ſenſu Romanæ Eccleſiæ ex præſcripto noſtro diſcedant.* Quid abſurdius? non te pudet commenti, quod te in has anguſtias adigit? I nunc, & finge vigore Gregoriani decreti nomine Conceptionis ſanctificationem intelligi.

13. Quartum argumentum ſit. Gregorius in hoc decreto prohibet vſum vocis *Sanctificatio* in Officio diuino: ergo prohibet ſignificationem eius.

Ergo eam non tribuit voci Conceptionis. Antecedens adeò certúm eſt, vt potiſsima cauſa decreti fuerit interdicere hanc vocem, qua aliqui adhuc vtebantur. Certé non negabis ex vi decreti excluſum ab Officio diuino vocabulum ſanctificationis: quod ſi excluſum eſt, ergo prohibita etiam eius ſignificatio abſtrahens, & indifferens. Voces enim nō ob aliam cauſam eliguntur, aut reſpuuntur, quam propter ſenſum, & ſignificationem, quod ſi ſenſus vocis *Sanctificatio* exulat ab Officio diuino ex vi decreti Gregoriani; quis ſanæ mentis aſſerat tributum voci *Conceptio* vigore eiuſdem decreti? an idem præcipitur, & vetatur? Repete quæ diximus cap. 10. num. 20.

Reſpondebis te non aſſerere Gregorium in hoc decreto præcepiſſe, vt omnes nomine Conceptionis intelligant ſanctificationem, ſed vt omnes vtantur nomine Conceptionis, & nō alio; de ſenſu vero vocis liberum reliquiſſe ſectatoribus vtriuſque ſententiæ, vt quiſque iuxta ſuam opinionem intelligat, alij præſeruationem, alij ſanctificationem. Ita plané ſentis in ſecundo Libello num. 4. vbi inquis: *Cum aduerſarij ſub Gregorio XV. ſummo conatu partis aſſirmantis præiudiciū exquirunt, decretum prodijt vtramque ſententiam in ſua probabilitate confirmans, cuius vigore Fratres prædicatores nomine Conceptionis ſanctificationem intelligunt,* 14.

aduerſarij vero præſeruationem. Quibus verbis oſtē dis præceptum duntaxat eſſe de voce, non de ſenſu poteſtatēque factam cuilibet iuxta ſuam opinionem accipiendi. Nam ſi vigore huius decreti alij ſanctificationem, alij præſeruationem intelligunt; iure, & licitè intelligunt. Sed hæc, & á veritate ſunt prorſus aliena, & tuis effatis contraria. In primis velim mihi explices, quî poſsint hæc cohærere, cum illis quæ ſtatim num. 6. addis: *En ergo temporum diſtinctio neceſſario attendenda ſiquidem aliquando idem erat dicere apud plures Conceptio, & Immaculata Conceptio, at poſt Gregorium non idem ſonat.* Qui ſunt, obſecro, iſti *plures*, apud quos ante Gregorium idem erat *Conceptio, & Immaculata Conceptio*, niſi illi qui Immaculatam defendebant? At apud hos idem adhuc ſignificat poſt Gregorium, & quidem authore etiam Gregorio. Siquidem vigore decreti ab eo editi nomine Conceptionis *Præſeruationem* intelligunt. An aliud eſt Immaculata Conceptio, & præſeruatio? Ergo cum num. 6. aſſeris poſt Gregorium vocem Conceptio, *non idem ſonare*, quod Immaculata Conceptio; tibi ipſi aduerſaris, qui quarto affimaueras vigore decreti Gregoriani fautores Immaculatæ præſeruationem intelligere nomine Conceptionis.

15. Hoc prælium, quod tecum inis, clarius accipe

ante Gregorium apud plures(vt inquis Libello 1.num.1.& Libello 2.num.6.) idem erat Conceptio,& Immaculata Conceptio, nempe apud defenſores negatiuæ ſententiæ. Et apud eoſdem (vt inquis Libello 2.num.3.) Conceptio præſeruationem importabat. Rurſum apud affirmatiuæ ſectatores Conceptio in officio Eccleſiæ Romanæ non aliud quàm ſanctificationem à tempore abſtrahentē ſignificabat,etiam ante Gregoriū vt tu ipſe adſtruis eodem ſecundo Libello, num. 17.18.& 19.dum ais,ex Eccleſiæ ſenſu nunquam celebrari Conceptionem in primo inſtanti, ſed ſanctificationem, referſque Diuum Thomam, & Bellarminum.Itaque(te etiam authore) ante Gregorij tempora Conceptio, vt eſt in Officio diuino vtramque ſignificationem habebat; nam fautoribus Immaculatæ ſignificabat præſeruationem,aduerſarijs ſanctificationem. Has eaſdem ſignificationes modo tribuis poſt Gregorium, imó vigore decreti ſui aſſeris fratres Prædicatores nomine Conceptionis, Sanctificationem intelligere,aduerſarios vero præſeruationem:ergo per te ſemper eaſdē habuit ſignificationes apud diuerſos. Ergo fruſtra diſtinguis tempora ante Gregorium,& poſt ipſum, tecumque ipſe pugnas,dum ais poſt Gregorium vocem *Conceptio* nō idem ſonare,quod ante ipſum.

Digitized by Google

16. Præterea, cum aſſeris vigore decreti Gregoriani alios intelligere ſanctificationem, alios præſeruationem, quaſi liberum ſit vniquique iuxta ſuã opinionem vocabulum Conceptionis intelligere; tecum etiam pugnas. Nam Libello 1. num. 5. ais, *curandum eſt, vt hoc nomen maneat in ſua indifferẽtia, & non vſurpetur, vt antea pro Conceptione Immaculata*, & num. 7. Tribunal Inquiſitionis Romanæ inhærendo decreto Gregorij non permitere addi Conceptioni terminum Immaculatæ, ne videlicet per adiunctum epiteton diſtrahatur ſenſus huius nominis Conceptio, quod de ſe indifferens eſt, à proprio ſignificatu. Si vigore decreti Gregoriani defenſores Immaculatæ poſſunt nomine Conceptionis intelligere præſeruationem; ergo non eſt curandum, vt non vſurpetur, vt antea pro Conceptione Immaculata. Hoc enim erit curare, vt decretum Gregorianum amittat ſuum vigorem. Rurſum ſi vigore huius decreti poſſunt nomine Conceptionis intelligere præſeruationem, immerito Tribunal Romanum non permitit addi Conceptioni terminum Immaculatæ. Nam ſi licet mihi Conceptionem dicere præſeruatam, cur non licebit dicere Immaculatam, cum præſeruatio Immaculata ſit? Imó id non permittens nõ inhæret decreto, cum potius tollat libertatem, quam vtrique parti facit decre-

tum;

tum accipiendi Conceptionem, vel pro Sanctificatione, vel pro Præſeruatione.

Sed quidquid ſit de pugna, qua tecum confligis, falſum omnino eſt decreto Gregoriano ſolũ præcipi vſum vocis, non ſenſum, falſum etiam, liberum eſſe partibus iuxta ſuam opinionem vocem accipere, aut pro ſanctificatione, aut pro præſeruatione, quod ita oſtendo. Gregorius præcipit vſum vocis Conceptio, ergo præcipit ſenſum, & ſignificationem eius. Voces enim, vt ſæpius diximus, non iubentur, aut vetantur, niſi propter ſignificationem. Quare ridiculum eſt præcipi vocem, & non præcipi ſenſum. Quid enim aliud eſſet, quàm inanem ſoni prolationem ſeu articulationem iuberi, quæ pſytaco etiam ſine mente per naturam licet? Hinc etiam fit non eſſe liberum ſectatoribus vtriuſq; opinionis, cum in Officio diuino vtuntur voce *Conceptio*, eam accipere pro ſua quemque ſententia; ſed ab vtriſque eodem omnino ſenſu accipiẽdam eſſe, eo videlicet, quo Romana Eccleſia accipit. Hic autem cum neceſſario ſit vnus, & ſimplex, non poteſt vtrique ſententiæ, quatenus inter ſe differunt, deſeruire. Vnde ſi cum vna conueniat ſenſus Eccleſiæ, ab altera diſcordare neceſſe eſt, & tamen huius authores (quidquid priuatim ſentiant) debent non in priuato ſenſu, ſed 172

in ſentu Eccleſiæ vocem in Officio diuino proferre, vt hac ratione verè, & re ipſa, non fictè, & apparenter cum Eccleſia conformentur. Hæc eſt planiſsima, & manifeſta Gregorij mens, dum præcipit, vt omnes non alio, quam Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino.

18. Nunc quæro abs te, in quo ſenſu accipiat Gregorius, & Eccleſia Romana vocem *Conceptio* in Officio diuino? Si dicas ſignificare animationem in vtero, quæ ratione ſanctitatis, cui tunc coniuncta eſt, colatur; ergo vigore decreti Gregoriani non poſſunt Fratres Prædicatores intelligere ſanctificationem, vt abſtrahit á circunſtantia temporis, is enim non eſt ſenſus Eccleſiæ: ſi dicas ſignificare hanc ſanctificationem, ergo fautores Immaculatæ non poſſunt vigore eiuſdem decreti præſeruationem intelligere propter eandem rationem. Quare, quidquid aſſeras de ſenſu ex mēte Eccleſiæ, falſum eſt, quod dicis vigore Gregoriani decreti Fratres Prædicatores nomine Conceptionis ſanctificationem intelligere, aduerſarios verò præſeruationem, quaſi hoc vtriſque per decretum liceat; nam vnius tātum partis ſenſum Pontifex admittit, alterius prohibet. Manet ergo integra vis quarti argumenti prohiberi á Gregorio in Officio diuino intelligi nomine Conceptionis ſanctificationem, eo

ipſo quòd prohibet vſum vocis *Sanctificatio.*

Quintum argumentum ſit. Gregorius dum 19.
præcipit, vt omnes ſub nomine Conceptionis feſtum celebrent, non præcipit celebrari in ſenſu, quem tanquam erroneum damnauit Eccleſia Romana; ſed intelligere in Officio diuino nomine Conceptionis ſanctificationem præciſe, eſt error damnatus ab Eccleſia Romana; ergo eum ſenſum non tribuit Gregorius voci, niſi velis ipſum damnatos ab Eccleſia errores præcipere, & amplecti. Hunc autem ſenſum damnatum fuiſſe ab Eccleſia conſtat ex conſtitutione Sixti Quarti, quam adduximus cap. 7. num. 8. vbi reprobat, & damnat tanquam falſam, & erroneam, & á veritate alienam aſſertionem eorum, qui affirmare præſumunt ſanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali duntaxat Conceptione, & ſanctificatione Virginis feſtum celebrare.

Reſpondebis fortaſſe Sixtum ſolúm damnaſſe 20.
eum, qui dixerit Eccleſiam Romanam celebrare feſtum de ſanctificatione duntaxat, non verò eum, qui vtens alio Breuiario quám Romano celebrat de ſola ſanctificatione, hoc enim liberum reliquit Ponfex, ſiquidem eius tempore, & poſt ipſum vſque ad Gregorium XV. Breuiarium Dominicanum non de Conceptione, ſed de ſanctificatione colit feſtũ; idq; cõceſsit Iulius III.

quare cum Dominicani ex præcepto Gregorij in ſuo etiam officio reponunt vocem *Conceptio*, & intelligunt ſanctificationem, nihil faciunt contra decretum Sixti, non enim eum ſenſum tribuunt Eccleſiæ Romanæ, aut Romano Breuiario, ſed ſibi, & ſuo; quod tamen neque prohibuit Sixtus, neque prohibet Gregorius, qui ſolum præcipit, vt non alia voce quàm Conceptionis vtantur.

21. Sed in primis in hac ſolutione fateris Dominicanos non celebrare feſtum Conceptionis in eo ſenſu, in quo celebrat Romana Eccleſia; quod ſatis nobis eſt, vt cauſam, quam defendis, ſuſpectam, & ingratam omnibus facias. Quis enim tutior, & ſanior ſenſus, quàm Eccleſiæ Romanæ? Sed addimus poſt decretum Gregorij non licere ijs etiam, qui alio quàm Romano Breuiario, & Miſſali vtuntur, alio ſenſu, quàm Eccleſiæ Romanæ, celebrare hoc feſtum, eo ipſo quòd eis nõ licet alio nomine quàm Conceptionis vti, quo vtitur Eccleſia Romana, id enim conuincunt argumenta facta, præſertim quartum. Quare quamuis, qui poſt decretum Gregorij dixerit vocem *Conceptio*, vt eſt in Breuiario Dominicano, ſolùm ſignificare ſanctificationem, ſeu Conceptionem ſpiritualem non explicitè affirmet ſenſum Eccleſiæ Romanæ eſſe de ſola ſanctificatione: affir-

mat tamen implicité, & virtualiter. Cum enim neceſſariò debeat fateri teneri omnes ex vi decreti cõformari Eccleſiæ Romanæ ſicut in voce, ita & in ſenſu; planè aſſerit ſenſum Romanæ Eccleſiæ eſſe de ſola ſanctificatione, eo ipſo quòd aſſerat cuiquam licere ita accipere in Officio diuino; atque adeò reus eſt Sixtianæ conſtitutionis, & erroneum, atque damnatum ſenſum defendit. Firmum ergo manet, & inconcuſum Gregorium XV. in ſuo decreto non intelligere ſanctificationem nomine Conceptionis, imó hunc ſignificatum multo clarius, quàm alij Pontifices reſpuiſſe, quandoquidem ipſe primus vocem *Sanctificatio* prorſus ab Officio diuino exulare fecit.

Sextum argumentum eſt (præcedenti affine) ſi Gregorij mens in ſuo decreto eſſet, vt ab omnibus celebraretur hoc feſtum ſub aliqua ratione vtrique ſententiæ cõmuni nempè ſanctificationis, vt abſtrahit à tempore; non præciperet, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vterentur, ſed potius, vt non alio quàm ſanctificationis: at contra fecit, prohibuit enim vocem ſanctificationis, & iuſsit Conceptionis nomen ab omnibus vſurpari; ergo manifeſtum eſt mentẽ eius fuiſſe, vt non ſanctificatio vtcumque, ſed ipſa naturalis Conceptio, vt in ipſo primo inſtanti ſan- 22.

ĉta, ab omnibus colatur. Maior apertiſsima eſt; nam ſi Pontifex voluit, vt Sanĉtificatio præcisè ſumpta celebretur, cur abſtinuit á voce, quæ id planiſsimè ſignificat? Cur non ſolúm ab ea abſtinuit, ſed etiam prohibuit? Cur præcepit vſum vocis *Conceptio*, quæ ab eo ſenſu longiſsimé abeſt, non ſolúm ex primæua ſui inſtitutione, ſed etiam ex frequentiſsimo vſu, & communi perſuaſione? Sciebat Gregorius nomen *Conceptio* ſignificare naturæ opus in vtero, ſciebat in hoc ſenſu accipi à Summis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis, & à Romana Eccleſia in Officijs diuinis, quibus ad ipſum vſque vſa erat, ſciebat penè vniuerſum populum Chriſtianum in hoc ſenſu celebrare feſtũ Conceptionis, ſibique perſuaſum habere in eo coli, & proponi ab Eccleſia colendum: ſi ergo, vel hunc ſenſum mutare voluit, vel hunc communem errorem, & falſam exiſtimationem extirpare; quæ prudentia fuit retinere vocem *Conceptio*, quæ huic exiſtimationi iuſtiſsimam anſam præbet, & non potius ea relegata præcipere vocem *Sanĉtificatio*, vt omnibus manifeſta eſſet mens Eccleſiæ? Qui videt prohiberi in Officio diuino nomen *Sanĉtificatio*, & præcipi vocem *Conceptio*, quid credat, niſi non placere Eccleſiæ, vt ſola ſanĉtificatio Virginis abſtrahens à tempore celebretur, ſed potius eius naturalis Conceptio,

quæ in primo inſtanti coniuncta fuerit cum gratia?

Rectiſsimè Caietanus aiebat loco ſupra citato ſupponens ſolam ſanctificationem celebrari *propterea rationabiliter ab omnibus debere celebrari diē Conceptionis ſub nomine Sanctificationis*, redditque optimam rationem: *vt nomen conſonaret rei.* Itaque authore Caietano irrationabiliter ſola ſanctificatio ſub nomine Conceptionis colitur. Quare ſi vidiſſet vir Doctiſsimus Pontificem prohibentem in Officio diuino vocem *Sanctificatio*, & præcipientem, vt omnes Conceptionis nomine vtātur; planè agnouiſſet Eccleſiæ mentem non eſſe, vt ſola ſanctificatio celebretur (quod ipſe putabat) ſed naturalis ipſa, & corporalis Conceptio. Sanè pauló ante affirmauerat argumentũ, quod ex feſto Conceptionis ſumitur pro Immaculata, deficere; *quia multæ* (inquit) *Eccleſiæ ſunt per orbem diffuſæ celebrantes in illo die ſanctificationem, & in hoc Eccleſia vnumquemque in ſuo ſenſu abundare permittit.* Ergo ſi vidiſſet hanc libertatem ſublatam ex Gregorij decreto, & prohibitam in Officio diuino vocem *Sanctificatio*, agnoſceret vim argumenti, fatereturque Conceptionē ipſam coli; vidiſſet etiam ex mente Eccleſiæ conſonare nomen rei celebrando ſub nomine Conceptionis, excluſa voce ſanctificationis, atque adeò non celebrari 23.

ab

ab Eccleſia ſanctificationem præcisè, ſed Conceptionem, vt Sanctam. Cum ergo Gregorius tam diſtrictè præcipiat, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, excludatque nomen ſanctificationis; euidens eſt voluiſſe, vt non ſola ſanctificatio colatur, ſed aliquid magis determinatum, & pertinens ad primum inſtans, quod voce *Conceptio* ſignificatur, Prorſuſque eſſe alienum á mente eius ſub hac voce ſanctificationem intelligere.

24. Et, vt à contrario ſenſu ſumamus argumentũ, dic mihi Libellator, fatere ingenuè, ſi Gregorianum decretum ita haberet: *Omnibus, & ſingulis mãdat, ac præcipit, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quàm priuatim non alio quàm ſanctificationis nomine vti debeant*, quid ageres? Quas choreas non duceres? Quibus tripudijs non celebrares decretum? Clamares actũ eſſe de feſto Conceptionis; ſanctificationis vocem præceptam, Cõceptionis excluſam, obſtruſum os Immaculatæ defenſoribus ſaltem in Officio diuino. Sanè mœrerent ipſi, tu exultares, & meritó. Hæc cum ita ſint (nam conſcientiam tuã teſtem inuoco) quid monſtri eſt, cum Pontifex é contrario ſanctificationis vocem excluſerit, Cõceptionis præceperit; velle tibi integras eaſdem lætandi cauſas, & in contrarijs omnino decretis

eun-

eundem ſenſum comminiſci? Si tunc Immaculatæ aſſertores contenderent ſanctificationis voce præſeruationem ſignificari; obſtreperes, rideres, ſibilares, & tamen multo probabilius id dicerent, quàm tu modo Conceptionis voce ſignificari ſanctificationem. Nam vox *Sanctificatio*, ſicut abſtrahit à tempore, ita non pugnat cum primo inſtanti; ſed poteſt ab eo determinari, atque adeò non excludit præſeruationem: at vox *Conceptio* ſicut determinatè concernit primum inſtans, ita compati non poteſt cum illa indifferentia ſanctificationis, ſed eam neceſſariò, aut determinat, aut excludit. Dicerent ergo Immaculatæ aſſertores Pontificem nomine ſanctificationis intellexiſſe præſeruationem in primo inſtanti, voluiſſe tamen tantùm exprimere, quod pertinet ad obiectum primarium cultus, nempé ſanctitatem, & gratiam, nam circunſtantia temporis, quid extrinſecum eſt. Hac ratione multo probabilius defenderent nomine ſanctificationis præſeruationem intelligi, quàm tu defendis nomine Cōceptionis, quæ naturæ opus exprimit, ſignificari ſanctificationem, quæ ad ſupernaturalē ordinem ſpectat. Si ergo illorum explicationem nihilominus in eo caſu reijceres, & meritò; quî non vides tuam multò digniorem eſſe, quæ reſpuatur?

25. Septimum argumentum ſit. Gregorius in eo ſenſu præcipit ab omnibus celebrari Conceptionem, quo Eccleſia Romana celebrabat, cum ipſe edidit decretum, & quo hodie celebrat; ſed in Officio diuino, quo Eccleſia tunc vtebatur, & hodie vtitur, Conceptio ſignificat naturalem, & corporalem Virginis in vtero generationem, qua anima infuſſa eſt corpori; ergo hãc celebrare præcipit Gregorius. Maior conſtat ex dictis, & tum etiam, quia alioquin receſsiſſet hodie Eccleſia à Gregorij decreto. Minor etiam eſt certa, quia Eccleſia hodie celebrat Conceptionem Virginis, *ex ſemine Abrahæ, ex progenie Dauid*, quæ euidentiſſimè naturalis, & corporalis eſt, vt expendimus cap. 9. num. 7. & 8.

26. Denique, vt de ſua mente Gregorius ipſe teſtetur (& erit octauum argumentum) duas eius epiſtolas poſt decretum ſcriptas in medium libuit producere, alteram ad Philippum Quartum Regem Catholicũ, alteram ad Margaritam eius amitam, monialem in Regio monaſterio Matritenſi, Ordinis Seraphici, quod vocant *Excalceatarum*. Scripſerant ad ipſum Gregorium enixè orãtes, vt Apoſtolica diffinitione controuerſiam dirimeret, declararetque Beatiſsimam Virginem Conceptam fuiſſe ſine peccato originali. Pontifex ita reſpondet Philippo.

GRE-

GREGORIVS PAPA XV.

Philippo Regi Hiſpaniarum.

CHariſsimè in Chriſto fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Catholicæ Religionis decus, & Auſtriacæ pietatis argumentum eſt Regem potentiſsimum, cui vtriuſque orbis Prouinciæ ampliſsimæ famulantur, tanto ſtudio ſanctorum laudibus, & B. Virginis dignitati inſeruire. Benedicimus Maieſtati tuæ, chariſsimè fili, dignamque tibi à Dominantium Domino Regia pietate fælicitatem precamur. Sanè tibi, & populorum fidem, & hoſtium oppræſsionem polliceri haud temerè poſſumus, cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare ſtudes, quam terribilem eſſe, vt caſtrorũ aciem ordinatam diuina oracula teſtantur. Vix dici poteſt, quanto nos gaudio cummularint nuperæ litteræ Maieſtatis tuæ de Immaculatæ Deiparæ Conceptione diſſerentes. O curam Catholico Rege dignam, & Chriſti Vicario gratiſsimam! ne quid tamen noui tanta in re decernatur in præſentia, monet tum negotij magnitudo, tum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplum. Spiritus Sancti enim voci auſcultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuinæ ſapientiæ cathedra Chriſtiano Orbi à Deo præfecti ſumus. Quare cum nondum æterna ſapientia Eccleſiæ ſuæ tanti myſterij

penetralia patefecerit, in Dei, Romanorumque Pontificum authoritate debent fideles populi requieſcere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maieſtatis tuæ, tantumque negotium iterum accuratiuſque penſauimus, aliquod tibi, regniſque tuis ſolatium afferre cupientes. Tū autem valde timuimus, ne veterator ille ſerpens, qui boni malique ſcientiam proprijs parentibus pollicens maximis humanum genus miſerijs cumulauit, ipſius pietatis armis abutatur ad Chriſtianæ plebis pacem dirimendam. Quæ enim opinionum diſſenſio eſt, fieri poteſt animorum contentio, dum magnificum victoriæ genus pleriſq; videtur, vbi quid in controuerſiam venit, de aliorum ingenijs triumphare. Quare diſsidiorum ſemina extinguere cupientes, ante quam aſperior in iſtis prouincijs pullulet zizanij prouentus, ingeniorum peruicaciam libertatemque diſſerendi Pontificio decreto coercendā cenſuimus ex eo, & ex dilectis filijs nobilibus viris oratoribus tuis Comite Montis Regij, & Duce Alburquerque mentem noſtram vberius cognoſcet maieſtas tua. Cum enim nobis Regiam petitionem elegantiſsimè exponerent, luculenter intelligere potuerunt, quàm inuiti refragemur, & quàm alacriter ſemper gratificaturi ſumus tanto Regi, quem Europæ ornamentum, & Catholicæ Eccleſiæ gaudium eſſe arbitramur, ac Maieſtati tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſsimè impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub anullo Piſcatoris die 4. Iunij 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ex his litteris perſpicué conſtat Gregoriū, licet vt Pontifex non definierit Immaculatam 27.
Conceptionem ob cauſas, quas ipſe prudentiſsimè recenſet, tamē priuato, & proprio ſenſu addictiſsimum fuiſſe eidem Conceptioni Immaculatæ. Niſi enim ipſe in eorum numero eſſet, qui ſentiunt Virginē ſine macula originali Conceptam fuiſſe, non ſignificaret ingenti ſe gaudio cumulatū litteris Regijs, in quibus ab ipſo tā ardēter diffinitio Immaculatæ petebatur. Hanc curam *Catholico Rege dignam* pronunciat, & *Chriſti Vicario gratiſsimam.* Ingratus ergo Gregorio eſſet, ſi quis cōtrariæ partis diffinitionem ab eo poſtulaſſet. Rurſum teſtes ſuæ mentis aduocat Comitem Montis-Regij, ac Ducem Alburquerquium, qui *luculenter* (inquit) *intelligere potuerunt, quàm inuiti refragemur.* Ecce affirmat ſe inuitum non definiſſe Conceptionem Immaculatam, hoc enim eſt, quod ab ipſo enixè petebatur, & his precibus non acquieuit. Nempè iudicauit vt Pontifex nōdum adueniſſe tempus definitioni opportunum, & nondum ſatis diuinitus reſeratum eſſe myſterium; in cuius tamen honorem, & declarationem vt priuatus doctor, inclinabat. Ideò inuitū ſe refragari dicit precibus Regijs diffinitionem Immaculatæ flagitantibus. Denique ex ipſo ſuo decreto mentem ſuam vberius cognoſcendam Re-

gi

gi pronit, mentem (inquam) fauentem Immaculatæ, mentem cupientem *aliquod Regi regniſque ſuis ſolatium afferre*, mentem, quæ *inuita refragetur* poſtulatæ diffinitioni. At ſi in eo decreto nomine Cõceptionis ſolam ſanctificationem intelligeret; non ſolatium, ſed mœrorem afferre Regi regniſque ſuis non inuitum ſe abſtinere á diffinitione Immaculatæ monſtraſſet, ſed volentem; nihil induſiſſet precibus Regijs, ſed potius cauſam Immaculatæ reddidiſſet longè deteriorem. Nam Eccleſia Romana ante ipſum celebrabat Conceptionem ipſam naturalem Virginis, & hac ſolemnitate vehementer eius ſanctitatem in primo inſtanti commendabat; quo honore eam priuaſſet Gregorius, ſi non ipſam Conceptionem vt antea, ſed ſolam ſanctificationem á tempore abſtrahentem coli ab omnibus preciperet. Luce ergo clarius eſt mentem Pontificis in eo decreto eſſe, vt omnes deinceps non ſanctificationem præcisè, ſed Conceptionem Immaculatam celebrẽt, atque hac ratione præſtitit, quãtum potuit, precibus Regijs, vt quia non expediebat Immaculatam diffiniri; tamen ab omnibus ſolemni feſto celebrari præciperetur, imponereturque altum contrariæ ſententiæ ſilentium. Quo quidem decreto nihil præter diffinitionem potuit Immaculatæ fauorabilius excogitari.

Hoc

Hoc ipſum ex litteris eiuſdem Gregorij ad Margaritam licet intelligere, quæ ſic habent. 28.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Sorori Margaritæ à Cruce ſanctimoniali Regis Catholici Amitæ.

GREGORIVS PAPA XV.

Dilecta in Chriſto filia nobilis mulier, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Angelicis choris intereſſe, & beatorum gaudia in terris ante capere videntur illæ animæ, quæ à mortalium rerum contagione ſecretæ ſe ipſas Beatiſsimæ Virgini deuouerunt. Eiuſmodi fælicitatis compotem eſſe ſperamus nobilitatem tuã, quæ in Religioſis clauſtris deliteſcens animo cotidiè in cæleſtem patriam demigrare ſtudet. Cognouimus enim ex litteris tuis, & ex ſermone dilecti filij nobilis viri Comitis Montis-Regij, quanto ſtudio Deiparæ laudibus inſeruias. Ita enim ſcribis, vt tibi gloriæ principatum adipiſci videreris, ſi diſſentientes Theologorum populorumque diſputationes in vnam aliquando puriſsimæ Conceptionis ſententiam conuenirent. Verum cum ipſi Beatiſsimæ Mariæ obedientia gratior ſit, quàm ſacrificium; ij tũ

eam piè, ac ſapienter colunt, qui Apoſtolicæ authoritatis legibus ſe ipſos ſuaſque opiniones ſubijciunt. Spiritus Sanctus accuratiſsimis precibus exoratus nondum tanti Myſterij arcanum Eccleſiæ ſuæ patefecit. Nos autem non niſi eo præeunte æternitatis volumen in Chriſtianæ ſapientiæ Cathedra legere debemus. Quare in tam graui deliberatione à Pontificum Maximorum, qui nos anteceſſerunt ſententia recedendum non eſſe hoc tempore arbitramur. Obuiam quidem eundum cenſemus peruicaci cuidam ingeniorum licentiæ, aſsiduiſque Theologorum altercationibus, ne diſcordiarum pater ſimulatione pietatis animas decipiens in nimijs iſtis diſputationibus aliquando triumphet Pontificio decreto eiuſmodi periculum propellimus. Ex eo cognoſcet maieſtas tua, quam propenſa tibi voluntate gratificemur, te enim paterna charitate proſequimur quæ è regnatrice domo in ſacrum iſtud ſodalitium Chriſtianarum virtutum exempla tranſtuliſti, vt religioſas iſtas Virgines nobilitatis tuæ imittatione ad currendas diuinorum mandatorum ſemitas acrius incitares. His omnibus tibique cæleſtium conſolationum vbertatem precamur, atque Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem, ſub anullo Piſcatoris die 4. Iunij M.DC.XXII. Pontificatus noſtri, Anno ſecundo. Ioannes Ciampolus.

29. Ardebat Margarita diffinitionem Immaculatæ, quia Auſtriaca, & quia Franciſcana. Orabat enixè Gregorium, vt eam declararet, datis ad

ipſum

ipſum litteris. Reſpondet Pontifex laudans quidem pietatem, ſed cauſas ſubnectens cur á diſſinitione abſtineat. Et ne tantæ fœminæ vacuas omnino abire preces ſineret, nouo decreto ſolatur. *Ex eo* (inquit) *cognoſces, quam propenſa tibi voluntate gratificemur.* Ex decreto ne? Ita ſanè. Magnum ergo aliquid in eo decreto præſtat, quod Margaritæ gratiſsimum fuerit, nempè quod cum hactenus liberum aliquibus fuiſſet de ſanctificatione feſtum colere, quamuis Eccleſia Romana, & totus fere orbis Immaculatam Conceptionem celebraret; hanc libertatem abſtulit, iuſsitque, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vterentur. Quod ſi hoc decreto non aliud quam ſanctificationem præcepit, vbi illud eſt vnde cognoſcat Margarita *quam propenſa voluntate ei gratificetur* Gregorius? Si enim ita res haberet, reſpõderet Heroina illa. Quid ais Sanctiſsimè Pater? Decreto tuo præſeruationem, quam meus ordo Seraphicus plenis buccis concrepat, ablegas; ſanctificationem quam aduerſa pars tuetur, inducis; Conceptionis nomen, quod Eccleſia Romana, & totus pené orbis amplectitur, ſuo proprio ſignificatu exuis, & ſanctificationis induis; aliquid vtrique ſententiæ commune celebrari duntaxat præcipis, cum hactenus meæ partis ſenſus in Eccleſijs perſonauerit. Hoccine eſt mihi gratifica-

ri? Vbi eſt tua illa in me propenſa voluntas? Peto diffinitionem Immaculatæ, & vetas eius celebrationem. Neque contentus mihi negare poſtulata, aufers etiam quod iam diu poſidebamus. His & alijs meritò quæreretur Margarita; ſi ea fuiſſet mens Gregorij, quàm Libellator noſter cōminiſcitur. Sed cum Pontifex ex ipſo ſuo decreto cognoſci poſſe affirmet, quàm propenſa voluntate ipſe Heroinæ illi gratificetur, planum eſt (vel ipſo Gregorio teſte) quidquid eo decreto decernitur egregiæ favere Immaculatæ Conceptioni, atque adeò præcipi vt omnes Conceptionem naturalem Virginis colant, quam iamdiu Eccleſia Romana celebrabat. Alia argumēta quibus oſtenditur Conceptionis nomine non ſignificari ſanctificationem, petat Lector ex cap. 5. §. 19.

GREGORIVS XV. DVM PRÆcipit, vt etiam affirmatiuæ ſententiæ ſectatores, Conceptionem Immaculatam colant in Officio diuino; neque ſibi contrarius eſt, neque iniuriam illis aliquam irrogat.

CAPVT XII.

SED iam operæpretium eſt examinare argumentum quo niteris oſtendere Gregorium in ſuo decreto nomine Conceptionis intelligere ſanctificationem, quod non ſolum fideliter, ſed paulò etiam clarius, & fortaſſe neruoſius, quàm à te proponitur, hic expendemus, ne cauſari poſsis nos argumentorum tuorum vim efugere. Eſt ergo huiuſmodi: Gregorius præcipiens, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine vtantur, expreſsis verbis declarat per hoc nulli prorſus præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu, & terminis, in quibus erat ante emanatum decretum; at ſi nomine Conceptionis non intelligeret ſanctificationem vtriqueſententiæ communem, pluſquam notabile præiudicium inferret ſectatoribus affirmatiuæ: 1.

ergo ne dicamus Gregorium ſibi eſſe contrariū, neceſſariò fatendum eſt ipſum nomine Conceptionis intelligere ſanctificationem vtrique ſententiæ communem. Maior propoſitio ex ipſo decreto conſtat; minor oſtenditur, quia in eodem decreto præcipit Pontifex vt omnes (etiam ſectatores ſententiæ affirmatiuæ) vtantur in Officio diuino nomine Conceptionis, & non alio; ergo ſi intelligit de Conceptione Immaculata, aut de præſeruatione, magnum præiudicium infert illis, quandoquidem cogit, vt contrariam ſententiam, ſua poſt habita, non ſolum amplectantur in Officio diuino, ſed etiam quodammodo venerentur.

2. Confirmatur, & declaratur amplius. Ante tēpora Gregorij nullum erat præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vno nomine Cōceptionis hoc feſtum celebraretur, ſed licitū erat vniquiq; vti, quo volebat, fautoribus videlicet Immaculatæ nomine Conceptionis; aduerſarijs nomine ſanctificationis. Neque in hac libertate celebrandi vllum erat præiudiciū alicuius partis, nihil enim intererat Immaculatæ aſſertoribus, quòd aduerſarij colerent ſanctificationem, etiam poſt primū inſtans, quia ipſis licebat præſeruationem celebrare. Similiter parum curabant Dominicani, quòd aduerſarij Conceptionem Immaculatam

perſonarent cum ipſis ex æquo fas eſſet canere ſanctificationem. Itaque neutra pars præferebatur alteri in Officio diuino, ſed vnaquæque ſuũ ius ſeruabat illæſum, & ex nominum diſtinctione inferebatur, etiam in Officio diuino, opinionum diſtinctio; ergo cum Gregorius iuſsit, vt ab omnibus ſub nomine Conceptionis feſtum colatur, voluit coli aliquid in quo vtraque opinio cõueniat, alioquim ſi acciperet in ſenſu negatiuæ, libertatem alterius tolleret, quàm antea habebat, & eam contrariæ ſententiæ ſubijceret in ritu ſacro, & publico, quo quidem præter damnationẽ nullum poteſt excogitari maius præiudicium; & tamen declarat Pontifex ſe nullum prorſus inferre huic opinioni, ergo euidens eſt ex tenore decreti Conceptionem non accipi pro naturali præſeruata in primo inſtanti, ſed pro ſanctificatione, vt abſtrahit, & eſt communis vtrique ſententiæ. Confirmatur ſecundo: Gregorius præcipiens, vt omnes nõ alio quam Conceptionis nomine vtantur, voluit vt vtriuſque ſententiæ ſectatores conformarentur in Officio diuino; ſed conformitas inter diuerſa opinantes non poteſt eſſe in eo, in quo deſident, ſed in aliquo, in quo vtraque ſententia conueniat; ergo nomine Conceptionis non intelligit animationem in primo inſtanti præſeruatam (hoc enim eſt extremũ

vnius opinionis, quod alia reſpuit) ſed ſanctifica-
tionem, vt abſtrahit à tempore, in qua conuenit
vtraque ſententia, alioquin nō intenderet Ponti
fex conformitatē, ſed vnius opinionis victoriam
& ingentem alterius depreſionem.

3. Hoc argumentum, quod tuus Achiles eſt præ
terquam quod in maiori propoſitione in poſturā
facit decreto Gregorij, vt mox oſtendam, nihil
probat. Summa illius eſt: Gregorius declarat ſe
in hoc decreto nullum præiudicium inferre ſen-
tentiæ affirmatiuæ; ſed ſi præciperet, vt omnes
Conceptionem in primo inſtanti celebrent, præ-
iudicium inferret ſententiæ affirmatiuæ; ergo id
non præcipit, alioquin ſibi eſſet contrarius. Hæc
ſi eſſet eficax argumentatio, eadem ratione poſ-
ſes oſtendere Gregorium in ſuo decreto non præ
cipere ſectatoribus affirmatiuæ, vt etiam in pri-
uatis colloquijs, & ſcriptis non audeant aſſerere,
quòd B. Virgo fuit concepta cum peccato origi
nali, neque de hac opinione aliquo modo agant
ſeu tractent ſilogiſmum ſimilem tuo: Grego-
rius declarat ſe in hoc decreto nullum præiudi-
cium inferre ſententiæ affirmatiuæ; ſed ſi præci-
peret vt eius ſectatores eam non proferant in pri
uatis colloquijs, & ſcriptis, neque de ea aliquo-
modo agant, aut tractent, præiuditium illis infe-
rret; ergo id non præcipit, alioquin ſibi eſſet con-

tra-

trarius. Quare vt defendas Gregorium ſibi non eſſe contrarium, neque aliquod præiudicium vtroque præcepto inferre ſententiæ tuæ, neceſſarium tibi erit, vt ſicut nomine Conceptionis abvteris ei auferens propriam, & natiuam ſignificationem, & tribuens ſenſum ſanctificationis prorſus ab ea voce alienum; ita abvtaris verbis illis, quibus Pontifex ſententiæ tuæ ſilentium indicit, comminiſcariſque ſimile ſignificandi portentum, quo & clauſulam illam eludas, & per ſimile enigma oſtendas non eſſe accipiendam, vt ſonat, ſed in alio ſenſu, qui tibi liberā relinquat facultatem loquendi, & ſcribendi de tua ſententia, non ſolùm priuatim, quod vetat Gregorius, ſed etiam publicè, quod prohibuit Paulus Quintus, nam is etiam huic prohibitioni adiecit ſe per hoc nullum tuæ ſententiæ præiudicium inferre velle. Quod ſi hoc non audebis, vt credo; vide quid reſpondeas argumento, vt poſsis Pontificē à contradictione liberare, quamuis tibi præiudicium ſilentij intulerit, id enim nos reſpondebimus tuo, cum de præcepto vtendi nomine Conceptionis argumentaris.

Neque euades ſi dicas non eſſe præiudiciū tuæ ſentētiæ, quod ſilere iubeatur. Idem enim, & nos reſpōdebimus, nō eſſe præiudiciū ſectatorū eius, quòd in Officio diuino iubeantur Conceptionē 4.

Immaculatam colere. Neque tu vnquam oſtendes hoc eſſe præiudicium, non vero illud. Euidẽs enim eſt, ſi demus aliquod præiudicium inferri præcepto recitationis, longè maius inferri præcepto ſilentij. Hoc enim tangit directè, & immediatè ipſam opinionem, eius libertatem quodammodo lædit, cogit eam in angulo mentis delitеſcere, vt ſi vel vno verbulo foras prodeat, vapulet; iura eius, quæ vel ipſa natura concedit videtur infringere. Naturale quippe eſt, vt opinionẽ quam ſine vllo peccato poſſum mente complecti, verbis, & ſcriptis manifeſtem, naturaque ipſa conceſſit conſortium mentis, & linguæ, vt quod licitè ſine alicuius iniuria poſſum ſentire, poſsim & loqui. Quare ſi hoc iure priuor, præiudicium patior. Inutilis etiam quodammodo videtur opinio tanto ſilentio preſſa. Quid enim mihi prodeſt eam addiſcere, & tenere, ſi non licet aut eam docere, aut aliquando de ea loqui? *Sapientia enim abſcõdita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriuſque?* (*Eccleſiaſtici 41.*) Miſerum etiam eſt ſemper latere, ſemper eſſe in tenebris, communem lucem non aſpicere. Durum ſanè videtur opinionem tantorum virorum authoritate fulcitam, quæ licitè, & abſque peccato, & ſine alicuius iniuria teneri poteſt; tot incommodis afligi: & tamen iuſtiſsimè Sedes Apoſtolica tan altum ſilentium, vnde hæc om-

nia manant, ei indixit propter publicam pacem, cui priuata iura cedere debent, & alias ob cauſas.

Nihil ſimile eſt in præcepto celebrandi Conceptionem Immaculatam in Officio diuino, etiā ſectatoribus affirmatiuæ ſentētiæ impoſito. Nulla enim in hoc ſit iniuria, aut præiudicium. Non opinioni, ipſa enim nullum ius habet, vt iuxta eius ſenſum fiat ritus ſacer, neque etiam, vt ab eo excludatur oppoſita. Neque quantacumque ſit eius probabilitas, priuari poteſt Eccleſia iure ſuo præferendi aliam opinionem, & inſtituendi feſtū de Conceptione Immaculata. Si enim cuilibet priuato licet, quám maluerit opinionem ſequi, cur nō licebit Eccleſiæ, dum controuerſiam non dirimit, eligere negatiuam, vt eam hoc fauore proſequatur? At, inquis, id ferendum, vtcumque eſſet, ſi ſectatores affirmatiuæ liberos relinqueret, neque iuberet ab eis Conceptionem Immaculatam celebrari. Hoc enim quid aliud eſt, quám cogere, vt contrariam ſibi ſententiam in Officio diuino ſequantur? Hoc autem iniurium eſt, quando eis licet per Eccleſiam affirmatiuæ aſſenſum præbere, quia cum hoc præcepto ſtare non poteſt libertas aſſenſus, neque quiſquam cogi poteſt, vt contra mentem ſuam loquatur. Iure ergo ſuo priuantur, cum coguntur aliud verbis 51

proferre, quàm mente retinent. Monſtrique eſt ſimile permittere, vt affirmatiuam ſententiam ſequantur, & iubere vt profiteantur negatiuam.

6. Sed falleris vehementer, qui hæc expendis, confundis enim perſonam publicam, & priuatam neque diſtinguis inter actus, qui fiunt nomine proprio, & nomine alterius. Priuati iuris eſt opinari circa Conceptionem Virginis, & eam aut maculatam originali labe, aut Immaculatam aſſerere, at feſtum Conceptionis celebrare, Miſſam, & Officium diuinum de ea peragere, publici iuris eſt. Hoc nō præſtas vt priuatus, & nomine proprio, ſed vt miniſter Eccleſiæ, & nomine eius. Quare non ſenſu tuo, ſed ſenſu Eccleſiæ, cuius perſonam geris, facere debes. In hoc nulla tibi fit iniuria, neque priuaris iure tuo diuerſas perſonas induis, cum ſentis Virginem Conceptam fuiſſe in peccato originali, & cum Miſſam, & Officium de Conceptione recitas. Illud tuum eſt, hoc Eccleſiæ. Illud vt priuatus homo præſtas, hoc vt miniſter publicus. Atque hinc tandem diſces non eſſe contraria priuatim ſequi affirmatiuam ſententiam, & in Officio diuino celebrare Conceptionem Immaculatam, neque tibi præcipi, vt contra mētem tuam loquaris, aut aſſenſum mentis tuæ depromas; ſed tantúm ne cum alienā

per-

Digitized by Google

perſonam geris,ſenſum tuum priuatum publicæ & ſacræ actioni inſeras,ſed fidelis miniſtri inſtar. Iuxta mentem eius, cuius vicem geris loquaris, quantumvis tu aliàs ſentias. An Eccleſia non gaudebit iure,quo priuatus quiſque gaudet? At inter priuatos certiſsimi iuris eſt, vt ſi quis nomine alterius agat,aut ex mandato,aut alia ratione; non ex animi ſui ſententia, ſed ex mandatis, aut eius,cuius vice agit,loquatur,& operetur. Cum ergo Eccleſia inſtituerit hoc feſtum ſub nomine & ſenſu proprio Conceptionis, meritò iniungit omnibus,vt non alio quàm Conceptionis nomine,atque adeò non alio ſenſu, in Officio diuino vtantur.Quicumque enim hoc munere fungitur non niſi authoritate, & nomine Eccleſiæ fungitur, ſiue vtatur Miſſali, & Breuiario Romano, ſiue alio ex conceſsione Sedis Apoſtolicæ.Quare æquiſsimum eſt,vt Eccleſiæ ſe cõformet quidquid ipſe priuatim opinetur; tantumque abeſt. Vt ei aliqua in hoc fiat iniuria,vt potius ipſe grauiſsimam irroget Eccleſiæ,ſi aliter faciat; meritoque veniat puniendus tanquam infidus miniſter.Quod ſi adhuc inſiſtas grauamen quoddam eſſe cogi Conceptionem Immaculatam celebrare eos,qui contra priuatim ſentiunt, non diffiteor.Sanè ego rubore perfunderer, ſi, cum ſacrũ facio,aut officium recito,me in eas anguſtias re-

dactum ex opinione mea viderem. Tu tibi imputa, qui adhuc perſiſtis. Vel muta ſentētiam, & eo pudore liberaberis, gaudebiſque id ipſum te publicè colere, quod priuatim ſentis.

7. Vt autem intelligas non eſſe incompatibilia ex natura rei iudicium ſpeculatiuum de peccato originali in Conceptione contracto, & iudiciū practicum de colenda Immaculata Conceptione ad obediendum præcepto Eccleſiæ, audi do-

Arauxo. ctiſsimum Franciſcum de Arauxo, Epiſcopum Segouienſem 1.2.quæſt.81.art.3. vbi poſtquam laté oſtendere conatur S. Thomam pro affimatiua ſententia ſteтiſſe, mouet *pulchram* (vt ipſe appellat) quæſtionem, an ſi ſanctus Doctor vidiſſet feſtum Conceptionis ab Eccleſia Romana inſtitutū, mutaret ſentētiam? Contenditque adhuc non fuiſſe mutaturum. Idque probat, quia neque præceptum celebrandi feſtum Conceptionis, neque affectus conformandi ſe cum Romana Eccleſia, id cōuincit. Quod vt aſtruat, hæc ſcribit pag. 421. *Sed neque ſecunda ratio cogit, quia mandatum de celebrando huiuſmodi feſtum non cogit ad mutandum iudicium, quod eſt actus intellectus, niſi tantùm ad exhibendum pium affectum, & cultum præſtandum, qui eſt actus voluntatis, in obſequium B. Virginis. Eo vel maximè quòd ipſamet Apoſtolica Sedes, quæ talis feſti celebrationem indicit, teſtatur in ſuis conſtitutionibus infra*

addu-

adducendis ſe nullum praiudicium velle inferre alteri opinioni, quæ negat B. Virginis Conceptionem fuiſſe ſanctam, & Immaculatam.

Neque tertia ratio cogit: nā affectus conformandi ſe cū Romana Eccleſia non eſt incōpatibilis ex natura rei, aut ex Dei, vel Eccleſiæ ordinatione, cū retentione proprij iudicij, ac opinionis negantis Immaculatā Virginis Cōceptionem, ob rationem nuper aſsignatam. Vnde diſcipuli Angelici præceptoris cum retentione propriæ opinionis ſe laudabiler cum Eccleſia conformant in celebrando indictum ab ipſa Conceptionis feſtum. Mirum autem eſſet formas ſiue actus compatibiles ſimul in diſcipulis, fore incompatibiles in Magiſtro, & eiuſdem opinionis authore. 8.

Ecce ſapientiſsimus Thomiſta fatetur in primis feſtum, quod hodie celebrat Eccleſia, eſſe de Immaculata Conceptione. Deinde explicat, qua ratione cum huius feſti cultu, & veneratione cōpati poſsit iudicium intellectus ſpeculatiuum de peccato originali in Conceptione contracto. Denique, quod notatu dignum eſt, teſtatur *Diſcipulos Angelici præceptoris cum retentione propriæ opinionis ſe laudabiliter cum Eccleſia conformare in celebrando indictum ab ipſa Conceptionis feſtum.* Itaque, tanti viri iudicio, tu non es diſcipulus Sancti Thomæ, qui ea laude carere vis, quæ ex conformitate cum Eccleſia naſcitur, neque Magiſtrum imitaris, qui tanta reuerentia, & affectu ſenſum 9.

Romanæ Eccleſiæ venerabatur; ſed eum, & condiſcipulos deſeris contendens Eccleſiam, & Gregorium XV. nomine Conceptionis ſanctificationem vtrique ſententiæ communem intelligere, non naturalem ipſam beneficio gratiæ præſeruatam, quod tui hodie fatentur.

10. Huc etiam attinet, quod idem vir doctiſsimus ſcribit pag. 423. reſpondens tertio argumēto: *Ad tertium denique argumentum admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia ob rationem iam ſuperius aſſignatam: nimirum quòd affectus conformandi ſe cum Eccleſia Romana in celebratione feſti Conceptionis, non auferret ab intellectu Angelici Doctoris proprium iudicium circa modum ipſius Conceptionis: authoritas namque Eccleſiæ indicens tale feſtum cogit ad cultum nouo modo Beatæ Virgini exhibendum, qui eſt actus voluntatis: nō ad antiquum iudicium intellectus mutandum.* Ecce iterum agnoſcit feſtum eſſe de Immaculata Conceptione, cum cuius tamen cultu *nouo modo*, exhibito, qui actus eſt voluntatis, compatiatur antiquum intellectus iudicium de peccato in Conceptione contracto.

11. Sed (fateor ingenij mei tarditatem) non ſatis intelligo quam aptè cum prædictis cohereant, quæ mox ſubijcit: *In cuius ſignum Apoſtolica Sedes feſtum ipſum Conceptionis noluit ſub nomine Immaculatæ, niſi tantùm ſub nomine Conceptionis ſimpliciter indicere*

cele-

celebrandum, & ſi ad primum fuerit rogatus non ſegniter ab excellentiſsimo Duce de Alcalà Catholici Regis legato ad pedum oſculationem, & obedientiam præſtandam Romam miſſo Sanctiſsimus Vrbanus VIII. renuiſſe fertur, ne leui ſaltem hoc præiudicio alteram opinionem negantem contra ſuorum Prædeceſſorum decreta macularet. Oratorem Hiſpanum non petijſſe ab Vrbano, vt officium indiceretur ſub nomine Immaculatæ Conceptionis, ſed vt liceret pro libito recitari officium Nogarolis oſtendimus cap. 4. §. 1. & c. 5 §. 15. ex quibus conſtat doctiſsimum virum falſo rumore ductum hæc ſcripſiſſe, cui tamen non ſatis fidiſſe conſtat, cum non aſſerat, ſed famæ acceptum referat, dum inquit *renuiſſe fertur.* Cautè quidem, & prudenter. Sed quamuis ita contigiſſet, & Vrbanus renuiſſet feſtum Conceptionis indicere ſub nomine Immaculatæ, non videmus, quo iure hic author id feciſſe affirmet, *ne leui ſaltem hoc præiudicio alteram opinionem negantem contra ſuorum Prædeceſſorum decreta macularet.* Hæc cum his, quæ ſupra docuerat, non cohærere, imó pugnare non dubitamus. Nam ſi revera feſtum, quod celebrat Eccleſia, eſt de Conceptione Immaculata, vt ipſe fatetur, nullum nouum præiudicium inferebatur opinioni affirmanti Conceptionem fuiſſe in peccato, etiam ſi titulo feſti, aut officio adderetur vox *Immaculata*, hoc enim iam illatum

eſt ipſa feſti inſtitutione, quo Immaculata colitur ex ſenſu Eccleſiæ. Quare nihil ageret Vrbanus contra prædeceſſorum ſuorum decreta, quātum attinet ad prædictam opinionem, ſi concederet officium, in quo Immaculata exprimeretur; neque (ſi ex feſto ſub titulo Immaculatæ maculatur opinio) noua macula eam notaret, quam iā non habeat, poſtquam ex ſenſu, & mente Eccleſiæ celebratur Conceptio tanquam Immaculata, & præſeruata.

12. Hoc amplius declaratur. Hic author in verbis quæ ſupra attulimus ex pag. 421. & 423. fatetur Eccleſiam Romanam celebrare feſtum de Immaculata Conceptione, & hoc ſupponens adhuc contendit D. Thomam quamuis feſtum vidiſſet non mutaturum ſententiam de peccato originali in Conceptione contracto, idque probat, quia neque ex natura rei, neque ex Dei aut Eccleſiæ ordinatione pugnant inter ſe iudicium intellectus de peccato originali contracto, & cultus Immaculatæ, affectuſque conformandi ſe Eccleſiæ Romanæ, qui ad voluntatem ſpectant, vnde tandem concludit D. Thomam potuiſſe coniungere antiquum iudicium, cum nouo cultu, & affectu conformitatis (quia hi actus non ſunt incompatibiles) ſicut modo coniungunt eius diſcipuli, qui propriam opinionem retinent, & nihilomi-

lominus *ſe laudabiliter cum Eccleſia conformant.*

Hæc, vt ſupra dicebamus manifeſtè ſupponũt feſtum eſſe de Immaculata Cõceptione, aliquim quorſum eſt doctrina de compatibilitate propriæ opinionis cum nouo cultu, & affectu? Nam ſi nõ colitur Immaculata, ſed ſola ſanctificatio abſtra hens à tempore, fruſtra ad diſtinctionem illam actuum intellectus, & voluntatis, recurritur, æqua enim ratio eſt, ſiue quis ſentiat Virginem Conceptam fuiſſe in peccato originali, ſiue ab eo fuiſſe præſentatam: nam iudicium de ſanctificatione Virginis præcisè ſumpta commune eſt vtrique opinioni, quare neque hoc iudicium neque cultus ſecundum hanc rationem minus habet locum in eo qui peccatum in Conceptione admittit, quàm in eo, qui negat. Manifeſtum ergo eſt doctiſsimum virum, cum ad eam argumentorum ſolutionem recurrat, planè ſentire (quod veriſsimum eſt) Eccleſiam Romanam celebrare feſtum de Conceptione Immaculata, & in hoc caſu oſtendere Diuum Thomam non mutaturũ ſententiam, quia hic nouus cultus cum antiquo intellectus iudicio compatitur. 13.

Hæc cum ita ſint, quid ſibi vult illud *in cuius ſignum Apoſtolica Sedes, &c.* an Vrbanus nolluit indicere feſtum *ſub nomine Immaculatæ*, vt oſtenderet huius cultum compati poſſe cum retentione cõ- 14.

trariæ opinionis, aut Eccleſiam non cogere ad mutandum hunc aſſenſum, ſed ſolúm ad nouum cultum? Hoc enim eſt, quòd immediatè præceſſerat. Sed fruſtra id dicetur. Siue enim in officio exprimatur vox *Immaculata*, ſiue non; eandem difficultatem, & ſolutionem habet coniunctio opinionis cum cultu feſti, ſi feſtum eſt de Immaculata. Et etiam ſi Vrbanus id concederet, adhuc nõ minus certum eſſet cultum Immacultæ, & iudicium propriæ opinionis compatibilia eſſe. Quare factum Vrbani nullam cõnexionem habet cũ doctrina authoris, quæ immediatè præceſſerat, atque adeò immeritò addidit *in cuius ſignum, &c.* vnde aliud longè diuerſum inſinuat illis verbis: nempe Vrbanum renuiſſe, quia feſtum non eſt de Conceptione Immaculata, atque huc attinet ratio quam reddit: *Ne leui ſaltem hoc præiudicio alterã opinionem negantem contra ſuorum Prædeceſſorum decreta macularet.* Hæc enim ratio nullius momenti eſt, ſi feſtum iuxta Eccleſiæ mentem celebratur de Conceptione Immaculata; neque ea moueri potuit Vrbanus, niſi exiſtimans non coli Immaculatam. Vnde tandem fit Doctiſsimum virum immeritò interpretari factum Vrbani in hoc ſenſu, qui cum doctrina, quam ipſe tradiderat planê pugnat potuiſſetque ex his ipſis, quæ docet circa verum ſenſum feſti, intelligere me-

Digitized by Google

rum figmentum eſſe quo de Vrbano rumor pertulerat. Sed de his, & de quæſtione quam verſat, longior nobis futurus eſt ſermo in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis. Nunc ſatis eſt oſtendiſſe ex tanti viri doctrina compati poſſe, vt quis priuatim ſentiat Conceptionem Virginis factam fuiſſe in peccato originali, & nihilominus Eccleſiæ obediens eam, vt Immaculatam cultu publico proſequatur in Officio diuino.

Ex his ſatis ſuperque liquet lōgè maius præiudicium inferri ſententiæ affirmatiuæ ex præcepto ſilentij, quàm ſectatoribus eius ex præcepto celebrandi Conceptionem Immaculatam in Officio diuino. Quare ſi quid probat argumentum Libellatoris num. 1. & 3. factum multò fortius id concludit noſtrum. Atque adeò ſolutionis quærendæ neceſsitatem ipſi etiam incumbit. Sed age eum ab hoc onere liberamus, humeriſque noſtris ſuſcipimus, ſi tamen onus aliquod eſt, nā facillimo negotio vtrumque argumentum ſoluemus. Demus vtriuſque propoſitiones maiorē, & minorem veras eſſe (de quo poſtea) neganda tamen eſt conſequentia. Non enim rectè infertur Pontificem ſibi eſſe contrarium, quia præiudicia illa inferēs aſſerat ſe nullum præiudicium inferre velle. Nam quoties clauſula *ſine præiudicio* 15.

adhibetur, ſemper intelligi debet de alio præiudicio quàm expreſſo, ac proinde operatur tantũ ſuper præiudicijs non expreſsis, vt eſt communis ſententia. Lege Barboſam tractatu *de clauſulis*, clauſula 157. num. 5. & 6. vbi plures refert. Cum ergo Gregorius expreſsè imponat ſilentiũ ſententiæ affirmatiuæ, & expreſsé præcipiat omnibus, vt non alio quàm Conceptionis nomine vtantur; quamuis hæc ſint præiudicia, non eſt ſibi contrarius, cum ſubdit ſe nullum præiudicium inferre velle, quia ex frequenti huius clauſulæ vſu nõ refertur ad præiudicia expreſsè illata, ſed ad ea quæ non exprimuntur.

Barboſa.

16\. Sed neque hac ſolutione opus eſt, ſi verba decreti Gregoriani attendamus, poſtquam enim dixit nullum præiudicium inferre velle affirmatiuæ ſententiæ, ſed eam relinquere in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, limitat hanc clauſulam, his verbis: *Præterquam quoad in ſupra dicto fælicis recordationis Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.* Cum ergo expreſsè excipiat ea, quæ in hoc decreto diſponit, nulla cõtrarietas eſt, quod ea ſint præiudicia, & tamen aſſerat ſe nullum præiudicium inferre velle, excipit enim illa ab hac vniuerſali propoſitione.

17\. Denique materies ipſa, de qua eſt ſermo, ſatis declarat mentem Põtificis, & quid intelligat

Digitized by Google

nomine *præiudicij* agit nempè de ſententia affirmatiua quatenus opinio quædam eſt, & quam quiſque licitè poteſt amplecti, dum Eccleſia Romana aliud non diſponit. Præiudicium autem opinionis, quatenus opinio eſt; nullum aliud eſſe videtur, quàm damnatio, aut alicuius cenſuræ iniuſtio, vt ſi declaretur hæretica, erronea, temeraria, &c. aut eius aſſenſus prohibeatur, hæc enim ſi fiant, præiudicium infertur opinioni, cum iam deſinat eſſe opinio, & ſtatum prorſus mutet. Cum ergo Pontifex dicit ſe ſuo decreto non intendere vllum ſententiæ affirmatiuæ præiudiciũ inferre, de his præiudicijs loquitur, non de alijs quæ cum tolerantia opinionis compati poſſunt, & ob iuſtas cauſas inferri, adhuc non prohibita, neque damnata opinione. Huiuſmodi eſt ſilentium publicè, & priuatim. Sed quia prohibere vſum externum etiam priuatum alicuius ſententiæ, videri poſſet alicui damnatio, aut cenſura, aut aſſenſus prohibitio: ideò Pontifex, cum ſilentium indixiſſet affirmatiuæ, addidit ſe per hoc non intendere *reprobare hanc opinionem*, id eſt, eam hæreticam, aut erroneam declarare, *nec ei vllum prorſus præiudicium inferre*, id eſt, aliquam aliam cenſuram, aut aſſenſus prohibitionem, hoc enim eſſet verum præiudicium opinionis, quatenus opinio eſt. In hac autem conſideratione ſilentium

Digitized by Google

non eſt præiudicium cum non prohibeat opinionem,& euius aſſenſum, quamuis incommodum aliquod inferat. Ideó abſolutè verum eſt Pontificem nullum prorſus præiudicium inferre ſententiæ affirmatiuæ, quamuis eam ſilere iubeat.

18. Hoc idē amplius declaratur, ſi attēdamus vim, & proprietatem vocis *Præiudicium*, præiudicare enim eſt ante tempus iudicare, ſeu ante ſententiam inferre illud damnum, quod non poteſt niſi per ſententiam inferri. Vnde præiudicium propriè dictum importat læſionem iuris alieni, neq; quocumque damno præiudicatur alicui, ſed illo tantúm, quod contra ius eius infertur. Nam ſi meritó aut iure infertur, incommodum quidem erit, ſeu damnum, non veró præiudicium, niſi laxiori, & impropria ſignificatione. Cum ergo Pōtifex ea, quæ in hoc decreto ſtatuit, præcipiat obſeruari, *donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica diffinitus, vel per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicā fuerit aliter ordinatum;* ideó declarat ſe, per ea, quæ ſtatuit, nullum præiudicium inferre ſententiæ affirmatiuæ, id eſt neque eam damnare, neque aliqua nota, aut cēſura inurere, aut eam prohibere, hoc enim eſſet ante tempus iudicare, vel damnare ante ſententiam, & ideó eſſet præiudicium, cum in eo decreto non agat de diffiniendo articulo,

culo, vel dirimenda controuerſia; & dum hæc nō dirimitur à Sede Apoſtolica, vtraque ſententia ius habet, vt nullus audeat eam aliqua cenſura notare. Quod ſi quis faciat, præiudicium proprie infert, tum quia contra ius opinionis notatæ facit; tum quia iudicat ante ſententiam Eccleſiæ, ad quam duntaxat ſpectat controuerſiam de Cōceptione dirimere, & approbata vna opinione, alteram damnare. Hæc ergo præiudicia neque inferre vult Pontifex, quia nondum determinat articulum, neque interim ab alio vult inferri.

Sed non eſt eadem ratio de ſilentio ſententiæ affirmatiuæ impoſito, & de præcepto vt eius etiā ſectatores Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, quia licet hæc ſint incommoda quædam, & damna, non tamen ſunt propriè præiudicia, tum quia compatiuntur cum ſtatu opinionis & eius libero aſſenſu, & ideò non expectant diffinitiuam ſententiam controuerſiæ, ſed poſſunt ante eam irrogari; tum quia opinio affirmans nō habet ius, vt non iubeatur ſilere, ſi expediat publicæ paci, neque vt ſectatores eius non obligentur vti nomine Conceptionis in Officio diuino, etiam in ſenſu contrario, cum hoc non faciant nomine ſuo, ſed nomine Eccleſiæ, cui æquum eſt conformari in ritu publico, neque propterea pri- 19.

uantur libertate tenendi priuatim ſententiam affirmatiuam.

20. Atque hinc tandem fit, quocumque modo accipiatur vox *præiudicium* in decreto Gregorij, nullius momenti eſſe argumenta facta. Nam vel accipitur ſtricte, vel late. Si ſtricte, non ſunt præiudicia præceptum ſilendi, & recitandi officium Conceptionis, atque adeò non eſt ſibi cõtrarius Pontifex, dum hæc præcipiens addit ſe nullum præiudicium inferre velle: ſi vero accipiatur laté ſunt quidem præiudicia, nulla tamen adhuc eſt contrarietas, tum quia iuxta communem doctrinam clauſula *ſine præiudicio*, non intelligitur de expreſſo, ſed de alijs; tum quia Pontifex, expreſsè excipit ab hac clauſula, eaque in ſuo decreto diſponit, quæ ratio conuincit, etiam ſi affirmemus illa eſſe propriſsimè præiudicia. Vt ergo ſibi non ſit, aut videatur contrarius Pontifex nil opus eſt eius verba diſpoſitiua á proprio ſenſu detorquere, neque nomine Conceptionis intelligere ſanctificationem; ſed opus naturæ, quod propriè, & planè ſignificat.

21. Hæc latius expendimus, vt reſpondeamus argumento noſtro, quod propoſuimus num. 3. ſitque manifeſta mens Pontificis, dum ſententiæ affirmatiuæ ſilentium indicit, & nihilominus addit ſe per hoc non intendere vllum ei præiudi

cium inferre. Nam quod attinet ad argumentum Libellatoris num. 1. propoſitum, quo ex hac clauſula conatur inferre Gregorium nomine Conceptionis intelligere ſanctificationem, in qua vtraque ſententia conueniat, ne ſibi ſit contrarius; nulla opus eſt ex his ſolutionibus, quas dedimus, claudicat enim eius ſillogiſmus, quia maior propoſitio prorſus eſt falſa, & egregiè imponit decreto Pontificio. Verba ſunt Libelli 1. num. 1: *Contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eumdem Gregorium, vt præciperet omnibus, quòd in celebratione ſolemnitatis non alio quàm Conceptionis nomine vterentur, quod Pontifex, vt cultus eſſet magis vniformis, conceſſit innuens nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam. Quod vt magis etiam inſinuaret, declarauit expreſſis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, ſed relinqui in eodem ſtatu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum.* Qui ſic loquitur, planè affirmat Gregoriũ poſtquam præcipit, vt omnes Conceptionis nomine vtantur, adiecisse, ſe hoc præcepto nullum inferre velle præiudicium alterutri parti: At hoc prorſus falſum eſt, nam neque cum Pontifex id præcipit, vllum de præiudicio non inferendo verbum facit, neque cum facit, de vtraque ſentẽtia, ſed de affirmatiua tantùm loquitur.

22. Vtrumque planiſsimè conſtat ex ſeriè ipſa de-

creti, neq; alia probatione quã lectione opus eſt. Iubet in primis Pontifex ſectatoribus affirmatiuæ ſententiæ, ne etiam *in ſermonibus, & ſcriptis priuatis, audeãt aſſerere, quòd Beatiſsima Virgo fuerit Concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare*. Subdit ſtatim: *Per hoc tamen ſanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur*. Deinde præcipit vt in reliquis omnibus conſtitutiones Prædeceſſorum ſuorum *firmæ & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur, perinde ac ſi huiuſmodi decretum non emanaſſet*. Tandem iubet, vt omnes in Officio diuino, *non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant*. Ecce cum de Officio diuino loquitur, nullum verbum facit de præiudicio non inferendo, ſed multó ante, cum ſilentium opinioni affirmatiuæ indixerat, quod conſultó fecit Põtifex, vt manifeſtum eſſet eum nolluiſſe inferre ſententiæ affirmanti illud præiudicium, quod ex ſilentio imperato videri poterat inferri, videlicet damnationem, aut cenſuram; voluiſſe tamen illud, quod ex præcepto vtendi nomine Conceptionis ſectatoribus eius neceſſariò infertur. Vtriuſque rei æquiſsimam habuit Gregorius cauſam, quam iam reddimus.

23. Nunc diffiteri non poteſt (Libellator) te mala

fide

fide retuliſſe verba, & ſenſum decreti, planeque impoſuiſſe Pontifici, dum aſſeris eum, vt magis inſinuaret nomen *Conceptio* eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam, cum præcipit, vt omnes eo vtantur; declaraſſe *expreſsis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti.* Hoc *expreſſum* mendacium eſt, vt conſtat ex contextu. Atq; hinc tandem intelligere licet, quo loco habendus ſit vterque Libellus, & cauſa quam defendis, cuius præcipuum, imò vnicum fundamentum eſt impoſtura facta decreto Pontificio. Nunc tuũ in te retorqueo argumẽtum: Gregorius, cum præcipit, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vtantur in Officio diuino, non declarat per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti; ergo non inſinuat nomen Conceptionis eſſe de ſe indifferens ad vtramque ſententiam. Antecedens conſtat ex ipſo decreto. Conſequentia probatur, nam per te eatenus inſinuat hanc indifferentiam, quatenus præcipiens vſum vocis declarat ſe per hoc non inferre præiudicium alterutri parti, ſed hoc minimè declarat; ergo minimè inſinuat indifferentiam, ergo relinquit vocem in ſignificatu alterius partis, quem antea habebat, nempe Conceptionis naturalis.

Neque tamen vna tantùm eſt impoſtura tua, ſed duplex. Falſum enim eſt quod ais Põtificem 24.

Digitized by Google

declaraſſe *per hoc non inferri præiudicium alterutri parti*, ipſe namque de altera tantùm videlicet de ſententia affirmatiua loquitur, vt ex decreto, & eius verbis ſupra allatis manifeſtum eſt. Mirabitur fortaſſe aliquis te tam ſolicitum eſſe de incolumitate ſententiæ negantis, vt cum Pontifex eius non meminerit, cum agit de non inferendo præiudicio; tu miſertus illius ad eam etiam extendis hoc, qualecumque eſt, priuilegium, liberaliſque in aduerſarios communem facis fauorē, quo Gregorius vos ſolos proſequitur. Ego tamē neque miror, tuam enim rem agis; neque gratias ago, quia nobis nō eſt beneficiū, ſed damnū. Calleo conſilium tuum. Cupis perſuadere, Pontificem, cum præcipit omnibus vſum nominis Conceptio in Officio diuino, ſub hac voce intelligere rem vtrique ſententiæ communem, & ſicut prohibet vocem ſanctificationis, qua vtebatur ſententia affirmans, prohibere etiam ſenſum præſeruationis, quem defendit ſententia negans. Itaque contendis vtrique ſententiæ aliquid prohiberi ex vi huius decreti, quod attinet ad Officiū diuinum. Hoc vt perſuadeas, neceſſarium tibi fuit fingere Pontificem declaraſſe *per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti*, ne ſi in hac declaratione altera videatur prætermiſſa, manifeſtum, vel inde ſit, nihil in toto decreto aduerſus eam

decer-

decerni. Sed iam deprehenſus es, perſpicientq; omnes nihil opus fuiſſe, vt Pontifex declararet nullum ſuo decreto præiudicium inferri ſententiæ neganti, in cuius fauorem totum decretum eſt, quantum eſt. Superfluum enim eſſet, imò ridiculum, cum aliquē maximis beneficijs proſequeris, declarare hac munificentia nullum ei præiudicium inferri.

Atque hinc tandem robuſtum aduerſus te naſcitur argumentum: Gregorius in ſuo decreto declarat ſe non intendere vllum præiudicium inferre ſententiæ affirmatiuæ, ſed eam relinquere in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad diſpoſita in decreto Pauli V. & ſuo; hoc autem non declarat de ſententia negatiua, vt ex ipſo decreto conſtat; ergo manifeſtum eſt eum ſolùm innouare circa ſententiam affirmatiuam, nihil verò circa negatiuā; ergo eam prorſus relinquit in eodem ſtatu, & terminis, in quibus erat ſine vlla exceptione; ergo cum præcipit vt omnes Conceptionis nomine vtantur, accipit vocem in ea acceptione, in qua antea à ſectatoribus huius ſententiæ, imo ab Eccleſia Romana, accipiebatur, nempè pro animatione in vtero. Patet hæc conſequentia, quia ſi pro hac acceptione ſubſtitueret ſenſum ſanctificationis, quo vtebatur alia ſententia, multò maius præiudiciū 25.

in-

inferret negatiuæ, quam affirmatiuæ. Huic enim ſolum interdiceret vocem *Sanctificatio*, non ſenſum, & quamuis præcipit vocem *Conceptio*, non tamen ſub ſenſu alterius ſententiæ, ſed ſub ſenſu ipſius affirmatiuæ; negatiuæ vero relinqueret vocē *Conceptio*, ſed aduerſariæ ſenſu, & ſignificatione indutam, maius autem præiudicium eſt mutare ſenſum, quam verba; horum enim nulla habetur ratio, niſi propter ſenſum, & nihil refert, quibus vocibus rem exprimas, ſi eādem exprimis. Ergo cū tu fateris Gregorium hoc decreto nullum præiudicium intuliſſe ſententiæ negatiuæ, fatearis neceſſe eſt nihil circa ſignificationis vocem innouaſſe, ſed de hac impoſtura tua; vide quæ diximus cap. 4. num. 5. & de præiudicio cap. 5. §. 2.

EX PRÆCEPTO PII. V. Tenentur omnes, etiam ſectatores ſententiæ affimatiuæ, etiam Dominicani, celebrare officum ſub nomine Conceptionis, iuxta mentem, & ritum Romanæ Eccleſiæ.

CAPVT XIII.

RELIQVVM eſt vt primæ confirmationi, quam præcedenti capite num. 2. expendimus, faciamus ſatis (nam ſecunda ſatis ex dictis ſoluta manet) & quoniam ex præcepto celebrandi feſtum ſub nomine Conceptionis vim ſumit ad oſtendendum diuerſam eſſe rationem de huius vocis ſignificatione poſt Gregorium XV. & ante illum; oſtendemus in præſenti capite hoc præceptum antiquius eſſe Gregoriano decreto, vt vel inde liqueat, quàm perperam ex præcepto probare conetur noſter Libellator nouam vocis ſignificationem eo decreto inductam, ſed in primis præſtat ipſum audire. Is Libello 1. num. 2. vt rationem reddat, cur poſt Gregorij decretum curandum ſit, ne Conceptioni addatur titulus Immaculatæ, *quod ſub Gregorij prædeceſſoribus non adeò cauendum erat;* 1.

in-

inquit: *Quia tunc licitum vnicuique erat vti quo volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vnico nomine Conceptionis hoc feſtum celebraretur.*

2. Quibus verbis duo aſſerit. Primum; ante Gregorium XV. licitum fuiſſe vnicuique vti quo volebat nomine, Conceptionis videlicet, aut ſanctificationis. Secundum, ante eundem Gregoriũ non fuiſſe præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub vnico Conceptionis nomine feſtum celebraretur. Vtrumque falſum eſſe oſtendemus. Diſtinguenda autem ſunt duo tempora, alterum à Sixto Quarto, ad Pium Quintum, alterum ab hoc Pontifice ad Gregorium XV. fatemur quidem á tempore Sixti, ad Pium non fuiſſe præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia celebraretur feſtum ſub nomine Conceptionis; nihilominus falſum eſt, licitum fuiſſe vnicuique vti quo volebat nomine; nam poſtquam Sixtus inſtituit feſtum Conceptionis, & Miſſam, officiumque inſeruit Miſſali, & Breuiario Romano, tenebantur ſub hoc nomine ſacrum peragere, & officium recitare, tum Clerici Romanæ Diœceſis, tum omnes illi, qui ex antiqua conſuetudine vtebantur Romano Miſſali, & Breuiario, & hoc ex præcepto Sixti, vt oſtendimus cap. 6. præcipué num. 15. deinde omnes Eccleſiæ, Diœceſis, & ordines, qui officiũ

illud à Sixto inſtitutum ſuis proprijs Breuiarijs ex Epiſcoporum, aut ſuperiorum præſcripto inſeruerunt (id autem fecerunt penè omnes) eadem lege obſtringebantur, nam vt prædicto loco dicebamus, quoties in Breuiario etiam priuatæ Eccleſiæ, aut Ordinis Religioſi officium aliquod apponitur, tenētur illud celebrare omnes, qui illius Diœceſis, aut Ordinis ſunt. Falſum ergo eſt, quod affirmat Libellator, ante Gregorij tempora licitum fuiſſe vnicuique vti quo volebat nomine Conceptionis, vel ſanctificationis, nam à tempore Sixti præceptum fuit vtendi Conceptionis nomine, quamuis non vniuerſale pro vniuerſa Eccleſia.

Si verò loquamur de tempore á Pio Quinto, ad Gregorium XV. clarius patet hæc veritas, Pius enim vniuerſali præcepto omnes obligauit vt feſtum celebrarent ſub nomine Conceptionis, nempè cum anno 1568. Breuiario Romano inſeruit officium Conceptionis, vt modo habemus, iuſsitque vt omnes ſublatis proprijs Breuiarijs iuxta Romani normam Officium diuinū perſoluerent, vt conſtat ex motu proprio, cuius initium eſt; *Quod à nobis poſtulat.* 3.

At (inquis) ea lex vniuerſalis non eſt, neque omnes omnino comprehendit, nam ibidem Pontifex permittit Eccleſijs, & ordinibus, quorum 4.

ſpecialia Breuiaria ducentos annos exceſſerint, vt liberè in eorum vſu perſiſtant, ſi velint, nec teneantur Romanum amplecti, qua conceſsione vtens ordo Dominicanus retinuit proprium Breuiarium. Quare præceptum Pij Quinti non comprehendit Dominicanos, vt officium ſub nomine Conceptionis celebrare tenerentur, ſed liberum illis fuit voce *Sanctificationis* vti iuxta proprium Breuiarium, donec Gregorius XV. id vetuit præcipiens, vt omnes omnino Eccleſiaſtici non alio quàm Conceptionis nomine vtantur. Quæ cum ita ſint merito affirmatur ante Gregorium non fuiſſe præceptum, vt in vniuerſa Eccleſia ſub nomine Conceptionis hoc feſtum celebraretur, atque adeò diuerſam eſſe rationem de ſignificatione vocis ante Gregorium, & poſtquā ipſe iuſsit, vt omnes in ritu conformarētur. Hoc enim poſtulat communionem vtriuſque ſententiæ in ſignificatu eius vocis, ne alterutri præiudicium inferatur, quod antea neceſſarium non erat.

5. Sed de hæc nullius momenti ſunt. Nam vt demus Dominicanos non fuiſſe comprehenſos præcepto Pij Quinti (de quo poſtea) atque adeò illud non fuiſſe prorſus vniuerſale pro tota Eccleſia, nihilominus falſum eſt, quod Libellator ait, ſub Gregorij prædeceſſoribus licitum vnicuiq;

fuiſſe

fuiſſe vti quo volebat nomine Conceptionis videlicet, vel ſanctificationis, exploratum enim eſt eos omnes quos præceptum Pij Quinti tangebat, non alio potuiſſe vti quám Conceptionis, tangebat autem fere totam Eccleſiam; nam omnes Eccleſiaſtici (paucis quibuſdam ordinibus exceptis) Romanum Pij Breuiarium admiſerūt, ſiue, quia licet haberent Breuiaria ducentos annos excedentia, maluerunt Romano vti renunciantes priuilegio, & conceſsioni á Pio factæ; ſiue quia, cum eiuſmodi Breuiaria propria tantæ antiquitatis non eſſent, lex á Pio lata eos obligauit. Falſum ergo eſt ante Gregorium licitum vnicuique fuiſſe vti quo volebat nomine, ſiue Conceptionis, ſiue ſanctificationis, cum poſt præceptum Pij fere omnes debuerint iuxta Breuiarium Romanum officium peragere, in quo Conceptionis nomen vſurpatur, non ſanctificationis.

Præterea, quamuis demus Dominicanos non comprehenſos præcepto Pij Quinti, tamen abſolutè verum eſt hac lege nō ſolum obligatos fuiſſe fautores Immaculatæ, ſed eos etiam, qui contra ſentirent. Itaque poſt decretum Pij Quinti tenebantur celebrare officium ſub titulo Conceptionis, & non ſanctificationis omnes, ad quos pertinet Breuiarium Romanum, ſiue priuatim 6.

ſentiant Deiparam immunem fuiſſe á peccato originali, ſiue putent in ea culpa Conceptam. Neque lex illa Pontificia diſtinguit inter vtriuſque ſententiæ ſectatores, aut aliquos excipit, ſed indiſcriminatim omnes complectitur, & obligat. Quare, quod attinet ad feſtum Conceptionis per ſe vniuerſalis eſt. Hoc autem facile ſibi perſuadebit qui attentè perpexerit Pontificem, dũ iubet vt omnes Breuiario Romano vtantur, atque adeó celebrent hoc feſtum ſub titulo Conceptionis, nullam exceptionem adieciſſe pro diuerſitate ſententiarum. Non enim edixit, vt hoc Breuiario, quod attinet ad feſtum Conceptionis vtantur, qui eam immaculatam credunt; qui vero ſecus ſenſerint, poſsint alio vti, & ſub ſanctificationis nomine celebrare; ſed abſoluté vtroſq; complexus eſt, & ſolum ab obligatione huius Breuiarij excepit eos, quorum Diœceſis, aut ſacer ordo habuerit proprium Breuiarium ducentorum annorum antiquitate commendatum. Quare quód Dominicani vigore huius legis potuerint non amplecti officium Conceptionis quòd eſt in Breuiario Romano (ſi tamen potuerunt) non ideò fuit, quia ipſi ſentiunt Virginem contraxiſſe peccatum originale, ſed quia eorum Breuiarium ante annos ducentos erat in vſu, nam ſi res ita non haberet, tenerentur amplecti Romanum,

manum,& feſtum ſub titulo Conceptionis celebrare,quantumuis ipſi priuatim ſentiant Conceptionem non fuiſſe Immaculatam.

Confirmatur amplius,& declaratur. Quæro á Libellatore,an exiſtimet á tempore Pij Quinti ad Gregorium vſque XV. in tot Diœceſibus,& Religioſis ordinibus,qui vel ſponte,vel neceſſario Breuiarium Romanum admiſerunt, aliquos fuiſſe Eccleſiaſticos extra Dominicanam familiam,qui ſenſerint Virginem Conceptam fuiſſe in peccato originali? Contendet fortaſſe fuiſſe quam plurimos, quod tamen ego non credam, iam enim ea ſententia á multis retro annis vix habet ſui amatores,præter Dominicanos,& quidem non omnes. Sed quamuis plurimos extra hunc ordinem fuiſſe negem, negare tamen non audeo fuiſſe aliquos. Video enim Doctores Duacenſes Gulhelmum Eſtium in 3. diſt. 3. & Franciſcum Syluium 3. part. quæſt. 27. art. 2. affirmatiuam ſentẽtiam ſequutos. Sed ſiue multi fuerint, ſiui pauci (nihil enim ad rem præſentem intereſt) de his iterum quæro, an exiſtimet Libellator eos obligatos fuiſſe officium Conceptionis recitare iuxta Breuiarium Romanum á Pio reformatum, an potuiſſe eo ſpreto ſanctificationis officio vti? Hoc ſecundum affirmare non audebit, tum quia non eſt vnde à præcepto illo Pontificio liberen- 7.

tur, tum quia vnuſquiſque, ſiue ſæcularis Clericus ſit, ſiue Religioſus, tenetur Officium diuinum perſoluere iuxta Breuiarium, quod Epiſcopus, & Clerus ſuæ Diœceſis, vel ordo ſacer cui adſcriptus eſt, publicé admiſſerunt. Exploratũ ergo eſt huiuſmodi ſectatores ſententiæ affirmatiuæ, qui degunt in Diœceſibus, vel ordinibus vtentibus Breuiario Pij Quinti, obligatos eſſe ad officium Conceptionis recitandum, vt eſt in eo Breuiario.

8. Hinc iam licet argumentum conficere, quo tota Libellatoris machina ruit. Pius Quintus præcipiens, vt omnes Conceptionis officium celebrent, obligat etiam eos, qui Virginem in originali Conceptam fuiſſe priuatim ſentiunt, & tamen non propterea in officio Pij, vox *Conceptio*, ſignificat ſanctificationem vtrique ſententiæ cõmunem, ſed naturalem Virginis animationem, & generationem in vtero, quam omnes publico ritu, vt ſanctam venerentur, quidquid priuatim ſentiant: ergo ſimili ratione, quamuis Gregorius XV. iubens, vt omnes non alio quam Conceptionis nomine vtantur, ea lege comprehenderit Immaculatæ aduerſarios, non propterea intelligi nomine Conceptionis aliquid, in quo vtraque ſententia cõueniat, ſed animationem Virginis, quæ ob adiunctam in eo inſtanti gratiam ab omnibus

ſit

ſit cultu publico proſequenda, quantumuis priuatim contrariam ſententiam ſequantur. Maior propoſitio ex nuper dictis conſtat; minor manifeſta eſt ex toto cap. 7. Conſequentia optime infertur, eadem enim eſt ratio de decreto Pij, & Gregorij. Vterque præcipit feſtum celebrari ſub nomine Conceptionis; vterque obligat eos etiã, qui Conceptionem in peccato factam fuiſſe credunt; vterque ſententiæ affirmatiuæ præiudiciũ inferre non vult. Nam & Pius ipſe duobus poſt illum motumproprium editũ annis, alium edit cuius initium eſt, *ſuper ſpeculam*, vbi liberam cuique facultatem relinquit opinandi huius controuerſiæ quamliuet partem. Cũm ergo ſimilia prorſus ſint vtriuſque Pontificis decreta, ſimilem omnino ſenſum habent, vt ſi ex decreto Gregorij, rectè inferatur Conceptionem accipi pro ſanctificatione, ne ſibi contrarius præiudicium inferat ſententiæ affirmanti; idem etiam dicendum ſit de decreto Pij propter eandem rationem. Quare non à tempore Gregorij, ſed Pij attendenda erit hæc diuerſitas acceptionum vocis *Conceptio*, quã Libellator comminiſcitur. Quod ſi (vt res habet) decretum Pij, quamuis ſectatores affirmatiuæ ſententiæ comprehendat, de naturali, & corporali Virginis Conceptione colenda intelligẽdum eſt, quin in hoc ſibi contrarius, ſit cum illã

ſen-

ſententiam in ſua libertate relinquit, idem etiam prorſus dicendum eſt de decreto Græ gorij. Denique ſi præiudicium eſt, obligare ſectatores ſententiæ affirmantis, vt in officio Eccleſiaſtico celebrent Conceptionem Immaculatam; huius præiudicij, non fuit author Gregorius, ſed ante multos annos Pius. Imò verò Sixtus, & omnes Epiſcopi, & ſuperiores ordinum, qui eius officium á ſuis ſubditis recitari præceperunt nullo diſcrimine inter ſectatores affirmatiuæ, aut negatiuæ ſententiæ, quare ſerò nimis Libellator noſter huic malo medicinam parat: ſi verò nõ eſt præiudiciũ, non eſt cur Gregorij verba à plano, & proprio ſenſu diſtrahantur.

9. At (inquis) diuerſa ratio eſt de lege Pij, & decreto Gregorij; Pius enim non comprehendit Dominicanos, ſed liberos reliquit, vt ſanctificationis voce vterentur; Gregorius veró eos comprehendit. Quare opus eſt, ne ſibi contrarius ſit, & præiudicium ſententiæ affirmatiuæ inferat, accipere in eius decreto vocem *Conceptio*, pro ſanctificatione, quod non eſt neceſſarium in decreto Pij. Sed hæc futilia eſſe perſpiciet, qui attenté legerit, quæ hactenus expendimus. Eſto Pius non comprehenderit Dominicanos, at comprehendit alios affirmatiuæ ſententiæ ſectatores. Itaque diſcrimen ſolum eſt, quòd Pius obligat aliquos,

Gregorius omnes. Sed quid inde? Eadē prorſus
ratio eſt de aliquibus, & de omnibus; vt qui ali-
quos potuerit obligare, potuerit omnes. Et, ſi ex
aliquorũ obligatione nihil cõtradictionis infer-
tur, nihil etiã inferatur ex obligatione omnium.
An Dominicani, qua ſectatores ſunt ſentẽtiæ af-
firmantis, ius aliquod habent, ne cogãtur officio
Eccleſiaſtico celebrare Immaculatã, & hoc iure
priuãtur Clerici, aut aliorũ ordinũ Religioſi, qui
cum Dominicanis ſentiunt? Sanè Dominicani, ſi
à lege Pij excipiuntur, non excipiuntur, quia ſen
tentiam affirmantē tuentur, neque quia Domini
cani ſunt; ſed quia tunc temporis habebant Bre-
uiarium proprium, cuius vſus, & conſuetudo ex-
cedebat ducentos annos.

Perſpicuum ergo eſt legem Pij per ſe ſpecta-
tam vniuerſalem eſſe, omneſque cõplecti, neque 10.
quidquam referre, an quis priuatim ſentiat Vir-
ginem Conceptam fuiſſe in peccato originali,
aut non fuiſſe, vt ea lege celebrandi naturalem
eius Conceptionem teneatur. Eccleſia enim nõ
curat, quid quiſque priuatim ſentiat, ſed fauet
negatiuæ ſententiæ in cultu publico, liberum ni-
hilominus relinquens ſenſum priuatum, in quo
nulli facit iniuriam, ſed vtitur iure ſuo præferen-
di, quam maluerit, opinionem. Vnde tandem fit
ex decreto Gregorij omnes obligante minimè

inferri Conceptionem accipiendam eſſe pro ſanctificatione vtrique ſententiæ communi, ſicut neque infertur ex decreto Pij, ſed potius celebrandam eſſe ab omnibus Conceptionem naturalem Virginis, vt ſanctam, quidquid priuatim ſentiant. Minimè enim pugnant inter ſe priuatim ſentire maculatam, & in officio Eccleſiaſtico Immaculatam celebrare. Illud enim priuati hominis eſt, hoc miniſtri Eccleſiæ, cuius nomine agit.

11. Quæ hactenus diximus vim habent, etiam ſi daremus Dominicanos non fuiſſe comprehenſos præcepto Pij, ſed integrum eis fuiſſe recitare officium ſanctificationis, atque adeò legē á Pio latam non fuiſſe prorſus vniuerſalem; ſatis enim eſt inſtituto noſtro oſtendiſſe eam legem, quantum eſt ex ſe, comprehendere etiam ſectatores affirmatiuæ ſententiæ, neque aliquos excipi ob hanc cauſam. Nunc addimus, Dominicanos etiam veré comprehenſos, atque adeò poſt reformationem Breuiarij á Pio factam obligatos fuiſſe ad celebrandum feſtum Conceptionis ſub hac voce, & iuxta officium à Pio præſcriptum in Breuiario Romano reformato, neque potuiſſe, niſi ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ, poſt motum Pij *quod à nobis poſtulat*, conceſſo, retinere officium ſanctificationis. Quamuis enim

Bre-

Breuiarium Dominicanum ducentorum annorum antiquitatem excederet,& ideô iuxta Pij præſcriptum potuiſſet retineri(de quo modo nõ curamus)tamen hoc priuilegio gaudere non potuit officium ſanctificationis in eo Breuiario aliquando contentum.

Hoc autem duplici ratione probatur. Prima eſt,officium ſanctificationis neque tempore Pij, neque vnquam fuit in vſu in vniuerſo ordine Dominicano,ſed inaliquibus monaſterijs,&ad ſummum prouincijs,cum tamen in alijs eiuſdem ordinis ſub Conceptionis nomine feſtum celebraretur,vt poſtea oſtendemus.Itaque officium ſanctificationis non erat propriè, & in rigore officium Breuiarij Dominicani, ſed á priuatis tantúm frequentabatur, neque in illud conuenerat vniuerſus ordo.Non ergo potuit gaudere priuilegio Pij Quinti.Is enim tantúm conceſsit retineri Breuiaria propria Diœceſum, & Ordinum, nõ eſt autem Breuiarium Diœceſis,autOrdinis, niſi illud, quo vniuerſa Diœceſis, aut ordo vtitur. Quare ſiquod officium eſt, quod non pertineat ad totam Diœceſim,aut Ordinem, non poteſt priuilegio Breuiarij gaudere , priuilegia enim ſunt ſtricti iuris.Ergo retentoadhuc Breuiario Dominicano in his, quæ toti ordini ſunt communia,non potuit retineri officium ſanctifi 12.

cationis. Neque obſtat quod reperiatur in aliquibus Breuiarijs editis iuſſu Capituli generalis etiam ante Pium, id enim non probat conſenſum totius ordinis in eius vſu, ſed editum fuiſſe pro ijs, qui vtebantur.

13. Secunda ratio eſt, officium ſanctificationis non habebat ducentos antiquitatis annos, cum prodijt Motus Pij V. imò neq; modo habet, vt poſtea oſtendemus; non ergo potuit gaudere priuilegio Pij, ſed explodendum neceſſariô fuit à Breuiario Dominicano, Pontifex enim eam antiquitatem requirit. Hoc autem ex eius Motu proprio facilè eſt intelligere, permittit enim duntaxat Breuiaria, quorum *inſtitutio à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudo ducentos annos antecedat;* hæc autem antiquitas, & vſus in omnibus partibus, & officijs Breuiarij debet verificari, nam ſi quod officium recentius eſt; non eſt Breuiarij ducentos annos excedentis, ſed diuerſis temporibus aucti. Neque ſatis eſt officium aliquod nouum inſeri Breuiario antiquo, vt priuilegio gaudere cenſeatur. Sicut enim officia antiqua, quibus nouum coniungitur, non poſſunt ei antiquitatē impertire; ita neq; priuilegiū, quod antiquitati conceditur. Quare illorum tantùm feſtorum & officiorum habenda ratio eſt, quæ ante ducentos annos conceſſa erant á Sede Apoſtolica, vel

conſuetudine recepta; cætera explodenda ſunt, niſi ſpeciali aliqua conceſsione à Sede Apoſtolica deinceps permittantur. Cum ergo officium ſanctificationis, quamuis in Breuiario Dominicano erat tempore Pij, non haberet ducentos antiquitatis annos, excludendum fuit ab eo Breuiario, prohibitumque ex vi motus proprij, nec potuerunt deinceps Dominicani ſub nomine ſanctificationis celebrare feſtum, ſed debuerunt vti voce Conceptionis, atque adeò lege Pij Quinti comprehenſi ſunt.

14. Sed oſtendamus iam, quæ in his duobus argumentis aſſumimus, nempe neque officium ſanctificationis fuiſſe ab vniuerſo Ordine Dominicano receptum, neque ducentorum annorum antiquitatem habuiſſe, cum prodijt Motus proprius Pij Quinti. Et quod ad primum attinet, habemus locupletiſsimum teſtem Ambroſium Catharinum Dominicanum, qui lib. 1. diſputationis pro Immaculata Conceptione, poſtquam aſſeruit in vniuerſo Orbe ab omnibus Eccleſijs celebrari feſtum ſub nomine Conceptionis, ſubdit: *Quem ritum iam communiter omnes Ordines (vt par erat) receperunt, noſtro duntaxat excepto, qui etiam in hoc diuiſus eſt, nã in toto Chriſtianiſsimo Regno ſub eo nomine abſque vllo ſcrupulo Fratres noſtri eam celebrãt ſolemnitatem*, & in diſputatione ad Patres Conci- *Catharinus.*

lij Tridentini part. 2. *Quin & ipſe noſter ordo ſecum minimè conſtat, cum Tranſalpini Fratres noſtri ordinis ſapientiſsimè concedant, & morem vniuerſalis Eccleſiæ ſequantur ſub nomine Conceptionis celebrantes; inter quos tamen non deſunt doctiſsimi Patres, & Magiſtri, qui in lectione B Thomæ Italis non cedunt.* Vbi dũ Tranſalpinos celebrare ſub nomine Conceptionis dicit, non difficile intelligitur Germanos etiã comprehendere, quod clarius expreſsit libro de controuerſia inter Senenſes, & Prædicatores, vbi id ipſum affirmat de tota Germania intra mõtes.

15. Imò ſatis innuit ſuo tempore apud ſolos Italos officium ſanctificationis viguiſſe, nam verbis proximè allatis de illis tantúm loquitur, & lib. 3 pro Immaculata Conceptione explicans qua ratione officium ſanctificationis, quod ſuo tempore Dominicani recitabant, non repugnet Immaculatæ Conceptioni, ita inquit: *Nolo tamen latere quemquam, & ſi noſtri celebrent in Italia de ſanctificatione, nihil tamen contrarium veritatati eos celebrare, quod multi neſciunt. Non enim repugnat Conceptioni Immaculatæ ſanctificatio.* Et poſt pauca: *Quod, & valde notandum eſt, ne quis putet ab ordine noſtro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis.* Qui de ſuo ordine in Italia tantúm loquitur, & officij, quod in ea prouincia ſub nomine ſanctificationis recitabatur, ſenſum Concep-

tioni non repugnantem explicat; planè ſentit in alijs prouincijs apud ſuos non fuiſſe in vſu. Nam ſi alij præter Italos recitabant, non erat cur ſolos Italos explicaret, cum non aliud tunc vigeret officium ſanctificationis præter illud, quod Italis erat in vſu. Certè in Hiſpania ſub nomine Conceptionis celebraſſe Dominicanos oſtendemus in aſſertore noſtro, vt non temerè affirmare poſsimus in ſola Italia frequentatum fuiſſe officiũ ſanctificationis, cùm ſcribebat Catharinus, atque adeò cum Pius Quintus edidit Motum, *quod à nobis poſtulat.*

Sed neque id de vniuerſa Italia fatebimur, nã Fratres Prædicatores, qui in Vrbe Senenſi, & toto eius dominio degebant, iamdiu ante Catharinum celebrabant feſtum ſub nomine Conceptionis. Cum enim ea Vrbs anno 1520. vouiſſet feſtum Conceptionis ab omnibus in ſua ditione degentibus celebrandum, renuebant Dominicani, ortumque eſt diſsidiũ inter eos, & Senẽſes. Res delata eſt ad Summum Pontificem, nempe Leonem Decimum, qui expedito diplomate iuſsit, vt Dominicani Senenſibus conformarentur, celebrarentque feſtum Conceptionis, vt illi vouerant. Quod ipſi fecerunt, Pontifici obſequentes. Ita refert oculatus teſtis Ambroſius Catharinus in præfatione ad Capitulum Gene- 16.

rale ſui Ordinis, & in libro de hac controuerſia.

17. Hic non eſt ſilentio prætereundum Dominicanos illius ditionis ex præcepto Sedis Apoſtolicæ centum & amplius annis ante decretum Gregorij XV. celebraſſe feſtum Immaculatæ Conceptionis, & quidem iuxta officium Nogarolicum, hoc enim tunc temporis erat in Breuiario Romano, & ab omnibus frequentabatur, qui feſtum Conceptionis celebrabant, Senenſes verò feſtum Immaculatæ Conceptionis vouerant. Quare, cum Pontifex iuſſerit, vt Dominicani Senis degentes feſtum celebrarent, quod vouerant Senenſes, præcepiſſe eis vſum officij Nogarolici dubitandum non eſt. Nunc videat, quid agat, libellator noſter, qui ex præcepto vtendi nomine Conceptionis a Gregorio, etiam Dominicanis, impoſito argumentatur eum ſub ea voce aliquid indifferens ad vtramque ſententiam intellexiſſe, ne præiudicium inferat ſectatoribus affirmatiuæ, ſibique ſit contrarius; cum hoc præiudicium iam fuerit ante centum annos illatum Dominicanis Senenſibus á Leone, præceptũque impoſitum vtendi nomine Conceptionis, non vtcumque, ſed Conceptionis Immaculatæ. Atque hinc tandem diſcat futile eſſe argumentum, optimèque cohærere, vt quis priuatim ſentiat Vir-

ginem in peccato originali Conceptam fuiſſe, & tamen ex præcepto Eccleſiæ Cõceptionem eius vt Immaculatam colat, nam & Leo nõ interdixit Dominicanis illis aſſenſum ſuæ ſententiæ, ſed poterant ij ipſi, qui in die Conceptionis in Templo Immaculatam celebrabant, eodem die in Gymnaſio publicè maculatam defendere. Et tamen non erat ſibi contrarius Leo, qui hoc permittebat, & illud iuſſerat; nedum ſit Gregorius præcipiens nomen Conceptionis ijs, quos ne priuatim quidem aduerſus Immaculatam mutire permittit. Hæc lector expendat, & iungat ijs, quæ diximus capite præcedenti. Nunc (vt ad inſtitutum redeamus) ſatis eſt oſtendiſſe tempore Pij Quinti non fuiſſe in vſu officium ſanctificationis in vniuerſo ordine Dominicano, vt illius Motu proprio prohibitum fuiſſe meritò cenſendum ſit.

Sed oſtendamus præterea ſecundum, quod ſupra argumentantes aſſumpſimus, videlicet officium ſanctificationis non habere ducentos antiquitatis annos, vnde eadem prohibitio manifeſtè colligitur. Hoc autem exploratum eſt nam officium ſanctificationis cæpit in Ordine Domicano, poſtquam Sixtus Quartus inſtituit officiũ Conceptionis; quod diſſertis verbis teſtatur Ambroſius Catharinus in diſputatione ad Patres 18.

Concilij Tridentini parte ſecunda, vbi diſſerens ſuperfluum eſſe ſpeciale feſtum ſub nomine ſanctificationis, ita ſcribit: *Eccleſia Natiuitatem celebrabat, in qua ſanctificatio in vtero celebrabatur, ſicut teſtatur S. Bernardus. Sic ſanctificatio B. Ioannis Baptiſtæ honoratur, dum eius celebratur Natiuitas. Nunquam ergo celebrauit ſub nomine ſanctificationis, ſed dies ille infeſtiuus olim in Eccleſia tranſibat.* Subdit præterea: *Feſtum autem ſanctificationis poſtmodò ſuperfluò eſt introductum ad emulationem aduerſus Eccleſiam, quæ ſub nomine Conceptionis celebrabat.* Quibus verbis manifeſtè affirmat feſtum, & officium ſanctificationis cæpiſſe poſt inſtitutionem feſti Conceptionis factam à Sixto Quarto. Quamuis enim ante hunc Pontificem plures priuatæ Eccleſiæ feſtum Conceptionis celebrabant, non tamen Romana, vt oſtendimus cap. 6. Catharinus autem Romanam comprehendit, dum abſolutè de Eccleſia loquitur, non enim dicitur facere Eccleſia, quod non facit Romana, id quod etiam patet in exemplis, quæ adducit. Cum ergo teſtatur feſtum ſanctificationis introductum, poſtquam Eccleſia ſub nomine Conceptionis celebrat, dubitandum non eſt feſtum ſanctificationis poſt inſtitutionem Sixti Quarti inuentum fuiſſe, atque adeó non habuiſſe ducentos antiquitatis annos, cum prodijt motus Pij Quinti; imò neque centum, nam reformatio

matio Pij facta eſt anno 1568. inſtitutio verò Sixti anno 1476.

Hoc idem non leuiter confirmatur ſi originem feſti ſanctificationis inueſtigemus. Duo officia ſub hoc titulo reperiuntur in antiquis Breuiarijs Dominicanis, alterum eſt, quod compoſuit Bandellus, & extat in Breuiario excuſſo Venetijs anno 1546. alterum eſt nihil habens proprium præter lectiones ex libro Eccleſiaſtici, & ſermone Petri Damiani, cætera deſumuntur ex officio Natiuitatis mutato vocabulo in ſanctificationem, vt eſt in Breuiario excuſſo Salmanticæ 1579. ex his antiquius eſt Bandellicum, nam & huic ſuceſsit illud, vt ex ipſis Breuiarijs conſtat, & ex Catharino, cuius tempore iam non recitabatur officium Bandelli, etiam in Italia, vt facile intelligitur ex eius verbis num. 15. adductis ibi enim oſtendit officium ſanctificationis, quo ſuo tempore vtebantur Dominicani in Italia, nō repugnare Conceptioni Immaculatæ; quod tamen de Bandellico dici non potuit, in quo ſæpius aſſeritur Virginem contraxiſſe maculam peccati originalis. Iam ergo exſoleuerat etiam in Italia officium Bandelli, cum hæc ſcribebat Catharinus, qui tamen obijt anno 1552. itaque primū officium ſanctificationis, quo vſi ſunt Dominicani, eſt quod compoſuit Vincentius Bandellus de 19.

Caſtro-Nouo; is autem edidit illud, cum eſſet Magiſter Generalis totius ordinis, vt ex præfato Breuiario conſtat; electus verò fuit anno 1501. & obijt 1506. Ex quibus omnibus liquet officiũ ſanctificationis inuentum fuiſſe poſtquam Sixtus Quartus inſtituit feſtum, & officium Cõceptionis, atque adeò non habuiſſe ducentos antiquitatis annos, cum Pius Quintus reformauit Romanum Breuiarium.

Illud præterea plurimum hanc veritatem
20. commendat, quod ſi quis euoluat concionatorios libros (quos vocant ſermonarios) á Dominicanis, qui ante Sixtum Quartum floruerunt, editos; non inueniet concionem *in feſto ſanctificationis*, cum non paucæ inueniantur *in feſto Conceptionis*, vt Armandi de Bellovиſu, qui claruit anno 1296. S. Vincentij Ferrer, qui obijt 1418. Sancij Porta, qui 1429. quod quidem argumento eſt á Dominicanis ante Sixtum non fuiſſe celebratum hoc feſtũ ſub titulo ſanctificationis, ſed, ſi quod octauo die Decembris coluerunt, Conceptionis fuiſſe. Ego ſanè non paucos eiuſmodi libros euolui; neque hactenus concionem de ſanctificatione ante Sixtum ſcriptam reperire potui. Denique ſi antiquiſsima Ordinis tempora perſcrutemur, inueniemus feſtum Conceptionis initio à Dominicanis cultum ſub ſanctiſsimo ipſo Pa-

triar-

Digitized by Google

triarcha Dominico. Sed de hoc commodius agemus in Aſſertore Dominicano Immaculatæ Conceptionis, vbi quid diuerſis temporibus in hoc ordine circa hoc feſtum contigerit, & quibus de cauſis, aperiemus. Nunc inſtituto noſtro ſat eſt oſtendiſſe antiquius eſſe feſtum Conceptionis etiam in Eccleſia Romana, quàm ſanctificationis in familia Dominicana; hocque vix habuiſſe ſexaginta annos, cum Pius Quintus omnia Breuiaria, & officia ducentos annos non excedentia prohibuit, quare Motu ipſius proprio interdictum fuiſſe officium ſanctificationis, Dominicanosque comprehenſos præcepto eius, vtendi videlicet nomine Conceptionis cum Breuiario Romano.

POS-

POSTQVAM ROMANA Eccleſia feſtum Conceptionis inſtituit, nemini licuit officio ſanctificationis vti.

CAPVT XIIII.

1. QVoniam Libellator noſter magna cōfidentia officium ſanctificationis æquiparat officio Conceptionis, quod attinet ad approbationem Sedis Apoſtolicæ; ſiſtendum pauliſper eſt,& de hac re non nihil diſſerendum. Libello ſecundo num. 16.hæc ſcribit : *Nec enim conceſsionis vocabulum reformidamus pro ijs temporibus, quibus etiam officium ſanctificationis à Summis Pontificibus,& ſignanter à Iulio Tertio,conceſſum, & approbatum fuit*.cap.5.§.3.& 16.aperuimus, quid tibi velit his verbis,& ſimilibus, quæ ſcripſerat n.3. nempe officia Conceptionis, & ſanctificationis æquè fuiſſe à Romanis Pontificibus conceſſa, & approbata ad priuatorum vſum;alterum videlicet pro ſectatoribus ſententiæ affirmatiuæ, alterum pro negatiuæ. Sed ibidem cōmentum hoc exploſsimus,& oſtendimus Romanam Eccleſiam non vtcumque approbaſſe officium Conceptionis Immaculatæ;ſed inſtituiſſe, & in Ro-

manos ritus admiſiſſe. Itaque hoc officium non priuatorum fuit, ſed ipſius Eccleſiæ Romanæ, vt ex eius Miſſalibus, & Breuiarijs liquet. Officiũ verò ſanctificationis nunquam locum habuit in Miſſali, & Breuiario Romano, ſed à Dominicanis ipſis compoſitum, & frequentatum fuit. Itaque toto cælo diſtant officium Conceptionis Immaculatæ, & ſanctificationis; illud enim Romanæ Eccleſiæ eſt, hoc verò priuatæ familiæ. Quod diſcrimen maximum eſſe nemo non videt, verumque eſt, etiam ſi demus officium ſanctificationis approbatum fuiſſe à Sede Apoſtolica, hæc enim approbatio tantùm fuiſſet pro Dominicanis, non pro tota Eccleſia, neque ad vſum, & ritum Romanum.

Sed addimus præterea officium ſanctificationis nunquam fuiſſe conceſſum, aut approbatum à Sede Apoſtolica, etiã pro Dominicanis. Et in primis ſi de officio Bandellico ſit ſermo, res eſt explorata. Nuſquam enim ea approbatio reperitur, neque in ſpecie, neque in genere. Approbationes Breuiarij Dominicani, quarum extat memoria, non potuerunt comprehendere officium Bandelli, quod iam non erat in vſu, cum illæ factæ ſunt. Antiquior enim, quæ circumfertur in Breuiarijs excuſis cum officio ſanctificationis, & cuius meminit Libellator, eſt Iulij Tertij fa- 2.

ċta anno 1552. ipſo anno quo obijt Catharinus: tunc autem iam exſoleuerat etiam in Italia officium Bandelli, vt ex eodem Catharino oſtendimus cap. præcedenti num. 19. Itaque hoc officiũ vix quinquaginta annis durauit, neque à toto Ordine receptus eſt, ſed tantùm in aliquibus Italiæ Monaſterijs. Adde quod neque hoc officium potuit à Sede Apoſtolica approbari, pugnat enim è diametro cum officio, quod Romana ipſa Eccleſia celebrabat, cum Bandellus ſuum edidit. Quare potius illud Romani Pontifices prohiberent, ſi vidiſſent.

3. Si verò loquamur de ſecundo officio ſanctificationis, quod ſucceſsit Bãdellico, & in quo nullum eſt verbum contra Immaculatam Conceptionem, ſed tantùm colitur ſanctificatio Virginis ſine vlla nota reſtrictionis ad inſtãs poſterius; Quamuis de hoc non adeo expeditum ſit oſtendere non fuiſſe approbatum á Sede Apoſtolica; nihilominus aſſerimus approbatum non fuiſſe, etiam pro priuato Dominicanorum vſu. Hoc autem ita oſtendimus, nam ſi quod eſt Pontificium diploma, quo officium hoc approbatum dici poſsit, illud eſt Iulij Tertij anno 1552. quo maximé nititur Libellator Libello 2. num. 16. & extat in Breuiario excuſſo Salmãticæ anno 1579 In eo diplomatè cum Cardinalis de Saluiatis

Ordi-

Ordinis Protector narraſſet Pontifici Capitulum Generale anno ſuperiori Salmanticæ celebratum commiſsiſſe Priori Generali reformationem Breuiarij, & Miſſalis, eamque iam perfectã eſſe, atque ſubinde oraſſet Pontificem, vt eam authoritate Apoſtolica confirmaret, Iulius ita loquitur: *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati emendationem, additionem, mutationem, & editionem præfatam, tam in dicto Capitulo, quam poſtea, vt præfertur, factas dicta authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus.* Ecce Pontifex confirmat Breuiarium Dominicanum reformatum ab eius Ordinis Generali, *emendationemque, additionem, mutationẽ, & editionem ab eo factas;* ergo planè confirmat officium *Sanctificationis*, quod in eo Breuiario continebatur. **Iulius Tertius.**

4. Sed certe minimè ex hoc diplomatè colligi approbationem prædicti officij conſtanter aſſerimus. In primis in Breuiario, & Miſſali, quæ ex decreto Capituli Salmanticenſis, & reformatione facta à Franciſco Romeu de Caſtellon Generali excuſa ſunt ipſo anno 1552. quo Iulius approbauit, non eſt officium *Sanctificationis*, ſed *Conceptionis*, vt teſtatur vidiſſe Marcus Antonius Palaù Decanus Eccleſiæ Oriolanæ in defenſione Dominicana Immaculatæ Conceptionis, cap. 9. vbi ex his Breuiario, & Miſſali à ſe viſis probat

Dominicanos antiquitus ſub nomine Conceptionis,non verò ſanctificationis feſtum celebraſſe,nam in eo(inquit)Breuiario,& Miſſali eſt feſtum Conceptionis cum hoc titulo:*Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis totum duplex* , & in Miſſali eſt particularis præfatio , *& te in Conceptione.* Hæc Marcus Antonius.

5. Ex quibus liquidum eſt Breuiarium,& Miſſale Dominicanum,quod Iulio Tertio á Cardinali Protectore oblatum eſt approbãdum, quodque ab eodem Pontifice approbatum eſt , & anno 1552.excuſſum,non habuiſſe officium ſanctificationis,ſed Conceptionis;atque adeò non illud,ſed hoc approbatum fuiſſe â Iulio Tertio. Quare,quo iure factum ſit,vt poſtea anno 1579. Breuiarium cum officio ſanctificationis Salmanticæ fuerit typis mandatum cum illo Iulij Tertij diplomate,non ſatis video;neque quâm verè Libellator audeat aſſerere officium ſanctificationis approbatum fuiſſe â Iulio Tertio. Accedit, quod illo ipſo anno 1579.quo Salmanticæ prodijt Breuiarium cum officio ſanctificationis,prodijt etiam Salmanticæ Martyrologium Dominicanum opera,& diligentia Ioannis de Palencia iuſſu Seraphini Caualli totius Ordinis Generalis,& approbãte Magiſtro Ioanne Gallo inſigni Salmanticenſi Theologo , in quo Marty-

rologio feſtum Conceptionis inter Dominicana recenſetur his verbis: *Conceptio ſacratiſsimæ Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti feſtum totum duplex.* Vt teſtantur Petrus Ojeda in informatione Eccleſiaſtica pro Immaculata fundamento primo cap. 10. Marcus Antonius Palau loco citato, & amicus noſter Ioannes Tamaio de Salazar in vita S. Epitacij col. 250. Quare mirandum eſt adeò diſidere inter ſe Breuiarium, & Martyrologium eodem anno excuſſa, vt in illo ſit feſtum ſanctificationis, in hoc verò feſtum Conceptionis. Neque facile eſt huius varietatis cauſam reddere, niſi quod in eo Breuiario aliquo nouo decreto mutatus eſt titulus, qui in antiquiori, edito anno 1552. reperiebatur; quem tamen in Martyrologio mutare nolluit Ioannes de Palencia, qui in procemio profitetur ſe in hoc Martyrologio edendo inhæſiſſe veſtigijs alterius antiquiſsimi, ſcripti anno 1254. triginta tribus vide licet poſt ſanctum Dominicũ. Vnde etiam, quã antiquum ſit in ordine Dominicano feſtum ſub nomine Conceptionis, liquido conſtat. Immeritò ergo in illo Breuiario anni 1579. additum eſt officium ſanctificationis repugnante Breuiario anni 1552. & Martyrologio tum antiquiſsimo, tum eodem anno 1579. typis mandato. Quare illo diplomatè Iulij Tertij approba-

Ojeda.

Palau.

Tamaio.

tum non fuiſſe meritó affirmamus.

6. Sed ne quid omittamus, quod poſsit Libellatorem iuuare, erit fortaſſe qui reſpādeat, quamuis Breuiarium 1552. à Iulio Tertio approbatum non habuerit officium ſanctificationis, ſed poſtea additum ſit; nihilominus hanc mutationē gaudere etiam approbatione Iulij, ipſe enim in illo diplomatè poſt verba num. 3. adducta, prohibens ne quid prædictoBreuiario addatur, aut detrahatur quouis prætextu, ſubdit: *Niſi iuxta inſtituta dicti Ordinis per Generale Capitulum aliter conſtitutum fuerit*. Ecce facultatem facit Pontifex Capitulo Generali immutandi aliquid in Breuiario: at mutationem illam Conceptionis in ſanctificationem ex decreto alicuius Capituli Generalis factam ambigendum non eſt, neque enim aliter prodiret in Breuiario excuſſo anno 1579. Ergo eam mutationem approbauit Iulius Tertius, qui mutandi facultatem conceſsit Capitulo.

7. Sed certè nihil hac reſponſione proficit cauſa Libellatoris, vt obtineat officium ſanctificationis approbatum fuiſſe à Iulio Tertio. In primis, vt demus hoc qualecumque eſſe approbationis genus, nimis tamen longè petitum eſt, nam neque in ſpecie approbauit Iulius officium ſanctificationis, cum nulla de eo ſpecialis mentio ſit in

di-

diplomatè;neque in genere,quia in Breuiario ei oblato non erat. Quod verô facultatem facit Capitulo mutandi aliquid in futurum,nimis generalis,& abſtrahens conceſsio eſt. Quo circa immeritò Libellator æquiparat officium ſanctificationis officio Conceptionis Immaculatæ in approbatione Sedis Apoſtolicæ,hoc enim ſpecialiter,& (vt inquiunt)in indiuiduo approbatũ fuit à Sixto Quarto,expedito ad id diplomate *Cum præexcelſa*,& duobus *Graue nimis*(vt alias aliorum Pontificum ſpeciales etiam approbationes omittamus)officium autem ſanctificationis non ſolùm in ſpecie,ſed neque in genere (vt dicebamus)approbauit Iulius. Quare etiam ſi ex illa facultate mutandi aliquid in Breuiario, aliqualis admittenda eſſet conceſsio,aut approbatio officij ſanctificationis,quod poſtea additum eſt;hæc tamen approbatio toto cœlo diſtat ab approbatione,qua gaudet officium Conceptionis Immaculatæ.

Præterea (quod controuerſiam hanc prorſus dirimit) neque hæc qualiſcumque approbatio officij ſanctificationis concedenda eſt,neque rectè poteſt elici ex Iulij Tertij diplomate. Illa enim facultas in poſterum mutandi minimè cõprehendit officium ſanctificationis. Ratio in promptu eſt,nam generalibus eiuſmodi conceſ- 8

ſioni-

ſionibus ſemper ineſt tacita,& neceſſaria conditio,nempe vt nihil fiat diuerſum á mente, & ſenſu Romanæ Eccleſiæ,neque enim præſumendum eſt Pontificem hanc facultatem concedere, niſi exprimat. Poſtquam autem Romana Eccleſia ſub Sixto Quarto officium Conceptionis Immaculatæ inſtituit,& in Romanos ritus admiſsit; à ſenſu Romanæ Eccleſiæ recedit, quiſquis hoc feſtum ſub nomine ſanctificationis abſtrahentis celebrat, vt eſt manifeſtum. Quare non potuit hæc vocis,& ſenſus mutatio fieri virtute facultatis generalis mutandi aliquid in Breuiario, ſed ad hanc opus fuit ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſsione. Niſi ergo Libellator oſtendat reſcriptum aliquod,in quo Pontifex expreſsé concedat Dominicanis officium ſanctificationis non obſtāte feſto Conceptionis ab Eccleſia Romana inſtituto,non probat eiuſmodi officium á Iulio Tertio, vel alio Pontifice approbatum fuiſſe. Hoc autem reſcriptum nunquam exhibebit.

9. Ex quibus omnibus tandem elicimus poſtquā Eccleſia Romana inſtituit feſtum Conceptionis, illicitum fuiſſe ſanctificationis officium, neque potuiſſe à quoquam vſurpari ad penſum diuini Officij ſoluendum. Et quod attinet ad officium Bandelicum,manifeſtum eſt. Hoc enim,é diametro pugnat cum officio Eccleſiæ Romanæ,neque

tam-

tantúm diuerſum ſenſum exprimit, ſed prorſus contrarium, & incompoſsibilem; officium enim Bandeli expreſsè profitetur B. Virginem incurriſſe maculam peccati Originalis, officium verò Romanum à Sixto inſtitutum conceptis verbis aſſerit Immaculatam. Itaque contradictoriè opponuntur, neceſſeque eſt alterum eſſe falſum. Atque hinc planè deducitur illicitum fuiſſe officiũ Bandelicum. Officium enim eſt cultus publicus nomine Eccleſiæ exhibitus, non autem poteſt nomine Eccleſiæ Deus publicè coli officijs cõtradictoriè oppoſitis, hoc enim eſſet tribuere Eccleſiæ pugnantiam, diuiſionem, & falſitatem, quod ab vnitate ſpiritus, quo regitur, longè eſt alienum.

Quo circa grauiſsimè iuxta, & veriſsimè Alphonſus Salmeron lib. 2. in epiſt. ad Romanos diſputatione 52. contendens feſto ſanctificationis, ſi vox rectè accipiatur, nihil celebrari cõtrarium Immaculatæ Cõceptioni, quód vox *ſanctificatio* præſeruationi etiam poſsit adaptari, ſubdit: *Nemo ergo credat contrarium celebrari ab alijs celebrantibus de ſanctificatione, atque ab Eccleſia Romana celebratur; alioquin eſſet ſchiſma horrendum, & intolerabile.* Idem fere ſcriptum reliquit Ambroſius Catharinus lib. 3. pro Immaculata Conceptione, vbi explicans officium ſanctificationis, quo 10.

Alphonſus Salmeron.

Ambroſius Catharinus.

Itali vtebantur, non eſſe contrarium officio Cõceptionis, ſolumque differre, quod hoc *magis exprimit præſeruationis prærrogatiuam, quod non exprimit vox ipſa ſanctificationis, licet non repugnet*, hæc tandem ſcribit: *Quod & valde notandum eſt, ne quis putet ab ordine noſtro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis. Quod ſi eſſet, minimè eſſet ferendum, nec Spiritus Sanctus hoc permitteret in cultu Dei.* Hæc Salmeron, & Catharinus loquẽtes de officio ſanctificationis in alienum ſenſum detorto. Quid dicerent de Bandelico, vbi tam apertè conceptio dicitur maculata? Sanè Salmeroni eſſet *ſchiſma horrendum, & intolerabile*, Catharino autem *minimè ferendum*, neque ab Spiritu Sãcto in Cultu Dei permittendum. Sed bene eſt, quod hoc officium paucis annis durauit, vt ſupra oſtendimus; neque ab vniuerſo Ordine admiſſum fuit. Imo neque in tota Italia, ſed in aliquibus fortaſſe cœnobijs, quod etiam inficias iri poſſe optaremus, niſi extaret in Breuiarijs excuſſis anno 1527. & 1546.

11. De officio demum ſanctificationis, quod Bãdelico ſucceſsit, & in quo nihil eſt cõtrarium Cõceptioni Immaculatæ, etiã aſſerimus non licuiſſe poſtquam Sixtus Quartus inſtituit officium Conceptionis Immaculatæ. Ratio eſt, quia licet id officium non contineat ſenſum contrarium,

con-

continet tamen diuerſum, cum quo poteſt compati ſenſus contrarius, ei quem exprimit officiũ Eccleſiæ Romanæ, vt res ipſa docet. Quare illa vocum diuerſitas, & ſenſus ſeceſsionem quandã ab Eccleſia Romana præſe fert in cultu publico eiuſdem feſti, hæc autẽ minimè licet. Maximè, quia hoc officium inſtitutum eſt ad decernendos ſectatores ſententiæ affirmatiuæ à ſectatoribus negatiuæ, & ne cum his viderentur illi ſentire, imò vt docet Catharinus verbis cap. præcedenti num. 18. allatis, *introductum eſt ad emulationem aduerſus Eccleſiam, quæ ſub nomine Conceptionis celebrabat.* Quare licet vox *Sanctificatio* ex ſe ſuſpecta nõ ſit, vtpote quæ optimè conueniat præſeruationi; tamen ex facto ipſo ſuſpecta eſt, quia ideo introducta, vt caueretur à voce *Conceptio*, & á ſenſu quo ab Eccleſia Romana colebatur. Non ergo licuit ea vti in Officio diuino poſtquam Eccleſia Romana feſtum Conceptionis inſtituit.

Dices fortaſſe. Sixtus Quartus inſtituens feſtum, & officium Conceptionis non obligauit omnes, vt illud celebrarent, neque tulit legem pro vniuerſa Eccleſia, vt docuimus cap. 6. num. 13. & 14. Itaque liberum fuit Eccleſijs, & ſacris Ordinibus illud feſtum celebrare, aut omittere; ijque, qui admiſſerunt, ſponte admiſſerunt. Ergo potuerunt Dominicani in die Conceptionis nul- 12

lum officium agere de B. Virgine. Ergo multò magis potuerunt celebrare de ſanctificatione. Patet hæc conſequentia, quia multò magis rece deret ab Eccleſia Romana, qui in die Conceptionis nullo officio Virginem coleret, quàm qui aliquo ſola vnius vocis diſcrepantia, nempe mutato nomine Conceptionis in ſanctificationem: & tamē illa maior diſceſsio licebat; ergo multo magis hæc minor.

13. Sed hæc obiectio nullus roboris eſt. Fatemur Dominicanos potuiſſe adhuc poſt Sixtum Quartum non celebrare feſtum Conceptionis, fatemur potuiſſe octauo Decembris nullum de B. Virgine officium recitare: negamus tamen potuiſſe vti officio ſanctificationis, negamus etiam magis recedi ab Eccleſia Romana nullum eo die de B. Virgine officium celebrando, quam loco Conceptionis colendo ſanctificationem. Ratio aperta eſt. Nam ille receſſus (vt cum Scholaſticis loquamur) *negatiuus* tãtùm eſt, hic vero *poſitiuus*. Minus autem recedit, qui non facit, quod alius; quàm qui, hoc non contentus, diuerſum inſuper aliquid facit, quod in ſenſum contrarium trahi poſsit, maximè ſi eo animo faciat, hic enim poſitiuè pugnat. Non eſt autem nouum in Theologia licitam eſſe omiſsionem alicuius actus, & non eſſe licitum actum oppoſitum.

Declaratur amplius. Ante præceptum Pij V. 14.
licebat Epiſcopis, & ſacris Ordinibus non omnia feſta Romanæ Eccleſiæ celebrare, niſi forte in vniuerſum præciperetur, licebat etiam noua, quæ non colebat Eccleſia Romana, inſtituere, dum tamen iuxta Canònicas ſanctiones fieret inſtitutio, ad hoc enim permittendum inuitabat Diœceſum, & Religionum diuerſitas, quarum quælibet ſuos ſanctos proprios habebat. Ideoq; hoc etiam poſt Pium Quintum ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ conceditur: at ſi quæ Diœceſis, aut ordo vellet ſponte admittere feſtum aliquod Eccleſiæ Romanæ, non poterat ſub alio motiuo aut ſenſu, quàm ſub quo Romana Eccleſia, celebrare, neque aliud ſibi ſubiectum ſacri cultus fingere: hoc enim pertinet ad ſubſtantiam cultus, in quo iure diuino naturali ſuppoſita Eccleſiæ inſtitutione tenetur vnuſquiſque Eccleſiæ conformari, ſicut tenetur rectè iudicare de ſenſu, & iudicio Eccleſiæ; cui tamen refragaretur, & quodā modo etiam damnaret, qui alium ſenſum, & obiectum eiuſdem feſti comminiſceretur, & officio diuino miſceret. Ex quibus liquido conſtat longum eſſe diſcrimen inter facultatem non celebrandi aliqua feſta Romana, aut noua inſtituendi, & facultatem celebrandi feſtum Romanum alio ſenſu, aut mente, quam quibus Eccleſia ipſa

celebrat,& celebrandum proponit,vt ex illa minimê hæc poſsit inferri.

15\. Dices iterum. Dominicani poſt Sixtum Quartum celebrabant feſtum ſanctificationis ſcientibus,& conſentientibus Romanis Pontificibus. Ergo licitè celebrabant. Alioquin prohibuiſſet eis Sedes Apoſtolica. Cum ergo non prohibuerit,ſatis cõniuentia ſua indicabat,nõ eſſe illicitũ officium,quo illi vtebantur. Reſpondemus in primis hoc argumento ſolum probari tolerantiam;hæc autem per ſe non ſufficit, vt licitum ſit,quod toleratur. Deinde negamus ſcientiam, & conſenſum Sedis Apoſtolicæ,neque enim omnia ad aures Summi Pontificis perueniunt, neque ſufficit etiam quæcumque notitia, ſed neceſſaria eſt integra, & perfecta cum rei circumſtantijs; & quod quaſi cognita cauſa cum plena deliberatione,cenſuerit nihilominus Pontifex, ſinendos eſſe Dominicanos in ſua qualicumque conſuetudine. Hoc autem nunquam contigit, certè contigiſſe non conſtat. Quod ſi dicas Pium Quintum ſatis nouiſſe,qui Dominicanus fuerat. Ita ſanè,ſed quia id nouerat, ijs tandem legibus propoſuit Breuiarij reformationem,quibus ſciebat excluſum ſanctificationis officium, vtpote quod non gaudebat ducentorum annorum antiquitate.

Digitized by Google

Neque ommittendum eſt in præſenti quam grauiter idem Pontifex cenſuerit de facultate illa, qua ex conſuetudine vtebantur Eccleſiæ, & Diœceſes inſtituendi officia, & recedendi á Breuiario Eccleſiæ Romanæ; eam enim, quamuis ſatis antiquam, & diuturno vſu firmatam, *prauam conſuetudinem* appellat in illo diplomate, *quod à nobis poſtulat*, vbi hæc inter alia: *Quin etiam in prouincias paulatim irrepſerat praua illa conſuetudo, vt Epiſcopi in Eccleſijs, quæ ab initio communiter cum cæteris veteri Romano more horas Canonicas dicere, aut pſallere conſueuiſſent, priuatum ſibi quiſque Breuiarium conficerent, & illam communionem vni Deo vna, & eadem formula preces, & laudes adhibendi, diſsimillimo inter ſe, ac penè cuiuſque Epiſcopatus proprio officio diſcerperent.* Hæc pronunciat Pius de varietate illa, quæ quod attinet ad ſubſtantiam, & ſubiectum cultus accidentaria tantùm erat; quid diceret de officio, in quo ſub diuerſo plane ſenſu, & á mente Romanæ Eccleſiæ prorſus alieno cultus exhibetur, quale eſt officium ſanctificationis? Plane eius vſum potiori iuri *prauam cõſuetudinem* appellaret. In hoc enim ſalua nõ eſt ſubſtãtia ſubiecti, quod in feſto Conceptionis colit Eccleſia Romana. Nunquam ergo licuit, poſtquam officium Conceptionis inſtitutum eſt. 16.

Pius V.

Hæc diſſeruimus de officio ſanctificationis 17.

poſt

poſt Sixtum Quartum vſque ad Pium Quintũ. Nam poſtquam hic Pontifex prædictum diploma edidit, non egemus his argumẽtis, vt non licuiſſe eiuſmodi officium oſtendamus, cum reſcripto illo prohibitum fuerit, vt ſatis ex dictis liquet. Quare, quamuis daremus, aut licuiſſe ad Pij vſque tempora, aut á Iulio Tertio approbatum fuiſſe; tamen poſt Pium Quintum non potuit frequentari, niſi ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ, quod hactenus non legimus. Nam quod Clemens Octauus expedito etiam diplomate conceſsit Dominicanis vſum Breuiarij, & Miſſalis proprij, nihil probat: tũ, quia expreſsé non concedit officium ſanctificationis, ad quod non ſufficit generalis conceſsio, vt ſupra oſtendimus; tum, quia conceſsio intelligenda eſt iuxta Pij Quinti reformationem, cui non derogat; denique quia vſum Breuiarij, & Miſſalis proprij concedit *ad normam, & præſcriptum Eccleſiæ Romanæ*, quibus verbis plane excludit officium ſanctificationis, quod longé ab eſt ab Eccleſiæ Romanæ norma, & præſcripto. Nihil ergo eſt quod cogat nos fateri eiuſmodi officium, licuiſſe etiam ante Gregorium XV. poſtquam à Sixto IV. inſtitutum eſt feſtum Conceptionis.

18. Denique quamuis daremus licuiſſe ante Gregorium XV. officium ſanctificationis, quo Domini-

minicani vtebantur,cum hic Pontifex iuſsit, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine vterentur;tamen ſi quis eo officio vtens intelligeret ſub nomine ſanctificationis eam, quæ facta ſit poſt contractum in primo inſtanti vitæ peccatum originale, & hunc ſuum priuatum ſenſum ſacræ actioni miſceret,ſub eoque feſtum celebraret;illicitè ageret, & in Eccleſiæ iura peccaret. Ratio eſt,quia illud officium præſefert ſanctificationem præcisè ſumptam, & abſtrahentem,neque aliquod in eo verbum eſt,quod vel præſeruationem excludat,vel ſanctificationem poſt primum inſtans factã indicet(ſiue de officio excuſſo anno 1579.loquamur,ſiue de alio poſtea edito ſub Hieronymo Xauierre Magiſtro Generali, in quo diuerſæ ſunt Nocturnorum lectiones) & in hoc dumtaxat ſenſu abſtrahenti , & vtrique ſententiæ communi permiſſum eſt á Sede Apoſtolica (ſi tamen in ſpecie permiſſum eſt) ergo qui hunc ſenſum peruerteret,& vocem *ſanctificatio* de ſe indifferentem contraheret ad inſtans poſterius,illicitè faceret, nam poſitiuè opponeretur Eccleſiæ Romanæ, colens videlicet feſtum in ſenſu contrario,& prorſus repugnanti. Et in hoc euentu loquuntur Catharinus,& Salmerõ num. 10.relati, vt ex eorum verbis liquet;quorum alter in hoc ſenſu ſanctificationem colere *ſchiſma*

horren-

horrendum appellat: alter verò, *minimè ferendum*, & ab Spiritu Sancto alienum.

19. Atque hinc tandem liquet Libellatoris impoſtura, & atrox in Dominicanos iniuria, dum Libello 1. num. 1. auſus eſt ſcribere: *Vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationē, & melius propriam ſententiam explicandam vtebantur voce ſanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis.* Et Libell. 2. num. 3. *ante decretum fælicis recordationis Gregorij XV. de officio recitando ſub nomine Conceptionis, retenta à Dominicanis voce ſanctificationis ex nominum diſtinctione inferebatur opinionū diſtinctio, ita vt Conceptio præſeruationem apud eius vocis aſſertores importaret, ſanctificatio vero alteram ſententiam exprimeret.* Hæc falſa eſſe, & Ordini Prædicatorum iniurioſa perſpicuum eſt. Falſa quidem, quia licet ex vſu vocis *Sanctificatio* in Officio diuino facile intelligebatur Dominicanos adhuc perſiſtere in ſua ſententia affirmante peccatum originale in Virgine; non tamen in ipſo ſacro officio hanc ſuā ſententiam exprimebant, neque is erat animus; ſed cum nollent celebrare ſub nomine Conceptionis, quia videbant hoc nil aliud eſſe, quàm Immaculatam, & præſeruatam colere; ſanctificationis nomen vſurpauerunt, colentes videlicet aliquid abſtrahens, & vtrique ſentētiæ, & omnibus Catholicis commune, atque adeò certum,

&

& indubitatum. Quare falſum prorſus eſt Dominicanos vſos voce ſanctificationis *ad melius ſuam ſententiam explicandam*, falſum etiam vocem *ſanctificatio* in eorum officio ſacro *alteram ſententiam* (hoc eſt affirmantem) *exprimere*. Neque enim eorum mens, & animus fuit exprimere propriam ſententiam, ſed ab vtraque abſtrahere.

Hanc fuiſſe eorum mentem, & vſum perſpiciet lector ſi doctiſsimos Dominicanos de officio ſanctificationis diſſerentes conſulat. Longũ eſſet ſingulorum verba recenſere, ideò tres potiſsimúm ſelegimus. Primus eſt Caietanus, qui opuſculo de Conceptione cap. 5. explicans, quo ſenſu celebretur feſtũ Conceptionis ita ſcribit: *Conſtat, quod à quibuſcumque Catholicis celebratur hoc feſtum, celebratur ratione ſanctificationis Beatæ Virginis in vtero Matris, ſiue illa ſanctificatio fuerit præueniens, & quaſi præoccupans peccati originalis actualem incurſum, vt opinio iſta dicit: ſiue fuerit mundans ab originali peccato iam contracto, vt altera dicit opinio.* Quibus verbis manifeſté docet ſenſum feſti eſſe abſtrahentem ab vtraque opinione, & ideò ſubdit: *Quocirca omnes conueniunt in ſanctificatione Beatæ Virginis, & quod fuit in vtero, & quod eſt ratio celebritatis iuxta illud: Tu ſolus Sãctus Mariam ſanctificans.* Quæ verba deſumpſit ex Miſſali Dominicano in feſto ſanctificationis. Et quia hic eſt ſenſus feſti,

20.

Caietan.

tandem concludit: *Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies Conceptionis ſub nomine ſanctificationis, vt nomen conſonaret rei*. Quamuis autem fallatur Caietanus, dum exiſtimat in hoc ſenſu abſtrahenti celebrari feſtum ab illis, qui ſub nomine Conceptionis celebrabāt; fatetur tamen de ſuis, qui voce ſanctificationis vtebantur.

21. Deinde audiendus eſt Catharinus qui loco, & verbis cap. præcedenti num. 15. & in hoc cap. n. 10. relatis contendit á Dominicanis coli ſanctificationem abſtrahentem, & quæ non pugnet cū

Medina. præſeruatione. Denique id ipſum ſatis docet Medina, 3. p. quæſt. 27. art. 2. §. *ad hoc dicendū*, vbi ita ſcribit: *Vt nullus ſit error neque ſpeculatiuus, neque practicus in celebrando Conceptionis feſto, ſecuriſsimus modus eſt celebrare illud punctum, in quo iuſtificata eſt, & plenitudine gratiæ decorata abſtrahendo an ſit concepta cum peccato originali, necne*: & infra §. *ad ſecundum* docet ab Eccleſia celebrari feſtum in hoc ſenſu. Liquet ergo Libellatorem ſiniſtra interpretatione detorquere officium ſanctificationis, atque domi ſuæ eſſe hoſpitem, vtpote qui ignoret, quo ſenſu ordo ſuus ſanctificationem Virginis ante decretum Gregorij XV. coluerit.

22. Quantam autem iniuriam irroget Ordini Dominicano, nemo non videt, cum ei tribuat officium, & ſenſum cum mente Romanæ Eccleſiæ

pug-

pugnantem, atque adeó prohibitum, vt ſatis ſuperque ex dictis liquet. Neque tamen omittã de hominis inconſtantia lectorem cõmonere. Scribit Libello 2. num. 17. *Eccleſiæ ſanctæ fixa eſt, & perpetua conſuetudo colendi, non niſi certam, & indubitatam ſanctitatem.* Ideoque num. 18. adducit ex Diuo Thoma, obiectum cultus in celebritate Conceptionis, *Eſſe primam gratiam Virgini collatam abſtrahendo à tempore, vel inſtanti, quo collata fuerit.* Ac tandem ſubijcit, *Non inſtituuntur ab Eccleſia feſtiuitates iuxta has vel illas, quæ falli poſſunt, opiniones.* Similiaque addit num. 19. Nunc ſcire deſidero qua ratione hæc componi poſsint cum illis, quæ ex eodem Libellatore nuper adduximus: Dominicanos vſus in Officio diuino ſanctificationis voce *ad melius propriam ſententiam explicandam,* & ea voce *alteram ſententiam exprimi.* Nam ſi Eccleſia non colit, *niſi certam, & indubitatam ſanctitatem,* cur officium inſtituiſtis exprimens veſtrã ſententiam? an vt *à fixa, & perpetua,* Eccleſiæ conſuetudine recederetis? Nam ſanctificatio veſtrã ſententiam exprimens non eſt ſanctitas certa, & indubitata. Deinde ſi iuxta mentem Diui Thomæ in hac celebritate ſolúm colitur prima gratia *abſtrahendo à tempore, vel inſtanti, quo collata fuerit;* cur colitis ſanctificationem, quæ, dum veſtrã ſententiam exprimit, non abſtrahit á tempore,

Digitized by Google

ſed exprimit inſtans poſterius, in quo fuerit collata? An vt recederetis etiam à mente Diui Thomæ? Rurſum ſi ab Eccleſia *non inſtituuntur feſtiuitates iuxta has, vel illas, quæ falli poſſunt, opiniones;* cur inſtituiſtis officium iuxta opinionem veſtrā, *& ad melius explicandam veſtram ſententiam*, & cum voce, *quæ eam exprimeret*? An vt hac etiam ratione ab Eccleſia diſcederetis? Denique contraria ſunt; *Eccleſia non inſtituit feſtiuitates iuxta has, vel illas opiniones*, &: *Iulius Tertius, & alij Pontifices approbarunt officium ſanctificationis, quæ alteram ſententiam exprimit*. Sed benè eſt, quod Sacer Ordo Dominicanus non eſt vſus officio ſanctificationis in eo ſenſu, ſed in abſtrahenti, & communi vtrique ſententiæ, vt ſatis oſtendimus. Quare abſurda, quæ expendimus, illum minimè tangunt, ſed te duntaxat, Libellator, qui & tuis iniuriosè imponis, & tecum pugnas. Adeò, dum in Immaculatam inueheris, neque tuis parcis, neque tibi. Sed de officio ſanctificationis diſſerendi aliquando tandem finem faciamus.

ECCLESIA ROMANA CONceptionem Virginis titulo Immaculatæ condecorat.

CAPVT XV.

Reliquum eſt, vt (quod capite primo promiſsimus) oſtendamus Eccleſiam Romanam tribuere Conceptioni Virginis titulum Immaculatæ. Et quamuis id ex hactenus dictis (præcipuè cap. 8.) ſatis conſtet, tamen operæ pretium eſt loca in vnum colligere, & expendere. Duobus autem modis id potiſsimùm præſtat Eccleſia, nempe aut facto, aut verbis: & verbis quidem, aut ſuis, aut alienis, dum ea approbat, & confirmat. In præſenti accuratè expendemus teſtimonia, in quibus Eccleſia ſuis verbis loquens, epithetū Immaculatæ tribuit Cōceptioni, reliqua ſummatim perſtringemus. Sanè quoties Romani Pontifices fauore aliquo proſequuntur Cōceptionem, & eius cultores; toties titulum Immaculatæ approbant, & commendant: tum quia non alij Conceptioni, niſi Immaculatæ, & præſeruatæ, cultus ſacer poteſt exhiberi; tum quia fideles, quorum pietatem his fauoribus promo- 1.

uent Pontifices, non aliam Conceptionem colunt, niſi Immaculatam; neque alio ſenſu, & mente, idque Sedi etiam Apoſtolicæ notiſsimum eſt. Quoties ergo in fauorem Conceptionis aliquid ſtatuunt, aut concedunt Pontifices Summi; toties facto ipſo titulum Immaculatæ approbãt, quamuis verbis non exprimant. Huiuſmodi ſunt ordinum ſub titulo Conceptionis inſtitutiones, Confraternitatum confirmationes, conceſsiones indulgentiarum, facultates Eccleſiarum erigendarum in Conceptionis honorem, & ſimilia, quorum ampliſsimam ſegetem inueniet lector in *Regeſto pro tuendo titulo Immaculatæ*, vbi incredibili diligentia, & eruditione penè congeſtũ eſt, quid quid vſquam, & vnquam pro Conceptione Immaculata geſtum eſt. In hoc opere concinnando laborarunt collatis ſtudijs quatuor è Seraphica familia viri doctiſsimi, tam fæliciter, vt dubitandum non ſit Conceptionem hac veluti quadriga vectam planè triumphare. Nos ex hoc amæniſsimo viridario multa decerpſimus teſtimonia diſputationi noſtræ opportuna, quæ alibi nõ legeramus. Nam magnam Regeſti partem á prælo recentem, cùm adhuc ſub eo ſudaret opus, nobis communicauit Reuerendiſsimus Pater Ioannes á Palma. Itaque acceptum referimus. *Eſt enim benignum, & plenum ingenui pudoris* (vt

Plinius in Præfatione.

aiebat

aiebat ille) *fateri per quos profeceris.*

Amandato ergo lectore adhoc egregium , & ſpiſſum opus,quodattinet ad illa , quibus Pontifices Romani facto ipſo approbant titulum Immaculatæ,quamuis verbis non exprimant; ad ea facimus gradum,in quibus verbis ipſis hoc honore ornant Conceptionem. Et quidem hæc non ſunt eiuſdem generis,nam aliquando Pontifices ſuis verbis loquentes Conceptionem appellant Immaculatam; aliquando aliena,in quibus is titulus tibuitur,cōfirmant, atque adeó ſua faciūt. huiuſmodi ſunt officia diuina,ſodalitatum conſtitutiones,& ſimilia à priuatis quidem confecta,ſed á Summis Pontificibus approbata. Rurſum in his aliquid intereſt.Nam approbatio Pōtificia aliquādo ſpecialis eſt,& determinatè circa materiam Immaculatæ Conceptionis verſatur; aliquando tantúm in genere, vt quando approbatur Breuiarium, in quo continetur officium Immaculatæ Conceptionis, nulla facta expreſſa mētione huius officij, ſed generatim comprehenſo cum reliquis. Huiuſmodi eſt Breuiarium Cardinalis Quignonij à Clemente Septimo, & Paulo Tertio approbatum , Breuiarium Monialium Conceptionis ab Innocentio VIII. Iulio Secundo,& Leone X. Breuiarium Franciſcanum à multis Summis Pontificibus ; Cathecismus Cardi- 2.

nalis

nalis Bellarmini, à Clemente Octauo, in quibus tamen Conceptis Verbis Conceptio dicitur Immaculata, & præſeruata, Virgoque ipſa ſine peccato originali Concepta. Huc etiam attinent innumera Breuiaria tum ſacrorum Ordinum, tum Diœceſum, & Eccleſiarum à Sede Apoſtolica approbata ante Sixtum Quartum, & poſt ipſum, in quibus frequens eſt officium Immaculatæ Cõceptionis, & de quibus conſulat lector Regeſtũ ſupra citatum. Nos enim ab his recenſendis abſtinemus, quia huiuſmodi approbatio generalis tãtum eſt; quamuis non dubitamus eam abundé ſufficere, vt veriſsimum ſit, ab Eccleſia Romana approbari titulum Immaculatæ.

3. Propius ad inſtitutum huius capitis accedunt approbationes illæ, quibus aliquid ad ConceptionemImmaculatam ſpectans ſpecialiter, & in indiuiduo cõfirmatur. Huc inprimis attinet officium Leonardi de Nogarolis, à Sixto Quarto ſpeciali diplomate approbatum, nempe extrauaganti *cum præexcelſa*, & à Leone X. *ſupra gregem Dominicum*, vbi huius officij expreſsè meminit. Deinde officium Bernardini de Buſti, quod cum idem Sixtus perlegiſſet, approbauit ſpeciali etiã diplomate, quod cap. 6. num. 9. lectori dedimus. Idem eſto iudicium de officio Immaculatæ Cõceptionis contento in Breuiario Monialium

Sixtus IV.

Leo. X.

Con-

Conceptionis, nam Innocentius Octauus in Bulla approbationis huius ordinis, in ſpecie iubet vt Moniales, *per totum annum horas Canonicas maiores, & officium diuinum de huiuſmodi Conceptione dicere* debeant, exceptis quibuſdam diebus, in quibus tamen *horas minores, & officium paruum eiuſdem Beatæ Mariæ cum Antiphonis, Verſiculis, Capitulis, & Orationibus de eadem Conceptione dicere debeant.* Itaq; voluit Pontifex, vt ſingulis anni diebus etiam ſolemniſsimis, adque adeò perpetuò, Conceptio Immaculata in Officio diuino ab hoc Religioſo Ordine coleretur, rariſsimo ſanè Conceptionis priuilegio, neque enim ſimile alicui myſterio aut Sancto, etiam ex ſummis, á Sede Apoſtolica conceſſum legimus. Hoc idem confirmauit Iulius Secundus in approbatione regulæ huius ordinis, vbi officij Conceptionis, & Breuiarij Monialium, inqno continetur, expreſsè meminit: *Omnibus autem feſtis ſimplicibus, & Dominicis non primò ponendis dicent officium Conceptionis, cum cõmemoratione Dominicæ ſecundum formam Breuiarij ad hoc illis deputati. Minus autem officium Conceptionis dicant ſecundum quod ſibi moris eſt.* Quibus autem epithetis ornetur Conceptio in eo Breuiario diximus cap. 5. § . 27. & lector latius inueniet in Regeſto Franciſcano colum. 142.

Innocẽt. VIII.

Iulius II.

12

4.

Deinde Adrianus Sextus confirmauit Con- Adrian. VI.

fraternitatem Conceptionis Toleti erectam à Cardinali Franciſco Ximenez, approbauitque conſtitutiones, & ſtatuta *ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in litteris Franciſci Cardinalis huiuſmodi contenta.* In illis autem Conceptio appellatur *Immaculata, Sancta, Sanctiſsima.* Paulus Quintus conceſsit centum dies Indulgentiæ *omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui antiphonam, & orationem Conceptionis B. Mariæ Virginis approbatam deuotè recitauerint.* Antiphona autem eſt: *Hæc eſt Virgo, in qua nec nodus Originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Oratio vero: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem.* Vide lector Regeſtum col. 175. cum ergo in his Conceſsionibus Sedes Apoſtolica, ſpecialiter approbet verba, & officia, in quibus Conceptio expreſsé dicitur *Immmaculata*, plané fit Eccleſiam Romanam hoc epitheto cõdecorare Conceptionem.

Paul. V.

5. Sed vrgebit fortaſſe Libellator. Non eſt idem approbare titulum Immaculatæ, & illum tribuere Conceptioni. Illud enim alterius ſenſum commendat, hoc propriam mentem exprimit. Non eſt autem neceſſe, vt qui alterius ſcripta approbat, idem prorſus cum illo ſentiat, vt manifeſtũ eſt, & experientia ipſa docet. Quare licet Pontifices in prædictis diplomatibus titulum Immaculatæ confirment, non tamen propterea tribunt;

ſicut neque propterea ſentiunt Conceptionem fuiſſe Immaculatam,ſed tantúm promouent pietatem eorum,qui ſentiunt. Ex prædictis ergo nõ ſequitur Eccleſiam Romanã ornare Conceptionem titulo Immaculatæ,neque id de Eccleſia affirmari poterit,niſi ipſa ſuis verbis loquẽs Immaculatam appellet Conceptionem.

Sed in primis,& ſi daremus obiectionem cõcludere,nihilominus illud fixum manet,nõ eſſe prohibendum titulum Immaculatæ. Cur enim prohibeatur, quod Eccleſia Romana approbat, & confirmat? Sed vlterius contendimus ex prædictis diplomatibus non qualemcumque Eccleſiæ approbationem confici, ſed eam, quæ eiuſdẽ Eccleſiæ ſenſum,& mentem exprimat Immaculatæ Conceptioni aſſentientem citra difinitionem. Eccleſia enim hæc approbans, non vtcumque promouet fidelium pietatem, ſed proponit illis Immaculatam Conceptionem tanquam ſubiectum cultus ſacri,& publici,aliquando indulgentijs inuitando,aliquando etiam præcipiendo, vt es prædictis conſtat. Non autem poteſt obiectum aliquod proponere,niſi ſentiat ita eſſe,ſiue hic aſſenſus probabilis tantúm ſit,ſiue etiam certus(nam de qualitate eius modo non curamus) manifeſtum ergo eſt Eccleſiam Romanam in prædictis diplomatibus tribuere Conceptioni titu- 6.

lum Immaculatæ, eo ipſo quòd ſpeciatim confirmat in ordine ad ſacrum cultum ea, in quibus is titulus exprimitur.

7. Quod ſi his non ſatis conquieſcit Libellator, & audire vult Eccleſiam Romanam ſuis verbis tribuentem Conceptioni epithetum Immaculatæ, audiat. In primis in officio, & Miſſa, quibus centum fere annis vſa eſt á Sixto Quarto, ad Piũ Quintum, ſæpiſsimè eo titulo Conceptionem honorat. *Immaculatam Viginis Conceptionem celebremus, &c. Deus qui Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* Hæc autem verba propriſsimè dici, & eſſe verba Eccleſiæ Romanæ manifeſtum eſt, ex quo officium hoc inſtituit, & Romano Breuiario inſerẽs, ſuum fecit, vt oſtendimus cap. 6. & 8. At inquis, ea verba ſunt Leonardi de Nogarolis, atque adeo non Romanæ Eccleſiæ. Meræ nugæ. Quaſi aliquid referat, á quo ſit compoſitum officium, quo Eccleſia Romana vtitur. Eodem iure poſſes dicere Hymnos, & orationes Breuiarij Romani non eſſe Eccleſiæ, ſed B. Ambroſij, Prudentij, & eorum, qui compoſuerunt. Sanè non minus hæc Eccleſiæ Romanæ ſunt, quàm Hymni quos Vrbanus Octauus Romanus Pontifex á ſe concinnatos Breuiario inſeruit. Ideò cum in multis Breuiarijs nomina authorum, qui Hymnos compoſuerunt, exprimerentur (vt ſancti Ambroſij,

& Prudētij) iuſtum eſt ea deleri, vt omnes tandē intelligant, eas Officij diuini partes, non ad primos authores referendas eſſe, ſed ad Eccleſiam Romanam, quaſi ipſa conſtruxerit. Authoritatē enim, & pondus non ab illis accipiunt, ſed ab Eccleſia, quę illis verbis loquitur, & in cuius perſona á miniſtris proferuntur.

Veriſsimum ergo eſt Eccleſiam Romanam ſuis verbis loquentem in officio diuino conceptionem ornaſſe titulo Immaculatæ centum fere annis á Sixto Quarto, ad Pium V. & quamuis optimò iure dici etiam poſsit hunc titulum tribui ab Eccleſia, quoties officium aliquod, aut quid ſimile approbauit ad vſum priuatæ Eccleſiæ, aut ordinis, aut reliquorum fidelium (cuius generis ſunt exempla quæ adduximus num. 3. & 4.) nam hæc etiam nomine Eccleſiæ recitantur; tamen hoc potiſsimúm eminet in officio, quod Eccleſia Roma non ſolum approbauit pro priuatorum vſu, ſed in Romanos ritus admiſsit, & ſuo Breuiario inſeruit, quale eſt Nogarolicum. Aliorum enim verba poſſunt dici aliena, quamuis approbata; Verba autem officij Nogarolici propriſsimè ſunt verba Eccleſiæ Romanæ; quia ſunt officij Romani. Huc etiam attinet ingens honor qui accreuit officio Nogarolico nempe quod eo vſi ſunt Romani Pontifices qui á Sixto IV. ad 8.

Pium

Pium V. Eccleſiæ clauum tenuere, numero duodecim (excipimus enim Pium Tertium qui 22. Septembris creatus, obijt 18. Octobris eiuſdem anni, & Marcellum Secundum electum 9. Aprilis, & vita functum Kalendis Maij proximè ſequentis) duodecim ergo Pontifices Summi, penſum diuini Officij ſoluentes, aut ſacrum facientes in die Conceptionis, titulum Immaculatæ, quoties eſt in Breuiario, & Miſſali Romano illorum temporum, pronuntiarunt integro ferè ſæculo, nam eos in eo feſto, aut ſacrum feciſſe, aut ſaltem officium diuinum recitaſſe (niſi forte aliquando valetudinis cauſa omiſſerint) dubitandũ non eſt.

9. Sixtus IV. Præterea Sixtus Quartus vndecim milium annorum indulgentiam conceſsit deuoté recitãtibus hanc orationem ab ipſomet Sixto compoſitam: *Aue Sanctiſsima Maria Mater Dei, Regina Cæli, Porta Paradiſsi, Domina mundi. Tu es ſingularis Virgo puriſsima, tu Concepta ſine peccato originali, & ideò Immaculatiſsima, &c.* Integram orationem inueniet lector apud Hypolytum Marraccium in Pontificibus Marianis cap. 79. vbi eam á Sixto Quarto compoſitam affirmat. Nos ea verba adduximus, in quibus Romanus Pontifex Virginem dicit *ſine peccato originali Conceptam, & ideò Immaculatam.*

Di-

Dices fortaſſe. Quamuis in Officio diuino, & ſacris precibus titulus Immaculatæ tribuatur Conceptioni; tamen Pontifices Romani in ſuis diplomatibus, & decretis non tribuunt, ſed Virgini tantum, vt Sixtus Quartus in extrauaganti *cum præ excelſa*, & vtraque *Graue nimis*, Innocentius VIII. in confirmatione Ordinis Monialium Cõceptionis *inter munera*. Alexander VI. *Illius qui*, Iulius II. *dum præclara meritorum inſignia*, idem *ad ſtatum proſperum*. Leo. X. *ſuper gregem Dominicum*, Adrianus VI. *Romanus Pontifex* Pius V. *ſuper ſpeculam* Gregorius XIII. *vnigeni filij Dei*, Sixtus V. *inefabilis*, Paulus V. *ad augendam*, & in decreto ſanctæ Romanæ Inquiſitionis, Gregorius XV. in ſimili decreto, ac tandem Vrbanus VIII. in quinque diplomatibus de Militia Conceptionis. Hi duodecim Pontifices in prædictis Bullis & decretis frequenter nominant Conceptionem Virginis, nunquam tamen ei tribuunt epithetum *Immaculatæ*, vt ex ipſis diplomatibus conſtat, quæ integra recenſentur in Regeſto Franciſcano. Cum ergo tam conſtanter Pontifices abſtineant ab eiuſmodi titulo, argumento eſt, cum officia diuina, aut preces ſacras confirmant, in quibus is titulus exprimitur; pietati duntaxat fidelium id tribui, non quod ex ſenſu, & mente Eccleſiæ Cõceptio dicatur *Immaculata*, quando quidem Pon- 10.

tifices

tifices Summi, quorum ore tantùm loquitur Eccleſia Romana, in ſuis decretis eo honore non cumulant Conceptionem.

11. Sed hæc nullius momēti ſunt. In primis enim falſum eſt Pontifices numquam in ſuis decretis tribuere Conceptioni titulum Immaculatæ, vt poſtea oſtendemus. Deinde illi ipſi, qui in prædictis diplomatibus non tribuunt Conceptioni, non tribuunt etiam Virgini, (vt ex ipſis liquido conſtat) exceptis duntaxat Sixto Quarto, & Vrbano Octauo, quorum tamen ille, licet in extrauaganti *cum praexcelſa* epithetum Immaculatæ tribuat Virgini, non Conceptioni; hanc tamen *miram* dicit, & in extrauaganti *Graue nimis*, & Virginem, & Conceptionem appellat Immaculatā: Quod etiam præſtat Alexander Sextus, dum eā ſuo diplomati ad verbum inſerit. Vrbanus vero in diplomate *cum nos nuper Militiam*, neque Virgini etiam tribuit eum titulum. Reliqui Pontifices in locis ſupra adductis æquè abſtinent ab ea voce, vel cum Virgine, vel cum Conceptione iūgenda. Hinc plane fit nihil ex hoc Pontificum ſilentio deduci poſſe aduerſus Conceptionem, quod attinet ad titulum Immaculatæ, ſicut neque poteſt aduerſus Virginem, ſed huus ſilentij diuerſas eſſe cauſas nihil vtrique officiētes, quas lector repetat ex his, quæ diximus cap. 5. §. 28.

cum

cum de Vrbano Octauo ageremus.

Nunc oſtendamus Pontifices in ſuis diplomatibus Conceptionem ornare titulo Immaculatæ. 12.
Id in primis aſſerimus de Sixto Quarto. Et vt Sixtus IV.
omittamus, quod in extrauaganti *cum præexcelſa* Conceptionem Virginis appellat *miram: de ipſius* (inquit) *Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant*, in ſecunda *Graue nimis*, planè dicit Immaculatã. Reprehendens enim concionatores, qui damnabant celebrantes officium Conceptionis, *hactenus* (inquit) *non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent, aut aſſerunt eandem glorioſam, & Immaculatam Dei genitricem abſque peccati originalis macula fuiſſe Conceptam, mortaliter peccare; vel eſſe hæreticos eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Ecce Conceptionem appellat *Immaculatam.* At, inquis, Pontifex non appellat, ſed tantùm refert, quid concionatores illi in publicis concionibus aſſererent. Sed hoc effugium facile occiuditur. Refert quidem Pontifex in his verbis propoſitiones illorum cõcionatorum, tamen epitheta, quæ tribuit Virgini, & Conceptioni, è ſuo tribuit. An, cum dicit *eandem Glorioſam, & Immaculatam Dei genitricem*, nõ ex propria mente, & ſenſu tribuit Virgini epitheta *Glorioſæ, & Immaculatæ?* quis neget? Ergo ſimiliter ex proprio ſenſu, & mente tribuit Concep-

tioni cum dicit: *eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Eadem enim eſt vtriuſque ratio in eadem ſententia, & tenore verborum.

13. Imó maior in Conceptione, quam in Virgine. Credibile enim eſt cōcionatores illos, vtpote pios, & Catholicos, ornaſſe Virginem ipſam epithetis Glorioſæ, & Immaculatæ in ſuis concionibus. Vnde dubitari poteſt, an Pontifex hæc é ſuo addat, an verò etiam tanquam illorum referat, cū de Virgine loquitur. At cum de Conceptione, dubitari non poteſt titulum *Immaculatæ* ab ipſo Pontifice additum, cum manifeſtum ſit concionatores illos minimè eum tribuiſſe Conceptioni, qui potius negabāt Immaculatam. Cum ergo Pontificces eorum factum referens dicit *Eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officiū celebrantes*, é ſuo addidit vocem *Immaculatæ*, non recitatiuè (vt comminiſcitur Libellator) neque enim recitare potuit, quod concionatores ipſi non proferebant. Contendebant illi Conceptionem non eſſe colendā, vtpote in peccato originali factam. Deinde hæreticos dicebant eos, qui celebrabant feſtum Cōceptionis. Pontifex hunc errorem referens Conceptioni addidit epithetū *Immaculatæ*, qui eo ipſo debetur, quod (vt pauló ante dixerat) *Eccleſia Romana de Conceptione feſtum celebrat*. Sed de mente Sixti Quarti in hac extrauaganti ſatis diximus

cap.

cap. 8. nunc addimus, cum Alexander Sextus eã diplomati *illius qui* ad verbum inſeruerit, & Leo X. *Supra gregem Dominicum* eandem ſummatim referens approbauerit, Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. expreſſa facta mentione, ac ſi tenor eius inſertus fuiſſet, confirmauerint; manifeſtum eſſe hos Pontifices titulum *Immaculatæ* tribuiſſe Conceptioni, ſicut & Sixtum. Quod etiam affirmamus de Concilio Tridentino, ſiquidem eandem Sixti extrauagantem approbauit. Alexan. VI. Leo. X. Pius V. Paul. V. Gregor. XV. Triden.

14. Iulius Secundus in diplomate *dum præclara*, expedito x. Iulij anno 1510. indulgentias quaſdam concedit *omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus in Regno Caſtellæ cõſtitutis, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Imaginem eiuſdem B. Mariæ, & Vnigeniti eius filij, quam dilectæ in Chriſto filiæ Moniales Ordinis Sanctæ Conceptionis Toletanæ in ſcapulario, & homines in pectore defferre conſueuerunt, detulerint*. Ecce Pontifex ſuis verbis Conceptionem appellat *Sanctam*. Quod quidem per inde eſſe (imò præſtantius) ac ſi Immaculatam dixiſſet, oſtendimus cap. 5. §. 20. Iulius II.

15. Idem Iulius in diplomate *ad ſtatum proſperum* expedito XV. Kal. Octobris anno 1511. vbi regulam á prædictis Monialibus ſeruandam præſcribit, non ſolum Conceptionem appellat Immaculatam, ſed conceptiſsimis verbis exprimit

myſterium præſeruationis. Conſtitutiones ipſas ſic orditur: *Quæcumque à Deo illuſtratæ, & vocatæ ſæculi vanitatem deſerere voluerint, & huius regulæ habitum aſſumentes Ieſu Chriſto Redemptori noſtro deſponſari voluerint, eiuſdem genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes, voucant, &c.* Subdit formulam profeſsionis: *Ego N. ob amorem, & ſeruitium Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem genitricis voueo, &c.* Præſcribens autem habitum, ſeu veſtẽ Monialium: *Pallium* (inquit) *ſit Hiacinthini coloris propter myſticam ſignificationem, videlicèt, quòd glorioſæ Virginis anima à creatione ſua tota facta fuit Cœleſtis & ſingularis Regis æterni thalamus.* Rurſus decernens, vt Cardinalis protector Ordinis Seraphici ſit etiã gubernator harũ Monialiũ, inquit: *Vt glorioſæ Virginis pijs in cordibus puriſsimæ Conceptionis augeatur deuotio, volumus, &c.* & poſt pauca ſubijciens eas regimini Ordinis Seraphici: *Volumus etiam, quòd ex quo Fratres Minores tam indefeſſò ſtudio & vigilantia, puritatis, & innocentiæ Dei genitricis defenſores exiſtunt, quòd Vicarij Generales in ſuis Vicarijs & Prouinciales, & cuſtodes in ſuis Prouincijs, & Cuſtodijs ſint Viſitatores huius Sãctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, &c.* Vides Iulium Conceptionem appellare *Immaculatam, puriſsimam* & animam Virginis, *à creatione ſua totam cœleſtem.*

Dices fortaſſe. Iulius non compoſuit has con- 16.
ſtitutiones, ſed ab aliquo ordinatas, & á Monialibus oblatas, approbauit. Quare ex eis non rectè probatur Pontificem ſuis verbis, & ex propria mente, & ſenſu hæc epithetha tribuere Conceptioni. Reſpondeó, nihil referre, an legiſlator ipſe legum verba texuerit, an ab alio contexta, vt ſua promulget, vim, & authoritatem tribuens. Alioquin verba diplomatum non erunt Pontificum in eis loquentium, ipſi enim non conficiunt, ſed ea cura incumbit miniſtris ad id deputatis. At Iulius, non vtcumque approbauit conſtitutiones Monialium, ſed ſuo diplomati ad verbũ inſeruit, in eiſque ipſe loquitur, diſponit, præcipit, vt ſatis conſtat ex illo verbo *volumus* ſæpius repetito. Adde quod teſtatur etiam ſe antea eandem regulam dediſſe Monialibus; *Ad Regulam* (inquit) *& formam viuendi per alias noſtras litteras eis datam.* Quare ſicut ipſe eſt, qui diſponit, & præcipit, ipſe etiam eſt, qui Conceptionem appellat *Immaculatam, puriſsimam*; ipſe, qui in pallio Hiacinthino myſteriũ præſeruationis agnoſcit, quo anima Virginis *à creatione ſua, tota facta eſt Cæleſtis*; ipſe, qui, *vt puriſsimæ Conceptionis augeatur* deuotio, ſubijcit Moniales Ordini Seraphico, cuius erga *puritatem, & innocentiam Dei genitricis indefeſſum ſtudium, & vigilantiam* laudat. Vide

quæ diximus cap. 5. §. 24. & 28.

17. Leo. X. Sed planiſsimus locus eſt ex Leone X. in diplomate *pia Chriſti fidelium*, expedito 18. Februarij 1518. orauerat Clerus oppidi *Molina de Aragon*, Diœceſis Seguntinæ, vt facultatem faceret celebrandi Miſſam ſolemnem in ipſa nocte pervigilij Conceptionis, ſtatim poſt matutinum, & laudes, quibus officijs nocte ipſa intẽpeſta frequẽs aderat populus. Annuit Pontifex pijs poſtulatis atque ita orditur diploma: *Pia Chriſti fidelium, & præſertim Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis Redemptoris noſtri, & humanæ ſalutis authoris Domini noſtri Ieſu Chriſti Genitricis honorem tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & fauoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, &c.* Audis Leonem ſuis verbis tribuentem Conceptioni epithetum Immaculatæ. Idem etiam præſtitit in diplomatæ *quia nuper*, in quo Moniales Conceptionis participes facit priuilegiorum Ordinis Seraphici: *quia nuper* (inquit) *accepimus nonnulla in partibus Hiſpaniarum monaſteria Monialium Ordinis Immaculatæ Conceptionis ſub veſtra obedientia diu noctuque altiſsimo famulatum præſtare, &c.* vtrumque diploma inuenies in Regeſto Franciſcano columm. 141. & 164.

18. Paul. III. Egregium etiam teſtimonium nobis reliquit Paulus Tertius in diplomate, *cum deuota conſide-*

ratione expedito 26. Martij 1537. vbi confraternitati Conceptionis ſitæ in Eccleſia ſancti Laurentij in Damaſo concedit priuilegia confraternitatis Charitatis, & hoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia, & Archihoſpitalis ſancti Iacobi in Augusta. Hoc diploma vidit Pater Moreno, & ex Latino in Hiſpanicum ſermonem tranſtulit, inſeruitque integrum libro ſuo de Conceptione cap. 9. extatque etiam in Regeſto Franciſcano, col. 645. nos Hiſpana verba Latio reſtituentes, hæc decerpſimus. Orditur totidem penè verbis, quibus Sixtus Quartus in extrauaganti *cum præexcelſa*, & ſub ipſum initium ſic loquitur: *Dignum & iuſtum reputamus, vt vniuerſi Chriſti fideles Omnipotenti Deo gratias referant, cuius prouidentia eandem Virginem ab æterno præſeruauit, & recepit pro reconciliandis hominibus lapſu primorum parentum æternæ morti obnoxijs, eam filij ſui vnigeniti habitaculum conſtituēs quam præparauit Spiritus Sanctus à puncto ſuæ puræ Conceptionis manente ſemper Virgine poſt partum. Et vt omnes fideles grates Deo referant de Immaculata Conceptione Sanctæ Matris eius, & curent ob merita Conceptionis ſine macula, ſuam, & proximorum ſalutem; viſum eſt nobis iuſtum elargiri munera, gratias, & ſpiritualia dona, vt per merita Conceptionis Virginis glorioſæ paratos ſe inueniant diuinæ gratiæ ſuſcipiendæ.* Confer lector cum extrauaganti *cum præexcelſa*, vi-

debis

debis eadem penè verba, niſi quod Paulus Conceptionem, quam Sixtus *miram* dixerat, *puram Immaculatam, & ſine labe* dicit. Addit etiam *ab æterno præſeruatam*, & ab *inſtanti* Conceptionis *Immaculatam*, optatque, vt *per merita Conceptionis ſine macula* fideles ſuam, & proximorum ſalutem procurent. Hæc Pontifex in diplomate proferre, eiſq; ad ſpirituales largitiones moueri non potuiſſe, niſi Conceptionem fuiſſe Immaculatam ipſe ſentiret, luce clarius eſt.

19. Neque omittam eundem Paulum ſuam erga Immaculatam Conceptionem pietatem teſtatā reliquiſſe fauore, quo impertiuit almam Salmanticenſem Academiam. Nam eius authoritate, & liberalitate erectum eſt in ea collegium *ſub inuocatione Sanctæ Mariæ de Conceptione*, quod vocant *Orphanorum*. Erexit illud á fundamentis illuſtris admodum vir Franciſcus de Solís eiuſdem Pauli Commenſalis, & Epiſcopus Balneoregij. Erectionem confirmauit Pontifex, & multis priuilegijs Collegium muniuit expedito diplomate ſexto Nonas Iulij anno 1540. Deinde alio diplomate 23. Auguſti eiuſdem anni multa Eccleſiaſtica beneficia eidem Collegio attribuit, & in perpetuum vniuit. Inſuper in eiuſdem Collegij Capella inſtituit inſignem confraternitatem vtriuſque ſexus *Archiconfraternitatem ſub dicta in*

vocatione de Conceptione nominandam, eamque ditauit eiſdem priuilegijs, & indulgentijs, quibus gaudent confraternitates, *Imaginis ſancti Saluatoris ad Sancta Sanctorum, & Charitatis, ac Archihoſpitalis Sancti Iacobi in Auguſta, & Campi Sancti de Vrbe, ac eiſdem imaginibus, & Archihoſpitali Sancti Iacobi, & Campo Sancto, eorumque, necnon B. Mariæ de Populo & conſolatione eiuſdem Vrbis Eccleſijs, conceſsis*, aliaſque etiam indulgentias addidit. Habemus vtriuſque diplomatis exemplaria, quæ ex archiuo eiuſdem Collegij tranſcripta miſsit ad nos nobilis vir *D. Franciſcus de Solis Quiñones Montenegro* Collegij Patronus, & Rector.

Sixtus Quintus in diplomate *ineffabilia* 30. 20
Martij 1588. concedit fratribus, & Monialibus Sixt. V.
Ordinis Sancti Franciſci, vt officium Conceptionis B. Mariæ per totam eius octauam recitare poſsint, ad idque mouetur, *quòd omnes dicti Ordinis vtriuſque ſexus perſonæ ex ipſius ordinis inſtituto puriſsimam ipſius Dei genitricis Conceptionem deuotiſsime celebrare, ac illam condignis laudibus, & honoribus extollere, ac fidelibus prædicare, & explanare, ipſiuſque feſtum maxima reuerentia venerari conſueuerint*. Ecce Conceptionem appellat *puriſsimam*, moxque ſtudium Seraphici Ordinis laudat: *Nos tam pium, & laudabile propoſitum ad eiuſdem B. Virginis laudem, & honorem fouere volentes ipſorumque Miniſtri, & Fra-*

trum, atque etiam Monialium erga hanc ſacratiſsimam Virginem deuotionis affectum plurimum in Domino commendantes, &c.

21. Paul. V. Paulus Quintus anno 1609. *propter eximiam deuotionem, quam totus ordo*(Seraphicus) *habet in Deiparæ Virginis Immaculatam Conceptionem, conceſit, quod omnes Fratres totius Ordinis ſupra dicti omnibus diebus Sabbati feſto nouem lectionum non impeditis poſsint recitare officium Immaculatæ Conceptionis, quod incipit:* Sicut lilium,&c. *Sub ritu ſemiduplici.* Ita teſtatur Cardinalis Arigonius, qui niſi Pontifex ſuis verbis tribuiſſet Conceptioni epithetum *Immaculatæ,* ipſe non addidiſſet Oraculo, non enim potuit alijs verbis vti, quàm quibus Pontifex locutus eſt, maxime ea voce, in qua totus rei cardo vertitur. Quare cum Cardinalis teſtetur Paulum viuæ vocis oraculo ita loquutum, Conceptionem appellaſſe *Immaculatam* dubitandum non eſt. Eodem epitheto ornauit idem Pontifex in diplomate *Regis pacifici* illis verbis: *eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Vbi ex eius mente coniunctam fuiſſe Conceptioni vocem *Immaculatæ* ijſdem argumentis oſtenditur, quibus id probauimus de Sixto Quarto, ſupra num. 12. & 13.

22. Ex dictis luce ipſa clarius conſtat Eccleſiam Romanam ornare Conceptionem Virginis epi-

theto

theto *Immaculatæ*, non ſolum in Miſſali, & Breuiario Romano, quibus centum fere annis vſa eſt, & iuxta quæ duodecim Romani Pontifices officia diuina celebrarunt; ſed etiam ipſis Pontificũ diplomatibus. Neque quicquam officere quód Gregorius XV. & Vrbanus VIII. ab hoc titulo Conceptioni tribuendo abſtinuerint, tum quia ex ſolo ſilentio ineptiſsimé infertur prohibitio, maximé contra antiquiſsimam Sedis Apoſtolicæ conſuetudinem tot exemplis teſtatam, & munitam, alioquim neque Virgini ipſi tribuendus eſſet titulus Immaculatæ, quem Gregorius ipſe in ſuo decreto ei nunquam tribuit, quamuis ſæpe nominet; neque Vrbanus aliquando, & omnes reliqui Põtifices ſæpiſsime ab eo Virgini tribuendo abſtinent. Tum etiam quia ex ipſis Gregorij, & Vrbani decretis, in quibus non tribuunt Conceptioni, manifeſtiſsimé dignoſcitur eos non de alia Conceptione, quám de Immaculata ſermonẽ facere, vt planiſsimé eumdem titulum, quem voce non exprimunt, rebus ipſis adſtruant. Gregorius quidem, dum vocem *Sanctificatio* ab Officio diuino eliminat, præcipitque vocem *Conceptio*, vt omnes intelligant non ſanctificationem præciſsé, & quæ á tempore abſtrahat, colendam eſſe; ſed illam, quæ ipſum momentũ Conceptionis concernat, atque adeò eam reddat Immacu-

latam: Vrbanus vero, dum tam attentè, cum de Conceptione loquitur, Virginem ipſam appellat Immaculatam, vt dum plenitudinem puritatis incircumſcriptam agnoſcit in Virgine; partē, quæ Conceptioni competit, ſignificantius comprehendat, & quodammodo eminentius, quam ſi ipſi Conceptioni epithetum Immaculatæ cōiungeret, vt ſatis expendimus cap. 5. §. 28. denique vterque Pontifex ſatis ſuam mentem Conceptioni Immaculatæ fauentem expreſsit, Gregorius epiſtolis ad Philippum Quartum, & Margaritam Auſtriacam, quas expendimus cap. vndecimo; Vrbanus epiſtola ad Eliſabetham Hiſpaniarum Reginam, de qua cap. 5. §. 28.

23. Sed pro Coronide libet adhuc expendere epiſtolam eiuſdem Gregorij XV. ad Ciues Hiſpalenſes. Egerat Pontifici gratias ob nouum decretum Hiſpalis, nobiliſsima Ciuitas, in deuotione erga Immaculatam Conceptionem nulli toto Orbe ſecunda; ſupponenſque vt rem exploratam decretum illud vnice editum fuiſſe in fauorem Immaculatæ Conceptionis, ita epiſtolā orditur: *Vrbs hæc, & vniuerſa adhærens prouincia ita ſe locupletatam agnoſcit magno illo bono, & fauore, quem reſultaſſe ex ſacro decreto veſtræ Beatitudinis circa myſterium Immaculatæ Conceptionis Virginis Sanctiſsimæ Dei genitricis, & Dominæ noſtræ cognoſcit, vt poſtrata*

ad

ad Sanctiſsimos veſtræ Beatitudinis pedes, &c. Ecce Hiſpalenſes apertiſsimè profitentur, quo ſenſu acceperint decretum Gregorij; nempe in fauorē *myſterij Immaculatæ Conceptionis*. His ita intelligentibus decretum, quid Pontifex reſponderit, videamus. Præfatus quædam de opulentia, & pietate illius Vrbis, hæc tandem reſcribit: *Proinde nos quorum fælicitas Chriſtianarum nationum ſalute continetur, paterno ſolatio litteræ veſtræ cumularunt, quas nobis non ita pridem reddiderunt dilecti filij Matthæus Vazquez, & Bernardus de Toro. Ex illarum enim ſententia, & ex horum ſermone intelleximus, quo ſtudio Beatiſsimæ Virgini glorioſæ inſeruiatis. Ita ſentire, ita loqui par eſt Ciuitatem à Dominantium Domino cuſtoditam, & ſolidæ pietatis fundamentis innixam. Neque enim vera mortalium laus atque gratulatio à cæleſtis aulæ gloria ſeiungitur. Vos autē ſcientiā ſalutis præclarè didiciſſe oſtēditis, cū beneficiū vobis tributū eſſe profitemini eo Apoſtolico decreto, quo altercantiū Theologorū diſsidia tollere, & cæleſtis Reginæ dignitati conſulere nuper voluimus, &c.*

Vide lector. Gregorium approbantem ſen- 24.
ſum Hiſpalenſium intelligentium decretum de Immaculata Conceptione. Profitentur illi ſe ex decreto cognouiſſe beneficium, & fauorem *circa myſterium Immaculatæ Conceptionis*. Pontifex hanc eorum mentem, & ſcientiam laudat, qui optimè decretum calluerint. *Vos autem* (inquit) *ſcientiam*

ſalutis præclarè didiciſſe oſtenditis, cum beneficium vobis tributum eſſe profitemini eo Apoſtolico decreto. Beneficium in eo agnoſcebant Hiſpalenſes, quòd decretum ſit in fauorem myſterij Immaculatæ, Pontifex rectè eos beneficium intellexiſſe affirmat. Subdit præterea, quid in eo decreto præſtiterit, quod rectè Hiſpalenſes beneficium ſuum interpretentur; duo videlicet, & quod *altercantiũ Theologorum diſsidia* ſuſtulerit, & quod *Cæleſtis Reginæ dignitati conſulere* voluerit. Sané vtrumque præſtitit Pontifex in decreto, nam & altercantium diſsidia ſuſtulit, dum indixit ſilentium affirmatiuæ ſentẽtiæ ſectatoribus; & cœleſtis Reginæ dignitati conſuluit, cum præcepit, vt omnes non alio quàm Conceptionis nomine in Officio diuino vtantur. Hoc præcepto ſe cœleſtis Reginæ dignitati conſuluiſſe teſtatur. At ſi animus non eſſet, vt Immaculata Conceptio ab omnibus coleretur, ſed duntaxat ſanctificatio abſtrahens, & vtrique ſententiæ communis; neque conſuluiſſet dignitati cœleſtis Reginæ, neque beneficium cõtuliſſet Hiſpalenſibus, neque eorum ſcientiam laudaſſet, qui beneficium non niſi de Immaculata Conceptione interpretabantur. Non conſuluiſſet dignitati cœleſtis Reginæ, potius eam depræſiſſet præcipiens, vt ſola ſanctificatio vtrique ſententiæ communis celebretur, cum antea

fere ab omnibus coleretur Immaculata. Neque contuliſſet beneficium Hiſpalenſibus, qui ardentiſsimè Immaculatam celebrabant. Denique ſi ea eſſet mens Pōtificis, monuiſſet potius eos, quos circa ſenſum decreti aberrare ex ipſorum litteris peruidebat. Reſcriberetque: erratis Hiſpalenſes, dum creditis me hoc decreto præcepiſſe, vt omnes in Officio diuino Immaculatā Conceptionem venerentur. Cum enim præcipio vt vox *Conceptio* ab omnibus vſurpetur, non loquor de Conceptione naturali, quam pia ſententia putat præſeruatam à labe originis, ſed ſanctificationem duntaxat intelligo, abſtrahentem, & vtrique ſententiæ communem. Hoc meo decreto viam paro prohibitioni tituli Immaculatæ. Cur vos audetis in epiſtola ad me ſcripta eum titulum tribuere, & contra mentem meam decretum interpretari? hæc debuit Pontifex animaduertere, ne in errore perſiſterent. Cum ergo nihil eiuſmodi reſcribat, ſed potius, cum ex litterarū *ſententia*, & legatorum *ſermone intellexerit* eos in fauorem *myſterij Immaculatæ Conceptionis* decretum accipere, reſpondeat *par eſſe ita ſentire, ita loqui;* laudetque eorum *ſcientiam*, quia in eo ſenſu decretū & beneficium accipiunt; euidentiſsimum eſt Gregorium præcepiſſe, vt omnes, relegata ſanctificationis voce, Conceptionem ipſam vt Immacu-

lata.

Digitized by Google

latam in Officio diuino celebrent , vanumque commentum eſſe,& à mente Pontificis prorſus alienum,aut alio ſenſu id præcepiſſe, aut eo decreto inniti poſſe prohibitionem tituli Immaculatæ,qui potius eo firmiſsimè ſtabilitur, & commendatur.

AD SANCTISSIMVM DOMINVM noſtrum Innocentium Decimum apoſtrophe, & Peroratio.

CAPVT XVI.

1. TE Nunc,Beatiſsime Pater, te Innocenti, ter optimum Maximum Pontificem appello.Nā & te decet, qui Pater es,filiorū querelas audire;te,qui Pontifex, Eccleſiæ paci, & Tranquillitati prouidere;te qui Innocentius, innocentiam Dei genitricis tueri. Conceptionem eius Immaculatam celebrat Eccleſia Romana inſtitutore feſti,& officij Sixto Quarto prædeceſſore tuo. Eo titulo,& honore expreſse ornauit eam Eccleſia in Officio diuino integro ferè ſæculo;tribuerunt duodecim Romani Pontifices ſacrum facientes, & diuini Officium penſum ſoluentes;expreſſerunt plurimi in ſuis diplo-

matibus ; canunt hodie ordo Seraphicus , & Eccleſia Granatenſis in die Conceptionis ex conceſsione Sedis Apoſtolicæ , & eiuſdem ordinis, tam viri, quam fœminæ tota octaua ; cõcinunt ſingulis Sabbatis, quicumque officio *ſicut liliũ* vtũtur, á ſacra Rituum Congregatione approbato, & Neapoli ſub initium tui Pontificatus excuſſo; Denique ingeminant quotidie in vtroque Orbe Moniales Conceptionis ex præcepto Innocentij Octaui , & Iulij Secundi ; & ex deuotione, quicumque indulgentias lucrari volunt á Paulo Quinto conceſſas recitantibus Antiphonam , & orationem Immaculatæ Conceptionis. Ipſa Romana Eccleſia , quæ centum ferè annis eam *Immaculatam* dixit, nunc, & á tempore Pij Quinti *Sanctam* appellat, tanto præſtantius, quantúm præſtat effectus primarius gratiæ, quẽ exprimit vox *Sancta* , ſecundario , quem vox *Immaculata* ſonat, & qui nequit ab illo in Conceptione ſeiungi. Gregorius XV. cum vidiſſet aliquos eſſe in Eccleſia, qui Conceptionis vocabulum horrebãt in Officio diuino, ne Immaculatam colere viderentur, & ideò ſanctificationis voce vtebantur, abſtrahentis videlicet á momento Conceptionis; iuſsit (ablegans ſcilicet hanc vocem) vt omnes non alio, quám Conceptionis nomine vti debeant. Nempe voluit, vt Conceptio ipſa *Sancta*,

atq;adeò *Immaculata* ab omnibus nullo diſcrimine celebretur.

2\. In hoc rerumſtatu, ecce (Beatiſsime Pater) ſunt, qui contendant inuidendum eſſe Conceptioni titulum Immaculatæ. Producunt decretũ (vt aſſerunt) ſanctæ Inquiſitionis Romanæ, quod tamen (vt demus de eo cogitaſſe aliquid, aut deliberaſſe Eminentiſsimos Cardinales) in comperto eſt, neque ad Sedem Apoſtolicam retuliſſe, neque ipſos, qua pollent poteſtate, iuſsiſſe, vt promulgaretur. Itaque hi decreti executores orbis terrarum ſe ipſos legislatores conſtituunt, dum legem nondum promulgatam ipſi populis obtrudunt, & obedientiam extorquent, publicæ authoritatis rei. Neque his contenti, vt decretum adſtruant, omnia miſcent; ſenſum Eccleſiæ Romanæ in feſto Conceptionis peruertunt, eamque non aliud colere, quam ſanctificationem præciſe ſumptam, & á tempore abſtrahentem contendũt atque eam eſſe mentem Gregorij. XV. cum tamen is error damnatus ſit á Sixto Quarto. Rurſum, vt ſe expediant à Romanis Pontificibus, qui in ſuis diplomatibus Conceptionem honorant epitheto Immaculatæ; ad temporum diſcrimina recurrunt, quaſi non omnes rexerit idem Spiritus Sanctus; cauendumque nunc pronunciant ab eo titulo, quem Eccleſia ipſa Romana,

&

& tot Pontifices tribuerunt. Hoc autem quid aliud eſt, quám illos incautos appellare? nam quod nouæ cautioni cauſas obtendunt ex vniuerſali præcepto Greg. XV. iubentis, vt omnes ſub Conceptionis nomine feſtũ celebrent, quo præcepto (cum ſectatores etiã affirmatiuæ ſententiæ comprehendat) periculum eſt ne populus erret exiſtimans definitam eſſe Immaculatam, atque ideó occurrendum prohibitione huius tituli; quis non rideat prætextum? quaſi vniuerſale præceptum vtendi nomine Conceptionis non tulerit ante Gregorium, Pius Quintus, imó éx parte Sixtus Quartus obligans etiam ſectatores affirmatiuæ, qui vtebantur Romano Breuiario, quin inde in eiuſmodi errorem inciderit populus. Aut quaſi ei periculo (ſi quod eſt) non ſatis cauerit idem Gregorius declarans controuerſiã nondum eſſe à Sede Apoſtolica deciſam. Aut denique quaſi non alia via huic periculo obuiam iri poſsit, niſi iniuria Conceptionis. Commendant etiam decretum ex ſilentio Vrbani Octaui in diplomatibus de Militia Conceptionis, vbi Immaculatæ epithetum non Conceptioni tribuit, ſed Virgini. Quaſi ſilentium ſit prohibitio; aut quaſi ipſa virgo non ſit dicenda *Immaculata*, quia Pontifices de ea loquentes id epithetum frequentiſimè non tribuunt; aut quaſi idem Vrba-

nus nō ſatis tribuerit Conceptioni, dum tribuit Virgini; aut denique quaſi eius ſilentium damnet reſcripta Prædeceſſorum ſuorum, & inueteratam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem.

3. Quid ergo Beatiſsime Innocenti? patieris ne his artibus tot Romanorum Pontificum conceſſiones, & approbationes infringi, exempla poſt haberi, veſtigia ſperni, imô quodammodo damnari? patieris feſto Conceptionis ab Eccleſia inſtituto illudi, ſiniſtris interpretationibus obſcurari, decretum Gregorij XV. eneruari ineptiſsimis ſophiſmatibus, imò Romanam ipſam Eccleſiam in hoc feſto, vel inuitam trahi in ſenſum ſanctificationis abſtrahentis, ab ipſamet ſub Sixto Quarto damnatū? patieris vt fideles prohibeantur *Immaculatā* dicere eam Conceptionem, quam Eccleſia ipſa Romana integro fere ſæculo eo epitheto ornauit in Officio diuino, & hodie (quod re ipſa ipſiſsimum eſt, & ſignificatione nobilius) *Sanctam* appellat? an Sancta potuit eſſe, ſi Immaculata nō fuit? quod ſi nihilominus decretum illud ſeruandū eſt, abrogentur diplomata Sixti IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Iulij II. Leonis X. Sixti V. viuæ vocis oracula Pij V. Greg. XIII. Paul. V. de medio tollatur Breuiariū Monialiū Cōceptionis, officiū cū octaua Ordinis Seraphici, officium Sabbatorum, & aliæ preces, in qui-

bus

bus frequentiſsimè Conceptioni tribuitur *Imma culatæ* titulus. Sin autem illis diplomatibus manere debet honos, & authoritas, officiorumque, & precum vſus ijs, quibus Sedis Apoſtolica conceſsit; quid monſtri eſt illis permittere, vt in ſacris precibus titulum *Immaculatæ* impertiant Cōceptioni, & hiſdem, reliquiſque fidelibus prohibere, ne idem præſtent in libris, & priuatis ſermonibus, aut ſcriptis? hæc ſi ſcirent hæretici, quibus ſannis exciperent? clamarent Pontificios in eum errorem inductos, vt putent potuiſſe in Cōceptione amicè conuenire gratiam, & peccatum originale, imo re ipſa conueniſſe; quandoquidem Conceptionem Virginis, quam in officio Romano appellamus *Sanctam*, prohibemur ornare titulo *Immaculatæ*. Et vt hæreticos prætereamus, quis non videat hocce decreto magnam fidelium populo tribui occaſionem, vt in eum errorem labatur? in hoc ergo verum, & præſens periculum inciditur eo decreto, dum ſomniatum illud de exiſtimanda iam definita Immaculata Conceptione (quod nullum eſt) ſupervacaneè, vel caueri percupitur, vel ſtabiliendo decreto obtenditur.

Reliquum eſt (Beatiſsime Pater) vt tanto malo medicinam adhibeas, ſcandala è medio tollas, opportunis remedijs occurras, nouandarum rerum cupidos compeſcas, & recentes igniculos, 4.

cum primùm ſcintillant, extinguas; ne contempti magna incendia cum Chriſtianæ pacis detrimento concipiant. Erunt fortaſſe, qui tibi ſuggerant, rem iam in tuto eſſe, ceſſatum ab executione decreti, ſedatas turbas, hanc machinam ſuo pondere corruiſſe; atque adeó ſilentio potius quàm remedio opus eſſe. Sanè in Vrbe fortaſſe ceſſatum eſt; at extra Vrbem non ita. Peruaſit omnes pené prouincias Chriſtiani Orbis decreti fama, imo peruaſit ipſum decretum. Eius exēplaria vbique ſparſa ſunt, comitātibus duobus Libellis in eius defenſionem. His armis muniti Immaculatæ Conceptionis aduerſarij bellū inferunt, imbellem fidelium turbam adoriuntur, & ſub nomine Sanctæ Romanæ Inquiſitionis (omnibus vtique venerando) aut vincunt, aut terrent. Anconæ anno proximè elapſo cum Immaculatæ Conceptionis votiua quædam ſolemnitas indiceretur chartis etiam per compita affixis; quidā, qui inibi Inquiſitoris munere fungebatur, magna ſtipante caterua publicé chartas euellit, diſrumpit, proijcit, cauſatus ſanctæ Romanæ Inquiſitionis decretum prohibens titulum Immaculatæ, quem chartæ illæ præ ſe ferebant. Matriti cum in cætu nobilium fœminarum, quædam Immaculatam Conceptionem nominaſſet, quidam ex illis, qui forte aderat, mulierem admonuit,

ne deinceps eũm titulum Conceptioni tribueret. Prohibitum eſſe. Imò cum ibidem Comitia Regnorum Caſtellæ, & Legionis hoc anno 1649 viros quoſdam doctos ſuper hoc decreto conſuluiſſent, hæſerunt eorum nonnulli, legitimum putantes, aut ritè promulgatum. Alibi etiam nõ diſsimilia contigiſſe veriſimile eſt. Itaque quotidie creſcit malum, opuſque eſt præſenti remedio. Quale illud futurum ſit, tuæ prudentiæ relinquimus. Hoc vnũ addimus, rem agi Sedis Apoſtolicæ, & Sanctæ Romanæ Inquiſitionis; Sedis quidem Apoſtolicæ, quia eius intereſt, ne quis feſtum Romanæ Eccleſiæ ſiniſtris interpretationibus detorqueat á planiſsimo ſenſu, quem vniuerſus fidelium cætus iamdiu concepit, & in quo Conceptionem Dei genitricis celebrat, neque audeat decreta Pontificum, præſertim Gregorij XV. prauis commentis eludere: Romanæ verò Inquiſitionis; quia eius authoritatem vſurpant, quicumque ſub eius nomine mandant executioni decretum, aut non editum, aut non iuſſum promulgari.

Sed quoniam, quæ eſt Sedis Apoſtolicæ Benignitas, ſolet illa humiles filios, quos in viſceribus charitatis diligit, libenter audire; *loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis*, communiaq; fidelium vota ego minimus tibi, Sanctiſsime 5.

Digitized by Google

Pater, aperiam, & proponam. Non oramus, vt officium Nogarolicum, quo centum fere annis vſa eſt Romana Eccleſia, Breuiario Romano reſtituas. Contenti ſumus hodierno, quo Pius V. pijſsimus Pontifex Immaculatæ Conceptioni ampliſsimé conſuluit, dum eam eiſdem epithetis, & honoribus dignam cenſuit, quibus Virginis Natiuitas colitur. Deinde non petimus, vt ſaltem vocem *Immaculata* hodierno officio inſeras. Satis eſt vox *Sancta*, quæ Conceptioni adiuncta nobilius ſignificat præſeruationem, vtpote, quæ ipſam gratiam ſanctificantem exprimit, quæ ſecum trahit lethalis maculæ carentiam, atque adeò in Conceptione abſentiam culpæ originalis. Denique non oramus, vt declares feſtum Cõceptionis, quod Eccleſia Romana celebrat, eſſe de Cõceptione *Immaculata*, aut præſeruata ab originali labe. Quid enim opus eſt declaratione in re ſole ipſo clariori? audiant hæc aduerſarij, qui fingunt hæc nos aliquando petijſſe á Sede Apoſtolica, aut his conceſsionibus inhiare. Fingunt callido conſilio, vt videatur rem, nobis etiam fatentibus, in eo loco eſſe, vt his declarationibus egeat, aut his fauoribus promoueatur. Sed nihil eiuſmodi optamus, nam tam certum eſt Eccleſiam Romanam colere Conceptionem Virginis á peccato originali præſeruatam, quàm eſt

Digitized by Google

certum feſtum Conceptionis celebrare.

Illud ergo enixe oramus, vt ſi velis antiqua 6.
diſsidia ſopire, malo præſenti occurrere, decreta Pontificum, feſtum Conceptionis, & officium Romanum ab iniquis interpretationibus tueri, Conceptionem Immaculatam inter dogmata fidei colloces. Rem maturam eſſe difinitioni grauiſsimi doctiſsimique Theologi iam diu ſcriptis ſuis affirmarunt, neque nunc locus eſt rationum momenta refricandi. Hæc vna via eſt radicitus euellendi diſsidia, & ſcandalorum ſciſionũque occaſiones. Alia remedia experientia ipſa docuit inefficacia fuiſſe, quamuis cũ adhibebantur, merito videbantur opportuna. Sixtus Quartus præuia maturiſsima conſultatione, & diligentiſsimo examine feſtum Conceptionis inſtituit, & Romanum fecit. Quis non crederet omnes cõuolaturos in eum ſenſum, quem Romana Eccleſia honore Officij diuini cumulauit? ſed quoniã liberas reliquit linguas, & mentes diſputationibus ſcholaſticis; noſti quãtum debachati fuerint nonnulli in ipſum feſtum Eccleſiæ Romanæ, vt iuſtè ſtomachatus Pontifex in illos detonuerit indignationẽ ſuam illis verbis teſtatus *Graue nimis, & moleſtum*, &c. audaces compeſcuit, errores damnauit; & tamen ferè nihil profecit, vt neceſſarium fuerit Alexandro Sexto iterum fulmina

re,& in eos,qui etiam Sixti conſtitutiones perperam interpretabantur,animaduertere.Sed nihil melius res habuit.Quare compulſus eſt Pius Quintus diſputationes prohibere vulgari ſermone,aut vbi promiſcua virorum, & mulierum multitudo conueniret·Quin & Paulus Quintus cum hæc non proficerēt,aſperiori remedio opus eſſe ratus,ſententiam affirmantem,in publico ſilere iuſsit.Tunc creditum eſt vltro deſerendam, quis enim amaret doctrinam , quam non poſſet palàm,& in aperto tueri? Sed quæ non poterat in publico , clanculum prodibat , ſeque priuatis ſermonibus inſerens turbas ciebat.Quouſque tā dem Gregorius XV. eam omnino obmuteſcere iuſsit,addiditque, vt eius etiam ſectatores non ſanctificationis voce, vt antea,ſed Conceptionis in Officio diuino vterentur. Quis non crederet hoc ſilentio impoſito, vltro reiecturos à mentibus ſuis hanc doctrinam eos,qui linguis,& calamis ſuis interdictam videbant? Quis non putaret eo præcepto conſequendum , vt illa ſponte abiecta ſentirent priuatim eius ſectatores, quod publicè colere iubebantur? Sed cum id ſperabamus,incredibile facinus auſi ſunt nonnulli.Quādo palàm refragari præcepto non audent, vim eius eludunt.Gregorium,dum præcipit nomen *Conceptio* in Officio diuino,non intelligere ſub ea

voce infuſsionem animæ adiuncta gratia venerabilem, ſed ſanctificationem duntaxat, á momento illo abſtrahentem, & vtrique ſententiæ communem. Hunc eſſe ſenſum Catholicæ Eccleſiæ in feſto Conceptionis. Atque hac ratione, & ſenſum ſuum antiquum de ſanctificatione ſibi ſeruant, & officio Romano obtrudũt, à Sixto Quarto damnatum, feſtoque Conceptionis nihil niſi inane vocabulum relinquunt. Quin, & ſub prætextu non definitæ Immaculatæ Conceptionis, decretum eiuſmodi titulum prohibens extorquent, & ipſi promulgant. Quibus tandem factũ eſt, vt res in peiore ſtatu ſit, quàm erat ante decretum Gregorij. Tunc enim quamuis pauci ab Eccleſiæ norma, & ritu recederent celebrantes ſub nomine ſanctificationis, tamen feſto Conceptionis, quod vniuerſa penè Eccleſia colebat, ſuus manebat honos, & ſenſus; nunc autem vis illi infertur, & bellum; inſuperque ſilentium ferè indicitur piæ ſententiæ, dum titulus Immaculatæ prohibetur. Vides (Sanctiſsime Pater) nihil profeciſſe tot remedia, imò vltimo velut acriori cum ſe conſtrictam, & veluti comprehenſam videret animorum contentio, erupiſſe, non ſecus ac cuniculus concepto igne, omnia diripiens, omnia inuoluens. Reliquum ergo eſt, vt radicem huius mali euellas, libertatem ſentiendi tollas,

Digitized by Google

mentes ipſas frænes, Immaculatam Virginis Cō ceptionem definiendo declares.

7\. Quód ſi iudicas, aut nondum ſatis reſeratum eſſe myſterium, aut nondum aduenisſe tempus definitioni opportunum, præcipe ſaltem, vt omnes Chriſti fideles ſententiā de Immaculata Cō ceptione amplectantur. Prohibe contrariam; nāque potes, etiam ante definitionem. Non deſunt qui aſſerant id olim præſtitum fuiſſe ab Alexandro V. Prædeceſſore tuo. Sed, quidquid ille fecerit, te id poſſe dubitandum non eſt, iuſtaſque eſſe cauſas, vt facias. Multa ſunt quæ fides Catholica non docet, nec Eccleſia definiuit, & tamen eis aſſenſum præberi ipſa præcipit, neque permittit cuiquam contrarium ſentire. Exempla ſunt innumera, quæ in præſenti omittimus, ne otio tuo abutamur. Illa tamen materies ipſa, de qua agimus, iure ſuo poſtulat, vt in medium producamus, quæ ad eiuſdem Virginis feſtiuitates quaſdam pertinent, Natiuitatem dico, Præſentationem in Templo, & Aſſumptionem in Cœlos. Virginem, cū nata eſt, habuiſſe gratiam ſanctificantem; cum puella erat, Præſentatam fuiſſe in Templo; poſtquam obijt, rediuiuam cum corpore in Cœlos Aſſumptam; neque ſacræ litteræ exprimunt, neque tradit Verbum Dei non ſcriptū, neque vnquam Eccleſia tanquam fide Catholica

Ioannes de Varzo in 3. diſt. 3. Bernardinus de Buſti ſermon. 4. de Concept.

tenendum declarauit. Et tamen ſi quis hæc neget, aut ſecus ſentiat; ab eadem punietur, & meritò. Quod ſi cauſas huius prohibitionis perquiramus, quamuis plures fortaſſe ſint, illa tamen potiſsima, & omnibus eminẽs, quod Eccleſia de his feſta inſtituit, & Natiuitatem, Præſentationem, Aſſumptionem publico, & ſacro ritu proſequitur. Sane Sanctus Illefonſus. S. Bernardus, & Sãctus Thomas Sanctitatem Natiuitatis ex feſto concludunt. Tanta enim eſt Eccleſiæ authoritas in feſtis inſtituendis, vt ipſa ſola inſtitutio conuincat ſanctitatem illam, quam publicé colendam proponit, adeò veram eſſe, vt à parte rei nõ poſsit eſſe falſa. Alioquin errare poſſet in proponendis obiectis ſacri cultus. Quare cum Eccleſia Romana Conceptionem Virginis ſolemniter colat, ſanctitatem eius hunc firmitatis gradum attigiſſe negandum non eſt. Hinc conſequẽs erat vt prohibita maneret ſententia contraria agnoſcens peccatum in Virginis Conceptione, id exigente inſtitutione ipſa feſti. Sed nihilominus licuit hactenus eam ſententiam amplecti, quia eadem Eccleſia ex indulgentia ita voluit, non prohibens eius aſſenſum. Cur autem ita indulſerit, cauſa fuit benignitas, & prudentia; benignitas quidem, ne omnino contriſtaret eius ſententiæ ſectatores (filios quidem ſuos) ſed leniendo dolo-

Lib. de perpetu Virginitate
epiſt. 17.
3. p. q. 27. ar. 1

Digitized by Google

ri, hoc ſaltem ſolamen relinqueret, quód liberé poſſent in ea perſiſtere: prudentia veró, quia ſatius duxit eos ad eiuſmodi ſententiam vltro deſerẽdam allicere, primùm ipſa inſtitutione feſti, deinde coram populo diſputatione prohibita, rurſum etiam Academica, denique priuata etiam aſſertione, quám præcepto prorſus prohibere.

8. Sed cum hæ artes non prouenerint, quin imo nonnulli hac ipſa Eccleſiæ indulgentia, & benignitate abvtantur, vel ex ipſa ſumentes argumentum contra ſenſum, & mentem Romanæ Eccleſiæ in feſto Conceptionis, nempe non coli Immaculatam, quia ipſis permittitur contra eam ſentire; quis non videat eos meritos eſſe, vt hac exigua libertate, quæ mentibus duntaxat relicta eſt, omnino priuentur? ad vitanda fidelium ſcandala ampla illa libertas, quam Sixtus Quartus reliquerat, paulatim imminuta eſt, vſque ad ſilentiũ oris, & manus. Lingua prohibita eſt loqui, manus ſcribere. Cur nõ prohibebitur aſſẽtiri mens, ſi adhuc ſcandala durant? imó ſi feſto Eccleſiæ bellum indicitur? ſi ſpernuntur antiquorum Pontificum exempla, & veſtigia? ſi recentium decreta ſiniſtris interpretationibus eluduntur?

9. Age ergo, Beatiſsime Pater, præcipe, vt omnes ſententiam de Immaculata Conceptione

Digitized by Google

amplectantur. Huius legis ferendæ optima, & iuſtiſsima cauſa eſt ipſum feſtum Conceptionis. Sixtus IV. vt eos erroris inſimularet, qui dãnabant: *celebrãtes feſtũ Immaculatæ Cõceptionis,* nõ aliã cauſã reddidit, niſi: *Cũ ſanctaRomana Eccleſia de intemeratæ ſemperq; Virginis Mariæ Cõceptione publicè feſtũ ſolẽmniter celebret.* Gregorius XV. vt etiam ſectatores affirmatiuæ ſententiæ obligaret ad celebrãdum feſtum Conceptionis Immaculatæ (hoc enim planè præcipit, dum ſanctificationem abſtrahentem excludit) eidem cauſæ innixus eſt: *Cum ſancta Romana Eccleſia de Beatiſsimæ, & intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret.* Si poteſt præcipi affectus volũtatis, quo colitur Immaculata; cur non etiam aſſenſus intellectus? ſi æquum eſt, vt omnes Immaculatam celebrent; cur non etiam, vt ſentiant? Præcipe ergo, Pater Sanctiſsime. Hoc præceptum ante diffinitionẽ poſt ferri, ſicut potuit ante eam feſtum inſtitui. Redde ius ſuum feſto Conceptionis; ſine, vt in eo exerat vires ſuas infalibilitas Eccleſiæ Romanæ in feſtis inſtituendis; nec patiaris, vt à quoquam impunè cenſeri poſsit falſum eſſe obiectũ, quod ipſa in eo feſto proponit colendũ.

Hanc legem, imò diffinitionem ipſam, á te 10. ſperamus, non vanè ex nomine tuo votis noſtris blandientes. *Innocentius* es. Innocentiam igitur

Beatiſsimæ Virginis Deiparæ declara. *Decimus* es,(qui numerus perfectionem ſignificat) perfice ergo honorem innocentiæ Marianæ. Vltimã adhibe manum, & qui paulatim creuit tot Prædeceſſorum tuorum fauoribus, tibi debeat colophonem. Sic, quod nomine præfers, re ipſa eris *Innocentius Decimus*. Neque tamen à nomine tantúm ſumimus auſpicium, factis etiam ſpes noſtras confirmas, quibus fauentem Conceptioni Immaculatæ animum ſtatim â Pontificatu oſtendiſti. Nam cũ optimæ memoriæ Vrbanus Octauus in conſtitutione de obſeruatione feſtorum inter eiuſmodi feſta non enumeraſſet diem Conceptionis, tu eius obſeruationem Hiſpaniarum Regnis reſtituiſti expedito diplomate 10. Nouenbris 1644. Deinde ſodalicium Nobilium viduarum Dolæ in Burgundia ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis* erectum diplomate etiam confirmaſti, & fauoribus auxiſti. Huic ſodalitio, pijſque operibus, quibus inſudat, imo protectioni Virginis ſine labe Conceptæ, (cuius Immaculatæ Conceptionis cultum, & venerationem augendi præcipuum inſtitutum eſt) acceptum fert Comitatus ille Burgundiæ Sedi Apoſtolicæ, & Regi Catholico ſemper fideliſsimus, quod redacta propemodum in ſolitudinẽ Francorum armis prouincia tandem reſpirarit, & ipſa Vrbs

Dola

turna obſidione cincta incolumis eua-
nique orante Ferdinando III. Roma-
mperatore indixiſti ieiunium peruigi-
:eptionis in Auſtria ſub præcepto ſer-
,nouo exemplo , quo feſtum Concep-
æteras,præter Aſſumptionem , Virginis
ates ſuperat.Pulchrè quidem te authore
.ur,cum Maria Sanctiſsima,& mundum,
.um ingreditur; vt ieiunium fidelium te-
:ælix illud Virginis ieiunium,quæ ſola po
/etitum in primoParente non guſtauit,vn-
ſancta genita eſt,& ei Cœleſtes ianuæ pa-
nt,quas clauſerat intemperantia. Eia ergo
: Beatiſsime,qui tan inſignes honores Im-
ılatæ Conceptioni contuliſti,perge,& vlti-
ı confer.Acquieſce fidelium votis, & preci
qui id Sanctiſsimis pedibus provoluti eni-
xe precantur,quidquid tandem iuſſeris
ob temperaturi ; nam é tuo
ore pendemus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

NDEX
ERVM, ET VER-
BORVM.

A

ianus VI. *Conſtitutiones*
rdinalis Ximenez appro
uit, in quibus Conceptio di
ur Immaculata, cap. 15.

Luſitanus malè interpreta
icas Breuiarij, cap. 5. *n.*
& 48. *Imponit Bellar-*
im. 99. 100. *&* 104. *imme*
rebendit Gabrielem Vaz-
p. 7. *num.* 10. *eius cenſura*
anum, & Medinam, num.
ieram tribuit D. Thomæ,
quis ſcholaſticis doctrinam
Quarto damnatam de ſo-
ificatione, num. 28. *&* 29.
r V. *fertur præcepiſſe do-*
i de Immaculata, cap. 5. *n.*
p. 16. *num.* 7.

Alexander VI. *damnat ſiniſtras in-terpretationes feſti Conceptionis, cap.* 7. *num.* 3. *confirmat extraua-gantem* Graue nimis *atque adeò titulum Immaculatæ, cap.* 15. *n.* 13.

Alphonſus Chacon, *Dominicanus laudatus cap.* 6. *num.* 5.

Alphonſi Salmeron *de officio ſancti ficationis ſententia cap.* 14. *num.* 10. *&* 18.

Ambroſius Chatarinus *quid ſen-tiat de officio ſanctificationis, cap.* 13. *num.* 14. 15. 16. *&* 18. *cap* 14 *n.* 10. 11. *&* 18. *de libro Turrecre-matæ, cap.* 5. *n.* 238.

Antonius Cordubenſis *confundit duas Sixti Quarti extrauagantes eodem initio* Graue nimis, *cap.* 7. *n.* 10. *&* 11 *explicatur n* 12.

Apoſtrophe *ad Sanctiſſimum D. N. Innocentium X. cap.* 16.

Archiconfraternitas *Conceptionis à Paulo III. Salmanticæ erecta, cap.15.num.19.*

Author *huius libri natus inuocata Conceptione Immaculata, cap.* 1. *num.2.in die S. Birgitæ cui reuelata eſt:*ibid. *Eius defenſionem iurauit ſolemniter quinquies Beatiæ, Salmanticæ, & Toleti num.* 3.

B

Baronium *falſo citat Libellator cap.5.n* 262.*& ſeq.*

Baſileenſe *Concilium non difiniuit de fide Immaculatam cap.* 5. *n.* 228. *&* 232.*omnia, quæ decreuit circa Conceptionem, admiſsit poſtea Eccleſia Romana, præter probibitionem contrariæ ſententiæ, nu.*229. *& ſeq. non edidit decretũ in odiũ defenſorum Eccleſiæ Romanæ, nu.* 237.*& ſeq.*

Bandellus *compoſuit officium ſanctificationis cap.*13.*n.* 19. *de eo officio cap.*14 *n.*2.9. *&* 10.

Bellarmini *mens de feſto Conceptionis, cap.* 5.§.18.

S.Bernardus *Conceptionis nomine formationem fætus intelligit, cap.* 5.*num.* 88.*in eius doctrina ex feſto Conceptionis probatur eius immunitas, ibid.*

Breuiarium *Dominicanum babebat feſtum Conceptionis, cap.*14 *num.* 4.*&* 5.

Breuiarium *Monialium Conceptionis approbatũ ab Innocentio VIII & Iulio II.cap.5.num.* 179. *cap.*15.*num.*1.*&* 2.

C

Caietano *Conceptio non ſignificat ſanctificationem, cap.*10.*n.* 22.*cap.*11.*num.*23.*quo ſenſu acci piat feſtum cap.*14 *n.*20.

Capella *B.Virginis de Litterio Meſſanæ, cap.* 5.*num.* 147.

Collegium *Conceptionis Orphanorum Salmanticæ erectum à Paulo Tertio, cap.*15.*n.*19.

Conceptio *in Officio diuino ſumitur pro infuſione animæ cap.*4. *num.* 3 *&* 11 *toto cap.*11.*non ſignificat ſanctificationem cap.* 5. *num.* 117.*& ſeq. cap.*10. *à num.* 22. *vnicum inſtans concernit cap.*5. *à num.*114.*ſancta neceſſario eſt Immaculata, cap.*5.*toto* §.20. *de acceptionibus* Conceptionis, *cap.*10. *à num.*4.*eius immunitas nobilius ſignificatur voce* Sancta, *quam voce* Immaculata, *cap.*4.*num.* 7. *c.* 5.*num.*73.*&* 127.*cap.9. n.* 10. *& cap.*16.*num.* 1.

Concilium Ariminenſe *liberatur à calumnia Libellatoris cap.*5.*à n.* 261.*non fuit vniuerſale, n.* 268.

Concilium Baſileenſe *vide B.*

Concilium Tridentinum *confirmat officium* Conceptionis *Immaculatæ cap.*5. *num.* 40. *in ſententiam piam propendit, num.* 41. *appro-*

ſ Sixti Quarti extraua-
b eodem initio Graue ni-
7. à num. 18. atque adeò
ſſertionem, quod ſola ſan-
colatur feſto Conceptio-
27. ſentit hoc feſto celebra
ulatam, cap. 8. num. 10.
ter principaliora totius
it, num. 14. primam, &
feſsionem Conceptioni
it, num. 15. confirmauit
antem Cum præexcelſa
atque adeò officium No-
um. 13. confirmãs extra-
n Graue nimis tribuit
ioni epithetum Immacu,
. 15. num. 13.

D

um Gregorij XV. de
eptione cap. 2. num. 2. &
ſus, cap. 5. num. 4. 5. 8.
it titulum Immaculatæ,
non tollit præiudicium ab
tificibus affirmatiuæ ſen-
atum cap. 5. num. 13. &
rohibet officium Leonar
arolis, num. 27. & ſeq.
git Sixtianam conſtitu-
d confirmat, num. 33. cũ
t probibitio tituli Im-
num. 64. quantum eue-
naculatam Conceptionẽ,
um. 1. quo ſenſu accipiat
nceptio num. 20. non pro
tione, ſed pro animatio-
ne, toto cap. 11. Vide Gregorius XV. Libellator. præiudicium.

Decretum Pauli V. de Conceptione cap. 2. num. 4.

Decretum (vt fertur) Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, cap. 3. num. 2. cõfictum putant aliqui cap. 1. num. 1. quibus de cauſis, cap. 3. num. 3. non eſt neceſſarium, vt Conceptio Immaculata non cenſeatur difinita, cap. 4. §. 2. & 4. de eius ſenſu differitur, § 6. & 7 cap 5. n. 12 2. 134. 282. non eſt promulgatum, cap. 5. num. 3. 4. 274. 312. 313. contra mentem ſanctæ Congregationis faciunt, qui illud executioni mandant. cap. 5. num. 3. 4. 215. 308. 312, cap. 16. num. 2. & 4. non ſatis cauet periculum, cui vitando obtenditur cap. 5. num. 284 & 292. verum periculum quod ex eo naſcitur, cap. 16. num. 3.

Defenſores Immaculatæ fatentur, & docent non eſſe difinitam, cap. 4. §. 2.

Dominicanis non eſt ex ſtatuto interdicta defenſio Immaculatæ, c. 1 num 8. plurimi ei fauent. cap 5. num. 258. rectè intelligunt decretum Gregor. XV. nempe de Conceptione naturali, cap. 10. num. 25 non omnes celebrabant ſub nomine ſanctificationis, cap. 13. num. 12. 14. & ſeq. neque ſemper cap. 10. num. 14. & cap. 13. num. 18. ex lege Pij V. tenentur ſub Conceptionis nomine celebrare. Toto cap. 13 Senis degentes celebrarunt de Con-

ceptione Immaculata ex præcepto Leonis X.cap.13 num.16. & 17. in eorum libris ante Sixtū IV. non inueniuntur conciones de ſanctificatione, ſed de Conceptione, num.20. eorum Martyrologium antiquum cum feſto Conceptionis, cap.14 num.5. decretum de deferenda affirmatiua, cap. 5. num. 76.

E

ECcleſiæ ſenſus in feſto Conceptionis eſt de Immaculata, cap.5.§.16. magnis fauoribus proſequitur piam ſententiam, contrariam nullis, cap.5.num.161. & 162. poteſt etiam ante definitionem præcipere, vt omnes teneant ſententiam de Immaculata, num.234. cap.16. num.7. 8. & 9.

Eccleſia Romana an ante Sixtū IV. celebrauerit feſtum Conceptionis? cap.6.num 4 & ſeq. celebrat à tẽpore Sixti IV num.8. & ſeq. colit naturalem Conceptionem Virginis hoc eſt animæ infuſionem, cap.7. à num.5. eamque vt beneficio gratiæ Immaculatam, cap.8. à num.1. in officio, quo vſa eſt centum fere annis Conceptionem appellat Immaculatam, num.16. & ſeq. eodem ſenſu celebrat poſt Pium V. quo à tempore Sixti IV toto cap.9. non poteſt mutare ſenſum feſti inuariato obiecto, num 13. & 14. Conceptionem appellat Immaculatam, toto cap 15.

Elenchus prioris Libelli, cap.4.

Elenchus Libelli poſterioris, cap.5.

Epiſtola Greg.XV. ad Philippū IV. Regem Catholicum, cap.11. num. 26. expenditur, num.27. ad Margaritam Auſtriacam, num.28. expenditur, num.29. ad Hiſpalenſes, cap.15.num.23. expenditur n.24.

Epiſtola Hiſpalenſium, ad Greg.XV. cap.15.num.23. & 24.

Epiſtola Vrbani VIII. ad Eliſabethā Reginam Catholicam, c.5.n.204.

F

FAcultas imprimendi libros ſolum confert præſumptionem non prohibitæ doctrinæ, cap.5.§.37.

Ferdinandus de Salazar non ſatis defendit Bellarminum, ab Ægidio Luſitano, cap. 5.num.101. & 102.

Feſtum Conceptionis non poteſt ſub ſenſu ſanctificationis abſtrahentis celebrari, cap.11.num. 21. quære alia verbo Dominicani, Eccleſia Sixtus.

Franciſcus Arauxo rectè ſenſit de ſenſu feſti Conceptionis, cap.10.n. 24. eius doctrina de iudicio ſpeculatiuo Conceptionis maculatæ cōpatibili cum cultu Immaculatæ. c. 12.num.7. & ſeq. quædam in eius doctrina non ſatis cohærent, num. 11. & ſeq.

G

Vazquez non rectè expli
ridentinum, quod vnam
: conſtitutionem Graue
nfirmet, quamuis de plu-
Conſtitutiones Sixti,
m.19. & ſeq. Immeritò
ſirmaſſe extrauagantem
excelſa, cap.8.num.11.

res fauent Immaculatæ
oni, cap.5.§.32.
Menologium, Vide M.
s Eccleſia recitat officium
icum, cap.5.§.13.
XV. mens, cap.4.num.4.
us decreto ſtabilitur titu-
aculatæ num.16. non pro
ficium Nogarolis, cap.5.
rmat Sixtianam conſtitu
um.33.& 38. cum eius
ugnat prohibitio tituli,
quantùm fauerit Immacu
ceptioni, toto cap.10. præ
non ſanctificatio præciſè
alis conceptio colatur, to
. non eſt ſibi contrarius,
gat etiam ſectatores ſentẽ
natiuæ, vt Immaculatam
to cap. 12. & cap. 13.

H

S. Hieronymus explicatus cap.5. num.259.261 & 263.

I

S. Iacobus Hiſpaniarum Apoſtolus docuit cultum Conceptionis cap. 6. num 2.
Iacobus Granado non rectè explicat factum Sixti IV. cap. 7 num. 15. Immeritò negat à Tridentino approbatas duas Sixti IV. conſtitutiones eodem initio Graue nimis, n.21 & ſeq.
S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus ex feſto Conceptionis probat eius immunitatem cap.5. num. 92. compoſuit primus officium Conceptionis, cap.6. num.3.
Indulgentiæ firmum argumentum ſuppeditant pro Immaculata, cap. 5. §.22.
Vox Immaculata coniuncta Virgini cū agitur de Conceptione, ipſā etiā Conceptionē afficit, cap.5.n.195. Imò nobilius, quàm ſi ipſi Conceptioni iungeretur, num.197.
Innocentius VII. animaduertit in Monteſonum Immaculatæ aduerſarium, cap.5.n.175.& 236.
Innocentius VIII. confirmauit Ordinem Monialium Conceptionis, & earum Breuiarium, cap. 5.
num.

Baronium n. 264.
tio ſecundo, quæ
. 173.
etum.cap.4.num.
. 5. num 282.&
tatem Eccleſiæ ad-
cap.5. num. 92..
diſtinguit in Con-
tantia num. 113.
at diſcrimen inter
Immaculata, *n.*
inter propoſitio-
m complexum, n.
x facultate impri
atur publicam au
.295. & ſeq.
ugnat cap.4.num.
1.71.72.82.134
n. 9. 22. cap. 11.
cap.14. num. 22.
io in ipſum retorta
mento ſuo cõuinci-
ſuis dictis cap.11.
eius dialectica no-
.37.cap. 5. num.
n.27.& 28.para-
.17.
rehenſa, cap. 5. n.
Conceptionem ſan
Immaculatam, n.
erbis Pontificum
iuati ſcripſere, n.
inter acceptiones
de animatione, c.

mnia, cap.4. n. 11.
ſcanos cap. 5. n. 59
ores Immaculatæ,

num.310.corrumpit eorum argumẽtum, §.25.
Decretorum ſanctæ Inquiſitionis verus contemptor cap.5. §. 1. reformidat vocem Conceptio, num. 77. & ſeq. decreta fingit, & eorum approbationem num. 213. & ſeq.
Temere damnat reuelationes, & miracula Conceptionis cap 5. §. 30. iniuriam irrogat concionatoribus, § 33. inurit notam hæreſis Eccleſiæ ſub Stephano, & Liberio, §. 34.
Libellator *defendit errorem damnatum à Sixto IV. cap.4 num. 3. c. 5. num. 24. 55. 56. 86. errat cap. 4. n. 20. 21. 23. capit. 5. numer. 2. incurrit cenſuras Sixti IV. & aliorum Pontificum, cap. 4. num. 24. cap. 5. num. 219. 220. 274.*

M

MAgiſter *Sacri Palatij non confert maiorem authoritatem libro approbato. quam Epiſcopus, c. 5. num. 300. nomen Magiſtri ſacri Palatij defenſores Immaculatæ, n. 304.*
In Martyrologio Romano *antiquo eſt Conceptio Ioannis Baptiſtæ, & quo ſenſu, cap. 5 n. 248 & 249. in* Dominicano *feſtum Conceptionis B.V. cap. 14. n. 5.*
Medina *quo ſenſu accipiat feſtum Conceptionis cap. 14 num. 21.*
Menologium *Græcorum celebrat*

& præſeruatam,
. confirmauit, &
n Conceptionis Or
antica, & erexit
ıtatem Concep-

hat ſenſum feſti de
maculata, cap. 9.
ptionem appellat
ap. 15. num. 4. 13.

iff. D. N. Innocen

: etiam ſectatores
atiuæ vt celebrent
eptionis cap. 4. n.
13. cur in officio
lidit vocem Imma
m. 31. & cap. 9.
uit vſum officij No
boritatem, & ſen-
. quibus de cauſis
. 6. impenſius fauit
naculatæ inducens
atis mutato nomi-
aroliců retinuiſſet
contrarias expli-
. mutato officio Cõ
tauit ſenſum, cap.
ap. 9. per totum,
ulgantem Sixti,
Breuiarium, num.
ı prohibuit aſſer-
atæ vulgari ſermo
am diſputationem

ı abſtinent à titu
ne ſi exprimãt, cen

ſeatur definita, cap. 4. §. 6. neu-
tram opinionem appellant proba-
bilem cap. 5. §. 2. nullus in Pontifi-
catu docuit Virginem in peccato Cõ
ceptam. §. 26. quibus gradibus pau
latim promouerint Conceptionem,
cap. 5. num. 161. 212. 233. 270.
& 285. cap. 10. num. 1. cap. 16. n.
6. quoties fauore aliquo proſequun
tur Conceptionem, approbant titu-
lum Immaculatæ cap. 15. num. 1.
& 2 ſæpe non tribuunt hunc titu-
lum ipſi Virgini, num. 11.
De præiudicio ſententiæ affirmatiuæ
cap. 5. num. 13. & ſeq. & toto cap.
12. clauſula ſine præiudicio non
intelligitur de expreſſis num. 15.
quid intelligatur nomine præiudi-
cij in decreto Greg. XV. num. 17.
& ſeq. cap. 13. num. 8.
Propoſitio, & terminus complexus
nihil differunt, quod attinet ad ſig-
nificandam publicam approbatio-
nem cap. 5. §. 35.

R

REgeſtum Franciſcan. c. 15. n. 1.
Reuelationes S. Birgittæ ab Ec-
cleſia approbatæ, cap. 5. n. 222.

S

SAcellum Põtificium plus autho-
ritatis tribuit concionibus audien
te, & ſilentio approbante Pontifi-
ce, quàm Magiſter ſacri Palatij
libris

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-3

Digitized by Google